





Visonatuto



VIR IVSTVS,

VEL

DE LAVDIBVS HOMINIS CHRISTIANI,

CENTVRIA;

In qua, quanta ſit viri Chriſtiani iuſti, & ſerui Dei magnitudo ac felicitas, impij vero humilitas, & miſeria, ex ſacris literis demonſtratur; atque peccator ad pie viuendum vehementer excitatur:

Ex qua voluptatem, vtilitatemque maximam Chriſtianus percipiet Lector.

Cum Appendice, vbi facilius eſſe honeſte, quam turpiter viuere oſtenditur; ad idque faciendum regulæ quædam perutiles traduntur.

Nunc primum in lucem edita.

Auctore Lodouico Carbone a Coſtaciario, ſacræ Theologiæ in almo Gymnaſio Peruſino olim publico profeſſore.

Cum Indice Capitum, & rerum memorabilium.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Apud Iacobum Bendolum.
MDLXXXV.

Melior est vnus timens Deum, quam mille impij.

Ecclesiastici XVI.



REVERENDISSIMO PATRI, P. CLAVDIO AQVÆVIVÆ SOCIETATIS IESV Generali meritiſſimo,

Ludouicus Carbo. S. D.

CVM ex tuis fratrumque tuorum ſermonibus, Reuerendiſſime P. quibus multos annos inſtitutus fui, quanta ſit hominis iuſtitia ornati dignitas, atque præſtantia non ſemel intellexerim; in eam ſæpe cogitationem ueni, non mediocri vtilitati populo Chriſtiano fore, ſi qua de magnitudine & excellentia Chriſtiani, & iuſti uiri, exiſteret tractatio. Quoniam, ſi Chriſti fideles quam felix ſit piorum ſtatus ſemel intelligerent, ad pie uiuendum mirum excitarentur in modum. Quocirca, vt

aliquod de re proposita in lucem exiret opusculum iampridem multum desideraui; deque eo conficiendo, cum nihil tale, quod scirem, hactenus extaret, sæpenumero cogitaui. Verum, ut tantæ rei præstantia, atque utilitas ad eam tractandam me inuitabant; ita eiusdem rei magnitudo, & difficultas a scribendo deterrebant. Etenim, iis rebus me plane carere uidebam, quæ ad huiusmodi argumentum pro dignitate explicandum necessariæ mihi uidebantur; doctrina nimirum, & dicendi copia, spirituque non vulgari. Accedebat etiam publicum, ac priuatum docendi munus, quo ita impediebar, ut ad opus, quod multo otio, multaque cogitatione egebat, conficiendū, nihil daretur otij. Sed, cum his diebus aliquid uacationis, & si non satis explicatæ, nactus fuerim; rem, quam a quouis alio explicari maluissem, tractare aggressus fui. Et licet, ut ingenue fatear, non sine aliqua audacia prouinciam uiribus meis imparem susceperim: tamen, is audaciam excusare meam aliquo modo poterit, qui omnia fere, quæ hac tractatione dixi, ex sacris literis, me sumpsisse cognoscet: quo factum est, ut de sermonis puritate & ornatu non multum laborauerim: cum ex diuinis scripturis non modo res, sed etiam

uerba

uerba, quantum fieri poterat, mihi sumenda esse existimauerim. Quare, si uiri Christiani & iusti, cum hanc nostram lucubrationem legent, multis se laudibus ornari uidebunt, non tam humanis, quam diuinis uerbis se laudari existimare debebunt. Cum itaque hanc de laudibus uiri iusti Centuriam confecissem, atque aliquorum iudicio non parum utilitatis, si in publicum prodiret, allaturam esse cognouissem; in Dei gloriam, & proximi commoditatem in lucem edere decreui. Verum, cum animaduerterem non posse tuto in manus hominum uenire, nisi alicuius grauis uiri esset auctoritate fulcta; cogitaui diu, sub cuius potissimum tutela emitterem: & tandem tua se se mihi, Religiosissime Pater, obtulit amplitudo, cui priuate hunc meum laborem nuncupare possem, ac deberem. Primum quidem, quoniam tu, tuique, ut initio dixi, eius suscipiendi occasionem multoties mihi præbuistis. Deinde, quia neminem habeo cui, secundum Deum, magis debere sentiam, ac si quid, uel doctrinæ, uel religionis in me est, acceptum referre debeam, ac referam, quam ei Societati, cuius tu, non sine numine diuino, summus Magister existis. Iam uero, cum hoc meum opusculum, ut a me proficiscitur,


nulla ſeſe ratione manifeſtare, ac ſuſtentare ualeret; luce ac protectione egebat tua: quia ſi a te ſuſceptus probatuſque fuerit, ab omnibus doctis & religioſis uiris probatum iri certiſſime ſpero. Accedit etiam, quod aliquot ex Fratribus Congregationum B. Virginis, quas non ſine magna multorum utilitate Fratres tui uariis in locis instituerunt, de quarum progreſſu te ſolicitum eſſe ſcio, ſuo quodam iure, aliquid tale a me efflagitarunt; in quorum quidem uſum priuatim hoc opus confeci: qui, una cum ceteris, cum hunc libellum nomini tuo inſcriptum uiderint, ad eum legendum excitabuntur magis: quoniam tua auctoritate moti, non parum ex eo fructum ſe percepturos eſſe putabunt. Quo fiet, ut hi labores, quales quales ſint, magis in gloriam Dei cedant, & fidelibus utiles exiſtant. Et denique, cui nã opus de iuſti & religioſi uiri laudibus, iuſtius, quam religioſo religioſorum hominum Moderatori dicari potuit? Rem igitur quodãmodo tuam optime agnoſce Pater: animi grati ſignificationem quamuis exiguam, ne ſperne: libello tua luce, & tutela egenti faue: aliorum utilitati, meæq; uoluntati conſule; & iuſto candidoque animo, quo tibi hoc de laudibus uiri iuſti mu

nuſcu-

nusculum offertur, accipe. Id, si ut spero, feceris, potius gratiam me accepisse, quam dedisse fatebor: & maior in accepto, quam in dato beneficio existet laus. Ceterum, si pro humanitate tua; aliquid accepisse existimare, meque nouo beneficio ornare uolueris; maximam abs te mihi gratiam relatam putabo, si bonorum operum Societatis tuæ me participem feceris, Deumque pro me oraueris, ne ab eorum excludar numero, quorum magnitudinem, atque felicitatem alijs demonstrare tentaui. Vale. Venetijs. 15. Kal. Oct. M D LXXXV.



VRBANVS LONGVS Christiano Lectori. S.



Anta est post primi parentis lapsum humanæ naturæ infirmitas, vt homines nō bonum, quod natura cognoscunt, & appetunt, sed quod refugiunt malum, prosequantur: ut quisque cum Paulo vere dicere possit: non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio. quo fit, vt homo iter beatitudinis, ad quam se factum esse intelligit, vel non ingrediatur, vel si ingressus fuerit, ob maximas, quas in eo sentit difficultates, & impedimenta, sæpenumero deserat. Quare fateri profecto oportet, maximum aliquod ei necessarium esse incitamentum, & auxilium; ut a malo declinare, bonumq; amplexari, & ad beatitudinem properare queat. Ad rectum autem uitæ cursum ineundum, ac retinendum, nihil ita hominem excitare, atque iuuare potest, quam si ea cognouerit maxima bona, quibus ij potiūtur, qui honeste, religioseque viuunt. Quod si quispiam, quæ diximus commoda, quæ secum hæc honesta viuendi ratio affert, cognoscere cupiat; nulla alia, ni fallor, ratione id melius asseequi poterit, quā si de laudibus Viri Iusti Centuriam consuluerit: ex qua, quanta sit dignitas,

magni-

magnitudo, gloria, atq; felicitas hominis christiane viuentis, facile cognoscet. Si ergo, christiane lector, hunc de laudibus viri iusti libellũ diligenter lectitaueris, maximas ex eo voluptates, fructusque percipies maximos. Nam, si huius mundi homines tantam oblectationẽ capiunt, cum minimis, & etiam interdum fucatis laudibus afficiuntur; quantam, obsecro, lætitiã ex huius libelli lectione iustus percipiet lector? cum se summis, & veris laudibus, non ab homine adulatore confictis, sed ex sacris literis sumptis, se laudari animaduertet? Quomodo enim summa lætitia non perfundetur, cum tanta dignitate, tantoq; splendore, quantum humana mens nunquam caperet, ornatum se eße sentiet? Intelliget enim se eße uere nobilem, uere diuitem, uere sapientem, uere potẽtem, uere felicem, ac deniq; talẽ, ac tantum, ut se nihil maius, nihil prestantius, nihil diuinius in hac rerũ uniuersitate inueniri possit. Et quis non lætaretur, si intelligeret, se vere esse mundi monarcham, ciuem sanctorum, amicũ & familiarem Dei, fratrem Christi, æternæ beatitudinis hæredem, ac tandem participatione diuinæ naturæ Deum? Hæc itaq; de se vere dici, ac prædicari, lector intelliget: quę si prima fronte, præter opinionem esse videbuntur: tamen, vbi cognouerit hæc omnia a diuino spiritu in sacris literis, de ipso dicta fuisse: omnia verissima, atque certis-

sima

ſima eſſe, ſine dubio fatebitur. Quantum autem utilitatis ex huius operis lectione percepturus ſit: tunc intelliget, cum, vel ſemel perlegerit. Mirum enim in modum ipſius fides confirmabitur, cum ex ſacris literis cognoſcet, ea omnia Deum hominibus præſtare, quæ aliquando pollicitus fuit. Spes eius quoq; mirifice corroborabitur, cum intelliget, quantum Deus de hominum ſalute ſit ſollicitus, & quot, quantaq; dona eis liberaliſſime largiatur. Nec etiam parua fiet charitatis acceſſio, cum ſummam caritatē, qua Deus iuſtos amplectitur, cognoſcet. Ex quibus ea quoq; promanabit utilitas, vt ij, qui iuſte viuunt, maiore cura atq; ſtudio iuſtitiam retineant, in eaq; maiores in dies progreſſiones faciant. Peccatores etiam non parum vtilitatis capient, dum piorum feliciſſimū ſtatum cognoſcentes, vel ſuam miſeriam infelicemq; cōditionem intelligentes, qua nullam deteriorem eſſe percipient, iniuſtitiam abijcient, & ad honeſte, religioſeq; uiuendum excitabuntur. Cum ergo, pie lector, ex huius Centuriæ lectione fructus maximos tibi haurire liceat, eam libenter excipe, eaque vtere: qua nullus liber carior, nullus iocundior tibi eſſe deberet, cū in ea magnitudo exponatur, & laudes celebrentur tuæ. Illud autem lectorem monitum eſſe volo; eam fuiſſe auctoris mentem, vt non tam exacte, atque copioſe hoc argumentum tractare uoluerit,

quam

quam, propositis quibusdam locis, meditandi occasionem alijs præbere: quo factum est, vt multa silentio prætererit, & quæ dixit, strictius persecutus fuerit. Illud etiam monebo, librum illum, De interiore homine *ab eodẽ auctore conscriptum, qui in marginibus, nõnullis in locis citatur, non solum ad huius operis cognitionem, sed etiam ad cognoscendum seipsum, qua scientia nulla vnquam melior, ac magis necessaria existimata fuit, maxime legenti profuturum. Illic vir iustus describitur, & noua quadam arte construitur; hic vero laudibus ornatur: illic, qui esse debeat spiritualis homo docetur; hic quanta sit eius magnitudo, ac felicitas demonstratur. Citantur etiam alia eiusdem auctoris opera, nimirum,* De pacificatione, & de amore & concordia fraterna: *quod ideo te monere volui, vt qui nam sint libri, in hoc opere citati non ignorares: quos si leges, nihil te fortasse pœnitebit. Cum itaq; Christiane lector, huiusmodi opus habeas, ex quo delectationes, vtilitatesq; maximas percipere possis, est, cur hanc Centuriam, quam auctor multo studio multaque cogitatione in tuam vtilitatem confecit, pio candidoque animo, amplectaris, ac Deo opt. Max. a quo omnia proficiscuntur bona, gratias agas. Vale.*

CAPITVM INDEX.

Iustus

Iusti:ia

61 Iustitia magis, quam omnia dona gratis data hominem perfectum, ac maioribus laudibus dignum reddit.

62 Laudatur vir iustus a veris diuitijs. & vere diuitem esse demonstratur.

63 Viro iusto, nihil vnquam deesse, demonstratur.

64 Deus uiri iusti causa omnium rerum copiam vrbi, & præbet.

65 Viro iusto nulla creatura nocet.

66 Viro iusto omnes creaturæ inseruiunt.

67 Omnia uiri iusti causa facta esse demonstratur.

68 Mundus, & omnia quæ in mundo sunt, uiri iusti causa conseruantur.

69 Vir iustus est ueluti quidam totius mundi Monarcha.

70 Laudatur uir iustus a regno Dei, quod intra se habet, & regem esse ostenditur.

71 Viro iusto omnia feliciter succedunt.

72 Aduersas res viri iusti statum felicissimum reddere ostenditur.

73 Deus est protector, custos, & uindex uiri iusti.

74 Deum priuatam, ac præcipuam uiri iusti curã habere ostenditur.

75 Laudatur a republica Christiana, in qua natus, & educatus est, atque præalijs excellit.

76 Ab institutoribus, & præceptoribus, quibus institutus, doctusque fuit.

77 Ab honesta consuetudine, vsuque, quem cum Deo, & cum bonis habet.

78 A vera libertate, quæ in solis iustis reperitur.

79 A seruitute, qua Deo, & Christo inseruit.

80 A vera amicitia, quam cum Deo habet.

81 A familiari, & domestico vsu, quem iustus cum Deo habet.

82 Vir iustus est gratiosus apud Deũ, a quo quid quid petit, obtinet.

Indicis Capitum, Finis.





VIR IVSTVS,

VEL

DE LAVDIBVS HOMINIS CHRISTIANI, CENTVRIA.



Laudatur vir Iustus ab æterna cognitione, qua a Deo cognitus, ac prædestinatus est. Cap. I.



ETsi Deus optimus maximus ab omni æternitate ob infinitatem intelligentię suæ clarissime cognoscit, & intuetur omnia; ita ut nihil eorum, quæ antehac fuere, & quæ nunc existunt,& quæ posthac futura sunt, cognitionem lateat *Eccl. 16. 17.*

teat diuinam : tamen, eum hominem, quē præſciuit, & prædeſtinauit conformem fieri imagini Filij ſui, ſingulari quadam ratione, ab eadem æternitate, mente uidet, memoria complectitur, in utero miſericordię ſuæ concipit, & in æternæ uitæ libro deſcribit; ut tandem, ubi eum iuſtificatione pepererit, & in filium adoptauerit, æterna hæreditate donet. Hic autem homo, is eſt, quem a iuſtitia, hoc eſt, a cumulo uirtutum omnium diuinæ literæ, Iuſtum, appellare ſolent. Cum itaque Vir Iuſtus, mente, & memoria diuina ab omni æternitate comprehenſus fuerit, eiuſdemq; Deus priuatam, ac præcipuam quandam ideam in ſua mente formauerit, atque in adoptionem filiorum ſuorum prædeſtinauerit, & antequam quidquam fieret, conceptus; & ante colles, priuata quadam ratione, formatus, iure dici poterit. Huc pertinet, quod Apoſtolorum princeps, de uiris iuſtis agens, ſcriptum reliquit: Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem : manifeſtati autem nouiſſimis temporibus, &c. Et Paulus: Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum propoſitum uoluntatis ſuæ, &c. Conuerte hoc loco Chriſtiane lector mentis oculos in naturam diuinam, atque in ea

Rom. 8.

Phil. 4.

1. Petr. 1.

Epheſ. 1.


uirum

uirum iustum præcipua quadam idea formatum, & tanquam in libro descriptum, & quasi in utero conceptum, & immensæ maiestatis sinu comprehensum cerne; & tunc quæ, & quantæ sint præsagitiones, quibus uir iustus antequam nasceretur, aut boni maliue quidquam ageret, præcognitus, præmonstratusq; fuerit, intelliges; cum ab omni æternitate in mente diuina conceptus, formatus, scriptus, comprehensusq; sit. Quare, si oracula, si prædictiones, si in aliqua re, natiuitatis cuiuspiam datæ significationes, tanti fiunt; quanti tales, ac tantæ, natiuitatis uiri iusti præsensiones, faciendæ erunt? Illæ in creaturis, hæ in creatore: illæ temporaneæ, hæ æternæ: illæ dubiæ, hę vero certissimæ. Si homines ab oraculis, & signis ante ipsorũ natiuitatem editis tantum laudantur; cur uir iustus, a tam insignibus præsagiis, a formatione, a uocatione, a prænotione, atq; ab æterna, & diuina prædestinatione laudandus non erit? Si gloriantur aulici, quod ipsorum domini eos speciatim, cognoscunt, nominant, ad se uocant, & priuatã eorum memoriam habent: quanto magis uir iustus, qui apud præpotentem Deum, cognitus, perspectus, nominatus, uocatus, ac mente conceptus, formatusque est, glo-

Phil.4.

Rom.9.

Luc.1.



riari poterit? Quis ergo tam felicem huius uiri condicionem, tam illustres præsensiones non admiretur? cum hic uir sit ęterna cognitione cognitus, ęterna uocatione uocatus, æterna prædestinatione prædestinatus, æterna Dei memoria comprehensus, & in ęterno misericordię diuinę utero conceptus, atque ab æterno, ęterno regno donatus. Complectere, amice lector, animo singulas rationis participes creaturas, Angelos inquam, & homines, & mentis oculis inspice Deum ex innumerabili improborum hominum, & Angelorum multitudine, ob misericordiam suam, non ex operibus ab omni ęternitate Iustum misericordiæ suę oculis inspicientem, & uocatione sua secernentem (nemo.n.est, qui se discernat) & in libro æternę uitę scribentem, beatitudineque donantem; & quam felix sit uiri iusti condicio, aliqua ratione cognosces. Non secus, ac si Rex in solio suo sedens, ex omni populo sibi præsenti, quempiam, sua liberalitate, ab aliis secerneret, & ad se uocaret, & regiis ornamentis indueret, amplissimisque honoribus coram omnibus cumularet, & tandem ad regni sui gloriam, ut Pharao Iosephum, ascisceret. Contra uero, impij condicio misera, immo miserabilis omnino existit: quia, li-

2. Tim. 1. Eph. 1. Ephe. 2. Rom. 8. Tit. 3. Gen. 41.

cet sit a Deo ab æternitate cognitus, non tamen probatus, sed præscitus, hoc est, ad ęternos cruciatus, ob sua errata, destinatus: qui licet sit uocatus: tamen ob duritiem suam, reiectus, & despectus, & in multitudine improborum relictus, atque ex libro uitę, deletus est: qui tandem una cũ diabolo in stagnum ignis, & sulphuris proijcietur; ubi die, ac nocte in perpetuum, acerbissime cruciabitur: quoniam nouit Dominus uiam iustorum, & iter impiorũ peribit. Suæ nunc impij genealogię antiquitatẽ iactent: de nobilitate ex utraque familia glorientur: ad ueteres, & illustres uiros genus suum reuocent: quia, nihil tale unquam proferre poterunt, ac uir iustus potest, cui & tam insignes pręsensiones, & genus licet iactare diuinum?

Prou. 1. *Apo. 20.* *Psalm. 1.* *Act. 17.*

Ab æterno amore, quo a Deo dilectus, ac præelectus est. *Cap.* II.

CVm Deus sit summa bonitas, nihil eorum quæ fecit, ut sacra nos docent eloquia, odio habet: sed, ut omnia ex amore creauit; ita, eodem amore, cuncta creata diligit, atque conseruat. Verum, sicuti creando nõ omnibus eadem ratione rebus sese communicauit: sed his clarius, illis

Sapien. 11.

uero obſcurius bonitatem impertiuit ſuã; ita etiam, non eodem prorſus amore, proſequitur omnia. Ex omnibus uero creaturis uirum iuſtum præcipua quadam, ac æterna caritate diligit, atque ſummum bonum, illud uidelicet ipſum, quo fruitur ipſe, ei cupit, & ut id aſſequatur, nihil non efficit. Diligit ergo æternus Deus æterna dilectione uirum iuſtum, atque in ea dilectione perpetuo perſeuerat; cum ipſum
Ephe. 1. elegerit, ut ſit ſanctus, & immaculatus in conſpectu eius. Hic amor tantus, ac talis
Mal. 1. eſt, ut quos hoc amoris genere non amat, eos Deus odiſſe dicatur. Ideo legimus: Ia
Rom. 9. cob dilexi, Eſau autem odio habui: quia non iiſdem donis ambosDeus ornauit, nec tot prærogatiuas uni, atque alteri tribuit. Si quis ergo, quid Deus, & eius præcipuus amor, & quid amare, & amari ſint, intelligeret, quanta eſſet uiri iuſti præſtantia, quantaque dignitas aliquo modo cognoſceret. Deus eſt id, quo nihil melius, nihil diuitius, nihil potentius excogitari poteſt: amare, eſt alicui bene cupere, & quantum fieri poteſt, id amato conferre: amari uero, eſt alicui carum, gratumque exiſtere. Si ergo Deus eſt ſumme bonus, quod nam uiro iuſto bonum non cupiet? cum hæc ſit bonitatis ratio, ut aliis ſeſe communicet:

ſi ſumme diues, quid deerit, quod tribuat? *Pſalm. x*
ſi ſumme potens, quid impediet, quin impertiat? quid eſt, quod debui ultra facere
uineæ meæ, & non feci ei? Deus loquitur: *Iſaia 5.*
at, quid non debuit, & potuit optimus, & omnipotens? Quæ igitur bona, quæ munera, quæ priuilegia, optimus, munificentiſſimus, & potentiſſimus Deus ab omni æternitate non dederit ei, quem ſingulari amore dilexit? ei, quem benignitate ſua ex tanta reproborum multitudine elegit, & prælegit? ei quem ita amat, ut delicias ſuas *Pro. 8.*
appellet? Quid homini accideret iucundius? quid gratius eueniret, quam ſi ab aliquo præſtanti, & illuſtri uiro unice amari ſe intelligeret? Quis non cenſeret eum feliciſſimum, quem, quot quot eſſent in ciuitate, uiri, & mulieres, pueri, & adulti, nobiles, & ignobiles non vulgari caritate complecterentur, ac propterea omnia ſumma bona ei deſiderarent, ac quantum in ipſis eſſet præſtarent? Quid? ſi ab omnibus, qui ſunt in prouincia, in regno, & denique in uniuerſo orbe ingenti afficeretur amore, & ſummis beneficiis a ſingulis certatim ornaretur? Quid? ſi hi omnes, hunc hominem, antequam in hanc lucem ueniſſet, ardenter amaſſent? non ne, id quid maximum, & omni admiratione dignum uideretur?

 retur?

retur? & quis hunc hominem terque, quaterque beatum non appellaret? quis ei tam prosperam sortem non inuideret? quis tam felicem condicionem non admiraretur? At uero, totus hic amor, tota hæc beneuolentia, totum hoc humanum studium, si cum eo amore, eaque caritate, qua iustus a præpotenti Deo diligitur, conferatur, exiguum quid est, umbra est, nihil est.
2. Cor. 6. Etenim, quæ comparatio esse potest inter Deum, & hominem? inter lucem, & tenebras? inter uerum amorem, & amoris umbram? Contemplare hoc loco, nihil esse Deo dignius, & nihil amore præstantius; & uide uirum iustum ab omni ęternitate in Deo tanquam amatum in amante existentem: cerne Deum hunc uirum ex aliis, non
Ephe. 1. ex operibus, sed ex gratia, eligentem, & præeligentem, & ad se uocantem, atque in eo acquiescentem, & delectantem, & postea, si potes, quanta sit uiri iusti dignitas,
Ioan. 10. intellige. Sic itaque Deus dilexit iustum, ut eum ante mundi constitutionem ad se uocauerit, & ita amplexus fuerit, ut nemo eum de manu sua rapere possit: Sic Deus
Ioan. 17. dilexit iustum, ut antequam nasceretur, & boni quidquam ageret, ex immensa reproborum multitudine selegerit, & ad se asci-
Rom. 9. uerit: Sic Deus dilexit iustum, ut eum suæ
natu-

naturæ conſortem efficere uoluerit: Sic *1. Pet. 1.*
Deus dilexit iuſtum, ut pro ipſo unigenitũ
ſuum dederit: & quo modo cum eo non *Rom. 8.*
dedit omnia? Sic Deus dilexit iuſtum, ut
pro ipſo ſpeciatim, efficaciter uidelicet, &
efficienter Filium ſuum mortem atrocem
ſubire uoluerit: Sic denique Deus dilexit,
& diligit iuſtum, ut priuate, Deus ipſius, di
ci uelit: ideo legimus: Deus Abraham, *Tob. 7.*
Deus Iſaac, Deus Iacob. Nec ſolum a Deo,
ſed etiam ab hominibus uir iuſtus multum
diligitur: quod ex ſcripturis cognoſcere li
cet; in quibus legimus: Dilectus Deo, & *Ecci. 45.* *Exo. 11.*
hominibus Moyſes, cuius memoria in be- *1. Reg.*
nedictione eſt: & de Samuele: Placebat *1. Reg. 18.*
tam Deo, quam hominibus: de Dauide:
& acceptus erat in oculis uniuerſi populi.
Denique, ne multa proſequar exempla, To *Tob. 14.*
bias uir iuſtus, & tota ipſius generatio acce
pta fuit tam Deo, quam hominibus, & cun
ctis habitantibus in terra. Et ſane, quis ui
rum iuſtum, qui eſt quid perfectum, non
amet? quis non diligat, quem Deus tanto-
pere diligit? quis non exiſtimet amandum
eſſe eum, in quo ſunt omnes amoris cauſæ?
Et cum omnes pro iuſtis, dum contrarium
non conſtat, habendi ſint, omnes, tanquá
iuſti, pręcipuo amore deberent amari. Im *Sapien. 14.*
pius autem, & ipſius impietas Deo & ho-
minibus

minibus odio ſunt: propterea Deus, ipſius præuiſis culpis, ab ęternitate ipſum a ſe repellit, & a beatitudine excludit, quo nihil infelicius, nihil calamitoſius excogitari poteſt. En igitur, quam felix ſit iuſtorum ſtatus, & quam miſera improborum condicio: quæ tantum inter ſe diſtant, quantum a Deo amari, & odio haberi inter ſe diſiuncta ſunt.

Ab ijs rebus, quibus uiri iuſti ſtatus prę-monſtratus fuit, & quę viri iuſti cauſa factę ſunt. *Cap.* III.

QVoniam in immenſum protraheretur opus, ſi omnia ſeorſim, & fuſe exponere vellemus, quę ante uiri iuſti natiuitatem contigerũt, & eius cauſa facta ſunt: propterea, cum nos hanc tractationem ſummatim, & per capita complexuri ſimus; hunc etiam locum, qui latiſſime patet, paucis perſtringemus. Ea igitur omnia, quæ ad ſtatum, & uitam, moreſq; uiri iuſti pertinent, multo ante præmonſtrata fuere: quia, omnia, quæ ſcripta, aut facta ſunt, ad ipſius doctrinam, & inſtitutionem ordinata ſunt: & quæ in figura alijs contigerunt, uiro iuſto in ueritate euenerunt. Vir iuſtus in Abel, Noe, & alijs per-

Ro. 15.

1. Cor. 10

Gene. 4. 6

fectis

fectis uiris præſignatus fuit: Abrahæ,& po Gene. 17.
puli uocatio, uiri iuſti uocationem ſignifi-
cauit: Volatilium ex aqua creatio, huius Gene. 1.
hominis ex aqua renaſcentiam: Terra pro
miſſionis, patriam: Ieruſalem, ciuitatem, Gene. 6.
in qua uerſaturus erat: Arca Noe,domum: Exo. 17.
Melchiſedech oblatio, panem, & uinum:
Fluxus aquę materialis ex petra, eiuſdem Exo. 12.
ſpiritualem aquam: Agnus paſchalis,car-
nem,& modus quo agnus edebatur,modũ,
quo ipſe carnem ſibi dandam ederet: Cibi Leu. 7.11.
mundi, uirtutes,quas exercere,ut cibi pro
hibiti uitia, quæ fugere debebat: Lex in Exo. 34.
tabulis ſcripta, legem quæ in corde ſcri- Exo. 29.
benda erat:Sacerdotum veſtes, indumenta, Leu. 16.
quibus ſe induere debet.Sacramenta etiam
omnia, quæ iuſtis neceſſaria futura erant,
præmonſtrata fuerunt. Baptiſmus in tran Exo.13.14
ſitu maris rubri:Confirmatio, in oleo,quo
tabernaculum inungebatur:Euchariſtia,in Exo. 29.
manna:Pænitentia, in ſacrificijs pro pecca
to: Ordo in tribu Sacerdotali: Extrema 1.Reg.16.
unctio, in unctionibus regum, & maxime 2.Reg.2.5.
Dauidis,qui ter unctus eſt:Matrimonium, Ephe. 4.
in formatione fœminæ ex uiro. Variæ quo Gene. 17.
que uirtutes in uarijs patribus deſignatæ
fuerunt: In Abraham fides, qui proinde
dictus eſt omniũ credentiũ pater: in Iſaac Gene. 22.
obedientia; in Ioſeph prudentia, nec non 41

etiam

etiam gloria, & honor, quo afficiendus est: in Moyse, clementia: in Iob, patientia: in Dauide, persecutionum perpessio: in Elia, zelus: in Iosue, fortitudo: in Daniele, consilium: & denique in alijs, alię pręsignatę fuere uirtutes. De iustorum progressione prænunciatum fuit: ibunt de uirtute in uirtutem. De lumine: in lumine uultus tui ambulabunt: in lumine tuo uidebimus lumẽ: in eo uidelicet lumine, quod ab æterno manauit lumine: & alibi: lux orta est iusto, & rectis corde lætitia: lux nimirum illa, quę lucet in tenebris; sed tenebrę eam non comprehenderunt: De religione, & cultu: Populus, qui creabitur, laudabit dominum: De conuersione: Inuentus sum a non quærentibus me. De persecutionum perpessione: ęstimati sumus sicut oues occisionis. De disciplina: erũt omnes docibiles DEI. Et quoniam immensi esset laboris, uelle persequi quidquid olim factum, dictum, scriptum ue uiri iusti causa est, generatim, omnia pro ipso, & scripta, & dicta, & facta fuisse dicam. Etenim omnes doctorum libri, omnes legumlatorum leges, omnia sapiẽtum placita, omnia Patriarcharum gesta, omnia Prophetarum monumenta, omnia Apostolorum decreta, & denique, quidquid unquam dictum, scriptum, factumque Dei

Ps. 83.
Ps. 88.
Ps. 46.
Io. 1.
Ps. 101.
Isa. 65.
Ps. 43.
Ioa. 46.

uolun-

uoluntate eſt, ob uirum iuſtum factum eſſe nemo eſt (cum etiam Deus pro eodem homine factus ſit homo) qui negare poſſit. Cuius fidem confeſſores uitę exemplo amplificarunt; martyres morte confirmarunt: doctores, doctrina illuſtrarunt ac ſtabiliuerunt. Hęc quę diximus omnia, ſi quiſpiam uiri iuſti cauſa pręmonſtrata, & facta fuiſſe intelliget, non poterit eius magnitudinem, præſtantiamque non admirari: quam ſequenti capite adhuc apertius explicare nitemur.

A quatuor cauſis, uirum iuſtum conficientibus. Cap. IIII.

EArum rerum, quas parens natura procreat, dignitas atque perfectio, ex cauſarum, quę ad ipſas conficiendas conueniunt nobilitate & perfectione a ſapientibus æſtimari ſolet. Ideo nos quoque, ut uiri iuſti dignitatem, atque præſtantiam melius inueſtigemus, eas ex quibus conficitur cauſas, manifeſtare conabimur, ex quarum cognitione, ad huius uiri naturam melius inſpiciendam, quiſque cogitatione intrare multo facilius poterit. Viri ergo iuſti parētes, ſunt Deus optimus maximus, & ſancta mater Eccleſia. De patre legimus: qui

De inter. hom. cap. 10. & ſequentibus.

1. Io. 3.

non

Io. 1. non ex ſanguinibus , neque ex uoluntate
Rom. 8 carnis, neque ex uoluntate uiri, ſed ex Deo
Iob. 31 *Ps.* nati ſunt : item: In quo clamamus, Abba ,
Iſa. 44 Pater . Eſt enim Deus redemptor & forma
Gal. 4. tor eius ex utero. De matre , ſcriptum eſt :
Ps. 112 Illa autem quę ſurſum eſt Ieruſalem, libera
Is. 54 eſt, quæ eſt mater noſtra: & alibi: Qui habi
tare facit ſterilem in domo , & matrem
Filiorum lætantem . Nec enim poteſt quis
Deum habere parentem , niſi matrem ha-
beat Eccleſiam . Semen ex quo generatur ,
eſt uerbum diuinum, & diuina inſpiratio .
1. Pet. 1. Renati, ait Petrus Apoſtolus , nō ex ſemine
corruptibili, ſed ĩcorruptibili, per uerbū dei
uiui, &c. Eſt etiam ſemen , baptiſmi aqua
diuina uirtute fœcundata: quoniam , nemo
hanc uitam uiuit, niſi is , qui renatus fue-
Ioan. 3 rit ex aqua , & Spiritu ſancto . Forma ,
2. Pet. 1 eſt gratia , participatio uidelicet quædam
Gen. 2. diuinæ naturæ , diuinus quidam afflatus,
qua forma , ad ſtatum quendam ſupra na
turam , ut ſtatim dicemus, eleuatur : ut uir
iuſtus non ſit amplius homo , ſed partici-
Ps. 81 patione diuinæ naturæ, per gratiam, Deus.
Finis ad quem tendit, eſt clara diuinæ eſſen
1. Ioan 3. tiæ uiſio , quem finem cum nactus fuerit ,
Exo. 33 erit ſimilis Dei: quia eum uidebit ſicuti eſt
omne inquam bonum, & æterna uita: cum
Phil. 4 ſcriptus ſit in libro uitæ . Contempletur
nunc

nunc lector has singulas causas; Deum patrem, Ecclesiam Matrem, diuinum uerbũ semen, gratiam formam, uisionem Dei, finem, & perpendat quanta sit cuiusque causæ præstantia, & quanta sit uiri iusti dignitas, & excellentia, cum ex nobilissimarum causarum coitione generetur, intelliget. Quis uiri iusti patrem, æternum, immortalem, optimum, ditissimum, omnipotentissimum, & matrem sanctam, orthodoxam, ueritatis magistram, catholicam, fœcundam, & Christi sponsam, considerans, uiri huius dignitatem non cognoscet? Quis semen sanctum, impollutum, incorruptibile, uiuificum, purum, diuinum, ex quo uir iustus nascitur, animaduertens, ipsius nobilitatem, & præstantiam nõ intelliget? Quis naturam eius, cuius forma, & uita habetur a gratia, quæ est super naturale donum, naturæ diuinæ participatio quædam, ac spiritus Dei afflatus quidam, cognoscens, non obstupescet? Quis tandem, si contemplatus fuerit finem, uiro iusto paratum, æternam uidelicet beatitudinem, quę est status omnium bonorum aggregatione pfectus, quæ omnem rationẽ boni continet, quæ ex omni parte naturã perficit humanam, in admirationem, ob tam pręstantem naturam, & felicem condicionem

2 Pet. 1.

cionem, non rapietur? Contra uero, quis non existimet ignobiles, sordidos, abiectos, & miseros eos, qui ex patre diabolo, ex matre Babylone, & ex suggestione Dæ-

1. Ioa. 3 monis tāquā ex semine nascuntur? qui peccatorum maculis infecti,& affecti, humana quodam modo forma,& natura amissa, Dęmones imitatione fiunt, & filij Belial

1. Reg. 22 uocantur; quos tandem æterni cruciatus manent. O igitur singularem, & admirabilem uiri iusti generationem! quæ ex tam præstantibus, & diuinis causis efficeris: tu corruptibili semine non es infecta, carnis

Ioa. 1. uoluntate non es maculata, uiri libidine non es polluta, sed tota munda, tota pura, tota candida existis.

A super naturali, ac diuino flatu, quem uir iustus consecutus est.
Cap. V.

De inter. hom. cap. 18. SI quis semel quantam dignitatem per iustitiam suam uir iustus adeptus est, intelligeret, quin omnino obstupesceret, facere nulla ratione posset. Etenim is, qui iustitia ornatus est, non est amplius homo; sed homo homo; hoc est, perfectus

Ps. 26. 1. Ioan. 3. homo: immo, cum ex Deo, & Spiritu sancto natus sit, non est amplius homo, sed

parti-

participatione diuinæ naturæ, & spiritus, Deus, ac Spiritus. Per supernaturalem ergo generationem, qua renasci oportere Christus dixit, uir iustus ad imaginem, & similitudinem eius, qui fecit, & refecit ipsum, regeneratus, statum quendam supernaturalem, ac diuinum adipiscitur: ut non sit amplius, simpliciter loquendo, ex rerũ naturalium, sed supernaturalium ordine, non ex mundo, sed ultramundanus, non ex terra terrestris, sed ex cœlo cœlestis: vos ex mundo non estis, dictum est iustis: & denique non solum ob naturam humanã humanus; sed etiam ob participationem diuinę naturæ diuinus: uos Dij estis, dictum est iustis. Propterea Apostolorum princeps, dixit, Deum maxima, & preciosa iustis promissa donasse; ut per hæc efficerentur diuinæ consortes naturę. Viri ergo iusti, uere Dei genus sunt: & genus possunt iactare diuinum. Per gratiam itaque, quæ est quædam diuina forma, uir iustus, cum acquirit statum, qui talis, ac tantus est, vt verbis explicari, aut cogitatione comprehendi ab ullo mortalium, in hac vita, non posse putem. Per hunc statum uir iustus dignus efficitur, qui a Deo singulari dilectione ametur: per hunc statum, ab alijs creaturis, & hominibus impijs secernitur, atq;

Ioan. 3.
Dion. areo. de ecc. hie. cap. 2.
Ioan. 17
Ps. 81.
2. Pet. 1.
Act. 17.

quam longissime distat: per hunc statum, quoddam rerum omnium acquirit dominium: per hunc statum, eam amplitudi-
Ps. 48. nem, honoremque recuperat, quem primus pater amiserat: per hunc statum, supernaturales, &,ut ita dixerim, dei uiriles
2. Cor. 4. operationes æternam vitam promerentes exercet: per hunc demum statum, admirabilis hominibus, terribilis Dęmonibus, honorabilis Angelis, tribus diuinis personis Patri, Filio, & Spiritui Sancto carus, gratusq; existit. Finge te uidisse quēpiam ex hominum fęce hominem, sordidum, abiectum, derisum, & omni ex parte miserabilem, atque ærumnosum: Finge postea, aliquem Regem, hunc eundem ad participandum honorem, potentiam, ac maiestatem regiam adsciuisse; ita ut iam facie, habitu, incessu, uestibus, moribus & operibus Rex videatur alter. Tunc, si hunc tu hominem ita florentem cerneres, non ne diceres: Non est amplius ille: vel si est; quātum est mutatus ab illo? siquidem iste Rex quidam est. Idem de homine, qui prius iustitia erat spoliatus, postea iustitiā adeptus est, dicas licet: qui, a sordido, & misero, ac diabolico, in quo uiuebat statu, ad participandam dignitatem, honorem, gloriam, & naturam diuinam, a Deo adscitus est: qui

iam

iam facie, habitu,moribus,& operibus An gelus quidam, uel Deus videtur alter. Huius rei, quā hoc loco explicare conamur, illustrem habes in Iosepho figuram; qui cū antea abiectus, sordidus, ignotus, impotens,ac destitutus iaceret in carcere, postea a Pharaone ad regni consortium euectus, stola byssina indutus, aurea torque ornatus, annulo donatus,regia maiestate decoratus, alter Rex habitus est: cum uno tan tum regni solio, eum rex præcederet. De statu autem impij, si contraria dixeris,quāta in miseria uersetur, quam sordidus sit, quam miserabilem uitam uiuat, facile intelliges. Lapsus est enim in statum quendā calamitosum, natura humana indignum, & omni aliarum rerū condicione,multo inferiorem. Itaque, est omni creatura longe inferior, Dęmonibus subiectus, Angelis ingratus, ac Deo creatori suo exosus. Quæ cum non tam verbis amplificanda, quam cogitatione examinanda sint, ad alia, hæc piorum mentibus meditanda relinquens, me confero. Gen. 41

A natiuitate, quæ maximo cum gaudio celebratur. Cap. VI.

MAgna cum pompa, magnifico regioque apparatu, filiorum Principum

natalitij celebrantur dies. Ludi eduntur, ſimphoniæ undique exaudiuntur, populi ex omni parte confluunt, tota ciuitas exultat, omnia denique ſunt lætitię, & uoluptatis plena. Hæc lætitiæ, hæc gaudij eduntur ſigna, cum naſcitur, Homo, res uidelicet quędam imbecillis, infirma, & uana; filius inquam irę, & inimicus Dei. Cuius pompę rumor ad exteras, longeque remotas interdum ſolet penetrare nationes. Naſcitur peccator, & in terris magna eſt lętitia naſcetur uir iuſtus, & nullum in cœlo exiſtet gaudium? naſcetur inimicus Dei, & mundus gaudebit; naſcetur Dei filius, & cœlum nullum dabit lętitiæ ſignũ? exultabit terra de natiuitate carnali; non exultabit paradiſus de natiuitate ſpirituali? Apertius dicam: Viri, alias ſanctitate celebres tam infauſtum, atque infeſtum hunc carnalis natiuitatis diem eſſe ſenſerunt, illum ut uehementer execrati fuerint. Pereat, dicebat Iob, dies, in qua natus ſum: dies ille uertatur in tenebras: non computetur inter dies anni: Dies ergo huic contrarius, ut eſt is, in quo uir iuſtus naſcitur, dies fauſtus, auſpicatus, & feliciſſimus, qua pompa quibus gaudijs celebrandus erit? quando quidem hac die uir quidam ex Deo, & Eccleſia, terræ, & cœlo gratiſſimus, naſcitur:

Pr. 4. Eph. 2. Iere. 20. Iob. 3.

cuius

cuius natiuitati Dei ministri, & Angeli assi stunt, & obstetricantur: dum nascentem puerum suscipiunt, innocentiæ pannis inuoluunt, in cunabulis collocant, uagientē consolantur, ei delicias faciunt, ab omni maleficio, & fascinante oculo custodiunt, cui tādem tota spirituum cœlestium turba arridet. Huc facit quod legimus; ita gaudium esse in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis. Contemplare quæso, quanta sit in cœlo lætitia, non de uno, non de decē, non de quinquaginta, sed de nonaginta nouem iustis, & tunc intelliges, quanta cum uoluptate, quantoque cum gaudio unius uiri iusti celebretur natiuitas. Huc pertinet gaudium illud, quod Pater ob filij prodigi reuersionem demonstrari uoluit. Huc quoque facit gaudium, quod Angeli in natiuitate Christi, ostēderunt, cum cecinerūt: Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. In hunc etiam locum uenit lętitia illa de dragma inuēta. Huc denique, quæ in baptismo Christi facta, & audita fuere, referri possunt. O igitur felicem natiuitatē, nō execratione, sed benedictione dignam! Non pereat hic natalitius dies, sed inter alios principem obtineat locum: nullis inuoluatur tenebris, sed

De inter. hom. cap. 23.

Luc. 15.

d. 59. quia sanctificat.

Luc. 15.

Luc. 2.

Luc. 15.
Luc. 3.
Mar. 1.

clarissima solis luce refulgeat: nulla afficiatur amaritudine; sed omni repleatur lætitia: & cum Deo sit gratissimus, requirat eũ desuper. Hic hic dies, sanctissime colẽdus; atque candidissimo calculo notandus est; cum in eo nascatur filius Dei, qui est princeps, & Rex in sæcula. At uero infelicissimus est dies ille, in quo, is nascitur, cuius
Eze. 16.
generatio est de terra Chanaam, pater Amorrhæus, mater Cetæa: in cuius ortu, nõ est præcisus umbilicus eius, nec est lotus aqua in salutem, nec sale salitus, nec inuolutus pannis. In hac natiuitate tristatur cœlum, mœret ecclesia, omnes quodã modo creaturæ mæstitiam præse ferunt: contra uero infernus lætatur: iubilant, & gaudio exiliunt Dęmones. Hic dies pereat, hic dies inuoluatur tenebris, hic dies repleatur amaritudine, hic dies non computetur inter dies anni, hunc diem infaustum, & infestũ non requirat Deus desuper.

A vera nobilitate, dum virum iustum vere nobilem esse demonstratur. Cap. VII.

MVlta, a multis, de vera nobilitate, ex qua hominum dignitas, & excellentia a plerisq; fere potissimum æstimari solet,

disputantur: & omnes, qui cum ratione hac de re scripserunt, in hoc conuenere, eam ab una nasci, ab eademque conseruari uirtute, & ab uno uiolari, atque corrumpi uitio: ut uera nobilitas non tam a maioribus per generationem accipiatur, quam per ueras, & egregias uirtutes a quolibet acquiratur, atque per easdem construetur. Nam, cum omnes homines de eodem lutulento uere se iactare possint genere; quid est, quod aliqui nobilitatis splendorem sunt adepti? quid inter nobiles & ignobiles, discrimen posuit? nonne uirtus, qua alij præ aliis fulserunt? Vna ergo uirtus nobilem ab ignobili secernit. Etenim, quid est, quod pluris facimus stannum, quam lapides? & æs, quam stannum? & argentum, quam æs? & aurum, quam argentum? cum tamen quæ diximus omnia ex eadem nascantur terra. An quia in se aliquid perfectionis habent, & uim aliquam possident, illa, & non ista? Quid est, quod rosa inter flores obtinet primas, cũ tamẽ ex terra, ut alij flores, & ex spinis nascatur? uis certe aliqua, quam in aliis non reperies floribus. A uera igitur uirtute, uera nascitur nobilitas. Profer nunc mihi aliquẽ ex utraque familia nobilissima, & antiquissima natum; iustitia tamen carentem; qua

si caret, omni uera uirtute caret, uel si quã habet, imperfectam habet: & istum confer cum homine ex terra nato, iusto tamen, in quo uirtutes omnes reperiuntur, quas secum Christiana iustitia necessario affert: utrum, nobiliorem iudicabis? Vter, dic quæso, nobilior, an Turcarum Imperator iniquissimus, an minimus Christianus iustus? Ille ex genere diaboli natus, hic ex genere diuino genitus: ille nullas ueras uirtutes habet, ex quibus uera oritur nobilitas, immo uitiis omnibus redundat, unde uera fluit ignobilitas; hic uitiis omnibus uacat, & uirtutibus abundat omnibus: ille male uiuendo nobilitatem naturæ amisit humanæ; hic honeste agendo, nobilitatẽ adeptus est diuinam: ille, si quam habet adumbratam nobilitatem, ab aliis accepit; hic, quam habet a maioribus nõ obtinuit: ille tanquam filius prodigus alienus a domo paterna custos est porcorum, quorum cibis pascitur; hic in domo paterna manens, bona domestica conseruat, & diuinis uescitur cibis. Siste hic Persarum Reginam, & uetulam Christianam: illam tanquam ignobilem reiiciam, & floccifaciã; hanc tanquam uere nobilem, & illustrem uenerabor, & admirabor. Cedo mihi pannosum quendam, ac misellum rusticum,

Luc. 15

nomi-

nomine tamen, & re Christianum: quis audebit hunc ignobilem appellare? hunc inquam, qui omnibus uirtutibus est ornatus, qui est Sanctorum ciuis, domesticus Dei, hæres æternæ uitę: hunc, inquam, cuius generatio est legitima, pura, impolluta, diuina, cuius denique genus, est diuinum. Quis uocet eum ignobilem, quem Deus, & Ecclesia, filium, Christus fratrem, & Angelus conseruum appellat? Solus itaque uir iustus est uere nobilis. Etenim, uera nobilitas, ut uere, ac sapienter quidam scripsit, ex unctione gratiæ Spiritus sancti, qua solum boni Christiani inunguntur, nascitur: quo fit, ut ij soli sint uere nobiles, qui uere sunt Christiani: & ideo, præstantissimus titulus censetur, qui Gallorum Regi datur: Christianissimus. Nemo igitur sit, qui uiri iusti, dignitatem, nobilitatem, & excellentiam non agnoscat, non suspiciat; cum ueram sit nobilitatem nactus, & ex semine nascatur diuino. Hæc, quæ de nobilitate uiri iusti diximus, qui non intelligit esse uerissima, is sane ignobilis censendus est; quippe qui rationis usu orbatus est. Impij autem, cum ueris, & perfectis uirtutibus careant; cum gratia sint spoliati: cum male agendo nobilitatem humanę naturæ ex parte amiserint, cum filij diaboli sint, obscuri

Ephe. 2.

Psalm. 21.

Apo. 19.

scuri

1. Reg. 2. ſcuri, ignobiles, & ſordidi iudicandi ſunt: cum ſcriptum ſit: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, ſunt ignobiles.

A varijs nominibus, quibus appellari ſolet. Cap. VIII.

QVæ præſtantiora, & digniora ſunt, ob uarias, quas continent perfectiones, uarias quoque appellationes ſortiri ſolent. Propterea, cum uir iuſtus ſit res quędam præſtantiſſima, uariis nominibus in diuinis nuncupatur literis: quorum nominum, bonam hoc capite partem, numerabimus, ut ijs cognitis, tanti uiri excellentia adhuc cognoſcatur apertius. Nomina
2. Cor. 5. uero iſta, hæc fere ſunt. Noua creatura, interior homo, ſpiritualis homo, ſpiritus, cœleſtis Adam, corpus iuſtitiæ. Impius autē, his uocibus nominatur. Vetus homo, exterior homo, humana ratio, caro & ſanguis, terrenus Adam, corpus peccati, iumentum inſipiens, fomes, & uanitas. Item uiri iuſti uocantur, reliquię, quia Deus eos ſeruat, & pauci ſunt, nouus populus, populus Dei, hęreditas Dei, populus acquiſitionis, generatio iuſta, gens ſancta, regnum, regale ſacerdotium, filij Dei, Dij.

Impij contrariis omnino appellationibus nominantur. Filij diaboli, siue Belial, generatio peruersa, generatio praua, generatio adultera, genimina uiperarum, filij perditionis. Insuper, viri iusti nuncupantur Col. 1. Christi, siue uncti, Sancti, uocati, electi, timentes Deum, inuocantes Dominum, uasa in honorem, sicuti impij, uasa in contumeliam. Diuus Ignatius in quadam epistola, uiros iustos, & bonos Christianos, Christiferos, Spiritiferos, Deiferos, quod Christum, Spiritum, & Deum in corpore suo 1. Corin. 6. portent, sapientissime nominauit. Immo, quod est consideratione dignum, philosophi, & poetæ, bonos uiros, Deo cognatissimos, propinquissimos, simillimos, familiarissimos, consilio Iouis pares, Deo æquales, & Deos appellarunt. Clem. 4. Str. Has, si quis singulas appellationes diligenter animo tractauerit, atque perpenderit, maximam esse uiri iusti dignitatem, & perfectionem facillime intelliget.

A varijs descriptionibus, quibus viri iusti natura uarie explicatur.

Cap. IX.

VT adhuc apertius uiri huius præstantia, & natura perspiciatur, uarijs eum ratio-

rationibus describere conabimur. Quidá, uirum iustum, siue Christianum sic descripsit. Vir iustus est is, qui uera scientia, qua Deus cognoscitur, & fide, qua ei creditur, & obedientia, qua eius mandata seruantur, prçditus est: Vel hoc modo: vir iustus, est homo Fidelis per baptismũ a Deo ad imaginem Filij sui regeneratus, cuius doctrinam confitetur, ac profitetur: vel alio pacto: vir iustus, est Dei & Ecclesiæ Filius, ex Spiritu sancto, & uerbo Dei genitus, gratia, qua supernaturales operationes æternam uitam promerentes exercentur, ornatus: vel sic: Iustus est, qui de Deo cogitat, Deum vult, Deum sapit, & quidquid agit, Dei causa agit: Aut tali ratione: uir iustus, est homo diuino lumine illustratus, & diuino amore incensus. Vel certe, hoc modo: vir iustus, est is, qui est in Deo, & Deus est in ipso, ac proinde, unus spiritus effectus est cum Deo: ita ut, ipse in Deo, & Deus in ipso uiuat. Is inquam est, in quoDeus quodam modo iterum fit homo, dum ipsum assumit, sibique unit. Vt sicuti naturç humanæ lapsus, per naturç humanç assumptionem corrigitur; ita per priuatam quandam unionem Dei cum uiro iusto, ipsius errores tolluntur, & ipse saluatur. Quoniam, etiam si Deus ceteros homines

1. Ioan. 4.

1. Cor. 6.

mines, hoc uno relicto, assumeret, huius hominis non corrigeretur lapsus,& hic homo, nunquam iustus efficeretur: qua assumptione, & unione facta, uir iustus dicere potest: uiuo autem ego, iam non ego: uiuit uero in me Christus. Possumus etiam ex diuinis literis uarias huius hominis colligere descriptiones. Vt ecce: vir iustus, est pupilla oculorum Dei: vir iustus, est palma florens, uel cedrus plantata in domo Domini: vir iustus est arbor plantata secus riuos aquarum, quæ misit ad humorē radices suas, & non timebit cum uenerit æstus: cuius folium est uiride,& non decidet, nec desinet facere fructus, quos dat in tempore suo; cui denique omnia, feliciter cadunt. Item, uir iustus, est lux mundi, sal terrę, & lucerna, quæ in tota domo splendet. Aptares etiam viro iusto illam descriptionem, qua, Deus Iob descripsit, cum dixit: Erat in terra Hus uir, qui erat simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Et quoniam hic homo ob suam præstantiam non facile describi potest, sequentibus capitibus, dando ei uaria attributa, fusius eum pingere, & explicare conabimur. Impios homines, diuus Petrus, his uerbis eleganter descripsit. Fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus caligo

Gal. 2. *Zach. 2.* *Psalm. 91.* *Psalm. 1.* *Ierem. 17.* *Mat. 5.* *Iob. 1.* *2. Pet. 2.*

caligo tenebrarum reseruatur. Posses etiam uirum impium, in quem priuatam quandam potestatem Dæmon habet ex historia lunatici, de quo in Euangelio fit mentio, ita describere. Impius est uti lunaticus, qui male patitur, qui sępe cadit in ignem, & aquam; quem spiritus malus apprehendit, elidit, dissipat, & discerpit. Itaque præstaret omnes inferni Dęmones habere in corpore, quam unum peccatum mortale habere in anima: cum magis unum lethale peccatum, quam Dæmones omnes homini noceat. Quare, si cuiusque animus horrescit, dum quempiam a Dæmone uexari cernit, multo maiore horrore afficeretur, si quid efficiat peccatum in anima peruideret. Denique, multis modis ex diuinis literis impium describeres, si, quæ de eo in scriptura dicuntur, ipsi tribueres; ut si diceres: Impius is est, qui in uia tenebrosa ambulat, nescit ubi corruat, funibus peccatorum constringitur, lętatur cum male fecerit, gloriatur in rebus pessimis, panem iniquitatis comedit, uinum iniquitatis bibit, Christũ uilissimo rerum pretio uendit, & osculo prodit: Impius is est, qui nec uidet, nec audit, nec gustat, aut alia ratione quidquã spirituale, cũ vita spirituali careat, sentit, q denique ꝓfundissimo peccati sõno est sepultus.

Mat. 17. *Mar. 9.* *Luc. 9.* *Pro. 14. 5.* *Rom. 13.*

Ava-

A uariis, & illustribus titulis, quibus uir iustus ornari potest. Cap. x.

VAni, & superbi homines, ut quotidiana experientia docet, illustribus quibusdam titulis appellari uolunt, idque vehementer affectant. Qua inani appetitione, ita interdum capiuntur, ut non uideant, uituperio potius, quam honori, hos sibi titulos esse, cum ea dignitate, quę ipsis tribuitur sępenumero careant, & is quo uocitantur titulus, iure eis non conueniat: non secus ac, si baiulus aliquis, eques, uel doctor, appelleretur. Pro quibus titulis retinendis, inter se ita sæpe digladiãtur, ut non modo rem, sed & uitam ipsam pro eorum conseruatione, exponere sint parati. Ad summam, eo tandem humana deuenit adulatio, ut quilibet de fece homo, Dominus nominetur. O cœcas hominum mẽtes! O studia uana! vis uocari dominus & alijs seruis? uis uocari dominus, & unde uiuas uix habes? uis uocari dominus, & tibi ipsi non dominaris? Gaude, & lætare ista inani appellatione; & interim, tua uera miseria utere. si te cinerem, puluerem, & fimum appellares, & appellari uelles, utique non errares. mater tua est terra; filij tui erunt uermes: imo tu uermium

Gen. 3.

Eccl. 17.

19.

Iob. 17.

om-

cibus. Omnes itaque sumus de mūdo mūdani; de terra terreni, & de luto lutulenti: omnes inquam sumus ex fimo formati, fimumque gestamus omnes: & licet, nunc, non sit omnibus externus titulus unus, cum unus, Comes, alius Marchio, alius Princeps, alius Dux, alius Rex, alius Imperator uocetur; aliquādo tamen erit; cum in fimum cōmutabimur omnes: quia tunc omnes uocabimur, Fimus. Sed postquam tanti hi humani fiunt tituli, uideamus an aliqua ratione uiro iusto tribui queant: quod fieri posse omnino exploratū habeo. Etenim, quis non appellet eum Dominum, qui sibi, & mundo, & rebus quæ in eo sunt omnibus dominatur? is, cuius causa, ut postea dicetur, factus est, & conseruatur mundus? Quis eum, qui mundum uincit, Dęmones expugnat, uictoriam de suis omnibus inimicis refert maximam, generosum, & inuictum Ducem non nominet? Quis Dei filium, & æternæ uitæ hęredem, principem non uocet? Quis esset, qui si uiri iusti res gestas, uirtutum splendorem, & generis nobilitatem consideraret, eum excellētem, & illustrem nominari posse negaret? Vere etiam, si quis animaduertet uirum iustum offere orationū hostias Deo gratissimas, & esse regale sacerdotium, ipsum reuerēdum

De amore, & concor. fratr. Ca. 8.

Sap. 1.

1. Pet. 2.

1. Cor. 3.

nuncu-

nuncupabit: cum sit reuera omni reueren- *2. Cor. 6.*
tia dignus. Insuper, si quis intelligeret uirũ *2. Cor. 6.*
iustum esse quoddam Dei templum, & Spi-
ritus Sancti Sacrarium, & Deum in ipso tã-
quam in sua sede habitare, reuerendissimũ
certe appellaret. Amplius, si animaduerte-
res quanta sit, & notitia, & fama, & gloria
uiri iusti, ni apud homines, saltem, quod
maius est, apud Deum, & beatos spiritus,
illustrissimi, & clarissimi titulo, eum ornare
non dubitares. Iam uero, si uiri iusti men-
tem ab omni peccati macula mundam, ab
omnibus ignorantiæ tenebris liberã, ab om
ni perturbationum caligine alienam, & ue-
luti serenum cœlum, claram, & uero lumi-
ne illuminatam, oculis internis inspexeris;
cur eundem serenissimum uocitare uerebe
ris? Ad hęc, cõtemplare uiri iusti animã om *Ioan. 1.*
ni uirtutum genere decoratam, oleo diuino *Ps. 44. 88.*
inunctam, diuina gratia consecratam, ac
proinde diuino splendore fulgentem: ubi
autem hanc animam sic affectam uideris;
cur in iusto sacram quandam, ac regiam,
seu imperatoriam maiestatẽ nõ agnosces?
Demum, ne per omnes percurram hono-
ris titulos, qui uirum iustum, tot tantisque
diuinis donis ornatum, & in perfectione
Christianæ uitæ constitutum esse intelliget
eum, sanctum, beatum, ne dicam sanctissi-

mũ,& beatissimũ, priuata ratione, nominare poterit. Neque, dum hęc de uiro iusto affirmo, aliquid ijs, qui sunt in aliquo honoris,& dignitatis gradu constituti iniuste detraho, aut detrahere propositum habeo; sed huic uiro quod ipsi iure debetur, ni fallor tribuo. Gaudeant alij suis, suo modo, titulis; gaudeat & iustus suis; quem uere Dominũ, Principem, Ducem, Regem, Imperatorem, Reuerendum, Clarissimum, Illustrẽ, Serenissimum, & Beatum absque ullius iniuria appellari posse existimo. Ceteri uero, qui humanis titulis delectantur,& gloriantur, sibi ipsis, in primis, dominentur, principatum animi retineant, seipsos recte ducant, se prudenter regant, sibique accurate, imperent: caueãt, ne sint ignominia digni & ignorantia obscuri, ne peccatis sordescant, nę malitiæ tenebris obscurẽtur,& denique, ne uitę genere se iniquos, & minime beatos reddant. Sint itaque & corpore, & animo, Domini, Principes, Duces, Reges, & Imperatores;& foris intusque clari, illustres, sereni, sacri, & beati.

Vir iustus est imago, & similitudo uiua uiuentis Dei. Cap. II.

MAximam esse uiri iusti dignitatem, facillime quispiam ex eo cognosceret,

ret, si eum uiuam quandam uiuentis Dei non modo imaginem, sed etiam similitudinem esse intelligeret. Nam, cum legimus hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei, id ita accipiendum est, ut ratione donorum naturę, imago, ratione uero donorum supernaturalium, similitudo, ut multi patres eleganter exponunt, esse dicatur. Ceterum, cum in solo uiro iusto supernaturalia reperiantur dona, de his loquor donis, quę homin Deo similē reddūt solus, iustus similitudo erit, & dicetur Dei alij uero, q iustitia carēt, solū imagines. Est ergo uir iustus imago, & similitudo Dei: imago est in natura; similitudo in uirtute. Et quod consideratione dignum est, non solum uir iustus est imago, & similitudo Dei, sed, Ad, imaginem & similitudinem: quæ particula, Ad, similitudinem quandam uiri iusti cum natura diuina maiorem, & magis expressam, nobis demonstrat. Superat nobilitate ceteras rationis expertes creaturas humana natura; quod illę, sunt solum quędam Dei uestigia; hæc uero, si absque donis diuinitus elargitis consideretur, imago; eadē, iustitia exornata, etiā similitudo. Cum ergo homo suis naturalibus dotibus lōgissime creaturas alias nobilitate ātecellat, cū non modo uestigium, sed etiam imago in

Gen. 1.

Bas. Cyril. S. Diado.

De inter. ho. ca. 36.

menſi Dei ſit; quantum idem homo, ſupernaturalibus, & diuinis ornatus donis, alios homines his ornamentis orbatos, ſuperabit? cum non ſolum imago, ſed etiam ſimilitudo prępotētis Dei exiſtat: ut multo magis uir iuſtus, uirum iniquum dignitate ſuperet, quam homo gratia ſpoliatus creaturas alias. Ex quibus colligere apertiſſime licet, uirum hunc eſſe creaturarum pręſtantiſſimum; ut inter iuſtos & iniuſtos, in morali uita, nulla proxime fieri cōparatio poſſit. Intelligat nunc is, qui uiri iuſti celſitudinem cognoſcere aliquo modo cupit, quā ta ſit immenſi numinis dignitas, & maieſtas; & tunc pręſtātiam, & celſitatem huius uiri, qui eſt uiua quædam ſimilitudo uiuentis Dei, aliquo pacto, poſt longam tamen, & accuratam contemplationem, intelliget. Finge tibi pictorem aliquem forma, & arte inſignem, tres tabulas pingētem: in quarū prima ſua ueſtigia ſolummodo pingat: in altera ſe totum adumbrata quadam ratione deſcribat: in tertia uero ſe integrum ad unguem artificioſe effingat, & alterum ſe, exprimat. Ex quibus imaginibus, ſecunda, melius quam prima, & tertia multo melius quam ſecunda artificem, cum illa imperfecta, hæc uero pfecta ſit, reprę ſentaret. Priori imagini, in qua ſolum pictoris ueſtigia

apparent, creaturas ratione carentes, alteri, homines iustitiæ expertes, tertię uiros iustos similes esse diceres. Ex quibus nascitur, tantum uiros iustos, iniustis, & alijs creaturis dignitate præstare, quantum tertia imago, ob eam, quam habet cum factore suo similitudinē, alijs præstat imaginibus. Nec mirum uideri debet, si uir iustus est Dei similis, cum natus sit ex Deo. Nam, cum omne agēs, ni facultas ei desit, simile sibi generet; Deus qui infinitam habet potentiā, sui procul dubio similes procreabit filios: & licet ob repugnātiam facti, alios Deos, cum plures Dij esse nō queāt, producere nō possit: tamen, ob infinitionem potētiæ suę aliquid sibi proximū, atque sui ualde simile extra se producet. Est ergo uir iustus factus ad similitudinem, non herbarum, nō arborum, non elementorum, non stellarum, non Lunæ, non Solis, non Angelorum: sed immensæ, atque infinitæ maiestatis Dei; cui sit honor, & laus in sæcula. At uerò uir impius, cum sit ex diabolo, cū charactere bestię sit notatus, cum peccatorum maculis sit infectus, & conspurcatus, licet quandam infuscatam Dei imaginem retineat; tamen, non est Dei similis; quod, in uiro iusto, est quid maximum, & omni consideratione, & admiratione dignum.

1. Ioan. 4.

Deut. 6.

1. Ioā. 3.

Apoc. 13

Anima iusti est ornatissima, & pulcherrima Dei, seu Christi Sponsa.
Cap. XII.

SI quæ ex humili loco nata fœmina, sordidis uestibus induta, & impudicitiæ turpitudine maculata, ab aliquo Rege in uxorem duceretur, & sordes, & turpitudinem, & infamiam amitteret omnem: quippeque regiam dignitatem, amplissimos titulos, splendorem denique nancisceretur summum. Tale quid animæ iniustę accidit: Siquidem, vbi anima, peccando, cum Dæmone fornicata est, ignobilis, turpis, atq; infamis euadit: sed cum Deus eam ad se reuocat, & per iustificationem in sponsam ducit, inexplicabilem quandam dignitatẽ

Ierem. 3. consequitur. Hoc ipse Dominus per Ieremiam nos apertissime docet, cum ait: Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamẽ reuertere ad me, & ego suscipiam te. Ergo saltem amodo uoca me, Pater mi, dux uir-

Franc. Abbas. ginitatis meę tu es. Quo loco, cum quodam pio uiro exclamare licet: o pietas! o benignitas! o miranda caritas! quid unquã clementius? quid dulcius? Dum ergo Deus, misericordia sua, animam iustã sibi in spiritale matrimonium coniungit, ipsa, nobi-

Ps. 44. lissima, pulcherrima, & gloriosissima euadit:

dit: & cum ſit ſummo Regi coniuncta, merito Regina nominatur: de qua legitur: Aſtitit Regina a dextris tuis in ueſtitu deaurato, circundata uarietate. Eſt ergo iuſti anima, quod etiam ex illo ſupremo cantico, in quo huius matrimonij continentur facta, apertiſſime cognoſcitur, Regis regũ ſponſa. *Cant.1.* Huius ſpiritalis matrimonij ſponſalia facta ſunt, cum per quendam prophetam Deus dixit: Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus. *Ose. 3.* Cogita modo, pie lector, quanta ſit tanti ſponſi dignitas, & quanta ſit ſponſæ præſtantia cognoſces. Etenim, exiſtimandum eſt, talem ac tantũ ſponſum, non ignobilem, non indignam ſe ſponſam, ſibi copulaſſe: cuius tamen dignitas, & decor omnis, ipſi, a ſponſo tributus eſt ſuo. Contemplare, quæſo Chriſtiane lector, quibus appellationibus, quibus uerbis, tantus ſponſus, hanc ſuam alloquatur ſponſam. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *Cant.2.* Ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarum. *Cant.1.* Surge, propera amica mea, formoſa mea, & veni. Oſtende mihi faciem tuam: ſonet uox tua in auribus meis: uox tua dulcis, *Cant.2.* *Cant.5.*

& facies tua decora. Quam pulchra es amica mea; quam pulchra es! Non ergo amplius eam turpem, non fornicariam, nō seruam, non ancillam uocat; sed amicam, sororem, sponsam, formosam, columbam, dilectam, unicam, & mulierum pulcherrimam: se quoque, non fortem, non dominum, non potentem, non Deum exercituū, non terribilem; sed amicum, dilectum, fratrem, sponsum, pacificum, saucium, unguē tum effusum, fasciculum mirrhæ, & totū desiderabilem appellat. Denique, ut ex illo diuino epithalamio cognoscere apertissime licet, mirifice eam laudat, & describit. Hæc, & alia, quæ in illo supremo cantico leguntur, si quis secum animo tractaret, summa quadam admiratione, ob tantam animæ iustæ dignitatem, afficeretur, atque omnino obstupesceret. Relinquo hoc loco piorum mentibus cogitandum, quibus torquibus, quibus lapillis, quibus monilibus, quibus phrygionicis uestibus, quo deniq; muliebri mundo, tam bonus, tam diues, tam potens sponsus, sponsam orneuerit suam: cum eam sibi copulans, ei dixit: In caritate perpetua dilexi te: Ideo attraxi te, miserans tui. Benedictus Deus, qui tam magna, tanque preciosa dona, donauit hominibus. Anima uero impia, quę a patre,

Ose. 2.

& a ſponſo ſuo recedit, & ait: Vadam poſt amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas meas, & lanã meam, & linum meũ, oleum meum, & potum meum. Contra quam indignatus Deus, hæc ei minatur: Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius: & uir non eruet eam de manu mea, & ceſſaré faciam omne gaudiũ eius, &c. Dic, o anima iniuſta, & impia; qui nam ſunt iſti amatores, poſt quos abire uis, niſi mundus, caro, & Dæmones? o miſera, atroces inimicos, amatores uocas? poſt eos, qui te perdere continenter quærunt, uis abire? Quid iſti tui amatores tibi dare poſſunt, niſi panem doloris, aquam cala mitatum, oleum adulationis, & potum fellis? Quid ab iſtis expectas? lanam, & linũ, minima uidelicet, caduca, & leuiſſima bona. Cur te honor, & famę cura, ne iſtos amatores ſequaris, non impedit? cur te paterna gloria, & beneuolentia non retardat? cur tanti ſponſi dignitas, pulchritudo, & amor, ab indignis, & turpibus, & falſis ama toribus, non retrahit? Non uides fore, aliquando, ut iſti tui amatores te deſerant, & ob tuam miſeriam lętentur? Quamobrem, anima impia, tanquam fornicatrix, & adul tera, relicto Patre, & Sponſo ſuo, Dęmoni bus ſe ſubſternit, quam ipſi, in primis, om

ni gloria & honore ſpoliant: deinde uariis modis conſpuroant, & fœdant; dum eam omni turpitudinis genere inficiunt, & omnino immundam reddunt: quam, ubi commacularunt, & uiolarunt, irrident, & ſubſannant.

Vir iuſtus eſt, deliciæ, & amores Dei. *Cap.* XIII.

QVis viri iuſti condicionem non admiraretur, atque ipſius uiuendi rationē
Pſalm.44. non æmularetur? ſi animaduerteret eſſe eũ, quem Deus ſingulari dilectione amat, & ita amat, ut ab ipſius ſpecie capiatur, in ipſoq; amando, ita acquieſcat, & oblectetur, ut ſuas eum delicias nominet. Deliciæ
Pro. 8. meæ, (ipſe dicit) eſſe cum filiis hominum. Maximum ſane quid, & omni cogitatione dignum eſt, ita Deum hominem amare, & in eo delectari, ut eum ſuos amores, ſuas
Henri. delicias, ſua oblectamenta uocet. Merito
Harph. igitur quidam hanc rem admiratus, in hæc verba prorupit: Putabam Domine, quod potius deliciæ tuæ eſſent cum choris Angelorum, ubi diuinitatis gloriam, thronis, & poteſtatibus admirandus ſuperiorum naturarum oculos reuerberas, ubi lucem inhabitas inacceſſibilem; ſed illa tua clemen

tiſſi-

tiſſima pietas, & bonitas adorāda, delicias ſuas dicit eſſe cum filiis hominum. Hoc idem fortaſſe ſignificare uoluerunt, qui dixerunt, Hominem eſſe Dei ludum. Huc facit illa uiri iuſti deſcriptio, qua dicitur iuſtum eſſe uelut palmam florentem, plātatam in domo Domini: quaſi anima iuſti Pſalm.91.
ſit lætiſſima quædam arbor, ſeu amœniſſimi quidam hortuli, quos ſibi Deus ad delicias capiendas colit, & exornat. Hortus concluſus ſoror mea, ſponſa: cuius emiſſiones, eſt paradiſus malorum punicorum: Cant.4.
cuius aromata flante auſtro fluent. Veniat dilectus meus in hortum ſuū, & comedat fructum pomorum ſuorum. Ad has delectationes, & delicias, quas Deus ex anima iuſti percipit ſignificandas, pertinent multę ſententiæ ſponſi, quæ in cantico habentur: ut iſtæ: Pone me ut ſignaculum ſuper Cant.8.
brachium tuum; quia fortis, ut mors, dilectio: Quam pulchra es, & quam decora cariſſima in deliciis? Auerte oculos tuos a me, Cant.7.
quia ipſi me auolare fecerunt: Vulneraſti Can. 6.
cor meū in vno oculorū tuorū, & in uno crine colli tui: Surge, propera amica mea, Can. 4.
ſpecioſa mea, et veni: Aperi mihi ſoror mea, Can. 5.
amica mea. Et in Apocalipſi, ait Deus: Ecce Apoc.3.
ſto ad oſtiū, & pulſo: ſi quis audierit vocē meā, & aperuerit mihi ianuā, intrabo ad illū

(ad iuftum uidelicet, quia Deus non habitat nifi cum iuftis) & cœnabo cum illo, & ipfe mecum : ideft, delectationem ab eo capiam, gaudiumque ipfi impertiam. Quis hoc loco in admirationem non rapiatur? quis feliciffimam uiri iufti condicionem non obftupefcat? cum tantum uideat in eo effe dignitatis, ornamenti, & fplendoris, ut Deus fuas delicias eum nominet, cum eo effe uehementer cupiat, & familiariffime cum eodem agere defideret. Huc faciunt uerba, quæ conftantiffima illa Machabæorum mater una cum filiis aliquando pronunciauit: Dominus Deus afpicit ueritatem, & confolabitur in nobis; quemadmodũ in proteftatione cantici declarauit Moy-
2.Mach.7 fes : & in feruis fuis confolabitur. Ad hũc etiam locum pertinent innumera facrarũ fcripturarum loca, in quibus uidemus, ita Deum cum iuftis fermonem habere, ac tractare, ut inter fe folent, qui inter fe multũ amant: ut ecce: Ego enim fcio cogitationes, quas cogito fuper uos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis : ut dẽ uobis finem, & patientiam : inuocabitis
Ierem. 29. me, & ego exaudiam uos : Cum ipfo fum in tribulatione eripiam eum, & glorifica-
Pfalm. 90. bo eum : Fili præbe mihi cor tuum, & aliæ id genus, quæ in diuina fcriptura leguntur fen-

sententiæ; quas si quis attente legeret, & uoluptate, & admiratione afficeretur maxima.

Vir iustus est tabernaculum, & templum quoddam uiuum uiuentis Dei.

Cap. XLIII.

INter alias rationes, quibus diuina oracula nobis uirum iustum describunt, hæc est; quod eum, quoddam Dei, & Spiritus sācti templum, esse affirmant. Templum Dei quod estis uos, ait Apostolus, uiris iustis: & alibi: An nescitis quomodo mēbra uestra templum sunt Spiritus sancti? item: Vos estis templum Dei uiui. Quid clarius? Quid apertius dici potest? Est ergo uir iustus templum, & tabernaculum, in quo Deus, & Spiritus Sāctus inhabitat. De quo templo omnia exponeres, quæ de tabernaculo, & templo Dei, in ueteri lege leguntur. Propterea diuus Ignatius, ut supra scripsimus, uiros iustos, Christiferos, Spiritiferos, Deiferos uocauit; quod in se, tanquam quędam uiua tēpla, & tabernacula, Christum, Spiritum & Deum ferunt. Portate, aiebat Paulus, Deū in corpore uestro. Cogitet modo quispiam, quanta sit amplitudo, quanta maiestas, & gloria Dei in hoc templo habitātis; uide-

1. Cor. 6.
2. Cor. 6.
Exho. 25.
3. Reg. 6.
1. Cor. 6.

uideatque mentis oculis diuinum numen, immensam inquam Dei maiestatem in anima iusti manentem, & tunc maiorem esse uiri iusti præstantiam, atque excellentiam,
Act. 10. quã quæ a se percipi possit, intelliget. Quid si oculis corporeis inspiceret, ut olim ĩ prima Ecclesia illi boni Christiani cernebant, Spiritum Sanctum super iustos labentem, eosque sanctificantem, & spiritu suo replẽtem. Etenim, cum quotidie hic homo iuste agat, ac magis magisque ĩ iustitia proficiat, ut Spiritus Sanctus in ipsum quotidie labatur, proculdubio meretur. Hoc, quod in pręsentia docemus, facile intelligeres, si, cum ad sacrum conuiuium accedis, & Christi uerum corpus sumis, cogitares, te, eo tẽpore, quo Christus sub speciebus manet, esse uere tabernaculum, non inanimatum, sed uiuum, Christi: Idem de anima iusti cogita, quæ, dum permanet in iustitia, Deum in se habet, Deum portat, Deus in ea tãquam in suo templo, & tabernaculo inhabitat. Cœ-
Isa. 66. lum. n. hoc est, anima iusti, sedes Dei est; sicuti terra, idest peccatores, scabellum pe-
Mat. 6. dum eius sunt: & Deus dicitur esse in cœlis; in animis uidelicet (ut aliquot patres scripserunt) iustorum; qui sunt, ueluti quoddã clarum, & serenum cœlum. Quam fortunatus, quam beatus conseretur is, apud quem

aliquis

aliquis illustris princeps cōtinēter habitaret? Habitabit Deus opt. max. nō dicā apud uirum iustum, sed in ipsomet iusto, non in tecto, sed in animo, & fortunatissimus, ac beatissimus non habebitur? Ex hac, quam exposuimus re, duæ utilitates colliguntur maximę. Altera hæc est: quia, siquis Dei tēplum se esse animaduertet, cauebit profecto, ne qua ratione hoc templum polluat, ne habitantem in se Deum peccatorum fœtore offendat, & a se repellat. Si itaque homines Christiani in hanc rem, cogitatione intrarent, maximum quid de se sentirent, animum, & corpus ab omni contagione, & peccati labe intactum conseruarent, seque etiam ipsos, ceu res quasdam sacras, uenerarentur. Altera uero est: quanto honore uir iustus afficiendus sit. Quoniam, si templum lapidibus exædificatum, tanquam sacrum habemus, & ideo non uiolamus, sed varijs rationibus, exornamus, & ueneramur; quanto magis uiuum Dei templum honorare, atque uenerari debemus? Et cum omnes fideles pro iustis habendi sint, omnes tāquam Dei templa colēdi sunt. Nam, si quis contra fecerit, & templum Dei uiolauerit, præterquam quod Spiritum Sāctū contristabit, & proximum iniuria afficiet; maximā inde pœnam reportabit. Si quis, *1. Cor. 3.*
ait

ait Paulus, templum Dei uiolauerit, disperdet illum Deus. Templum.n. Dei sanctum
2.Mach.3 est, quod estis uos. Siquidem in hoc templo, vere est quædam Dei uirtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, uisitator & adiutor est loci illius, & uenientes ad malefaciendum percutit, & perdit. Magna igitur ueneratione Christiani inter se uersari debent. Et ideo alij alios tanquam Dei tabernacula honorent, ac diligenter omnes caueant, ne inter se ullo modo polluant, vel aliqua ratione male afficiant. Maximam itaq; ex hoc loco uir iustus dignitatem refert: sed non sic impius, qui est ueluti templum profanatum, uiolatum, pollutum, &
Luca. 8. abominationis plenum: ubi non Deus, sed
22. Dæmones; non Spiritus Sanctus, sed spiritus malignus; non Christus, sed diabolus, quasi in quodam spurcissimo stabulo inhabitat, idq; sordibus omnibus conspurcat.

Vir iustus est sacrarium quoddam Spiritus sancti. *Cap.* XV.

NOn solum is, quem describimus homo, est Dei templum, sed etiã quoddam Spiritus sancti sacrarium, in quo sua supernaturalia dona, sua meliora chrismata, sua sacra uasa, & denique suæ gloriæ diuitias

nitias Deus collocat. Sed, quænam ſunt
iſtæ res ſacræ, quæ in hoc reponuntur ſa-
crario? Gratia in primis gratum faciens;
qua iuſtus Deo conſecratur; qua dignus
efficitur, qui a Deo ſingulari, præcipuoq; 2. Cor. 11.
diligatur amore. Huius doni tantus eſt ua-
lor, tanta eſt præſtantia, tantum eſt pōdus,
quantum humana mens nūquam caperet.
Etenim, pluris ualet minima gratiæ particu
la, quam quidquid eſt auri effoſſi, & effo-
diēdi, in hoc uniuerſo orbe: pluris, inquā, 1. Ioan. 4.
ualet, minimum quid gratiæ, quam ſi quis
omnia mundi regna toto uitæ ſuę tempore
poſſideret: in ſumma, tanti ualoris eſt hoc
donum, ut nulla alia res creata cum eo cō-
parari queat. Deinde, in eodem ſacrario,
ſunt tres uirtutes theologicæ: fides, qua 1. Ioan. 4.
uincitur mundus, qua diuina myſteria cre Heb. 11.
duntur, qua mirum in modum mens illu-
minatur: ſpes, quæ animam ad æterna bo-
na ſperāda erigit, quæ hominem in hac vi
ta ſuſtentat, quæ nō confundit: caritas, qua Rom. 5.
Deus ſupra omnia, & omnia ꝓpter Deum
diliguntur; qua homo incenſus, fit omnia
omnibus. Horum donorum quanta ſit ex- Mat. 22.
cellentia, multis ſermonibus, lōgiſſimis orā 1. Cor. 9.
tionibus, integris voluminibus, Sancti & e-
loquentes uiri exponere conati ſunt. Et di
uus Paulus, caritatem, ut de ea aliquid ſpe 1. Cor. 13.

D ciatim

ciatim dicamus, pluris fecit , quam omnia dona gratis data, pluris uidelicet, quam donum miraculorum, prophetię, linguarum, sermonum, &c. & eum, qui sine caritate est,

1. Cor. 13 Cymbalū tinniens, æs sonans, immo nihil, esse iudicauit. Ad hæc, in anima iusti, sunt septem Spiritus Sancti dona, de quorū præstantia, & excellentia, multa, & præclara uiri docti, & religiosi scripsere. Sunt autem

Dionis. Cartus. Ioan. 4. Oros. 6. Isa. 11.

ista. Donum sapiētiæ, scientiæ, intellectus, consilij fortitudinis, pietatis, & timoris. Postremo, in eodem sacrario, sunt ceterę uirtutes infusæ; iustitia, prudentia, fortitudo, tēperantia, & si qui sunt alij habitus diuinitus donati. Quare, minimum quindecim præstantissima dona, & charismata diuina in anima iusti, ceu in quodam sacrario continētur; nimirum; septem Spiritus Sācti dona, quatuor uirtutes morales, tres theologicæ & gratia. Quibus omnibus donis a Spiritu Sācto in iusto collocatis, ipsius anima mirifice exornatur, ditatur, & consecratur. His, qui sunt ornati donis, Spiritu Dei agū-

Rom. 8. tur, toti Deo subiecti, & consecrati sunt, & gemitibus inenarrabilibus clamant, Abba, Pater. Et hic est thesaurus, quem gestamus

2. Cor. 4. in uásis fictilibus. In hoc ergo sacrario, hi chrisoliti, hæ margaritæ, hæc aurea uasa reperiuntur: quæ, si quis semel cerneret, stu-

pore afficeretur maximo. Quare, merito *Irenæus*
quidam Sanctus pater scriptum reliquit:
Gloria hominis est Deus: operationum ve
ro Dei, & omnis sapientiæ eius, & virtutis
receptaculum, est homo. Huc referri pos- *Ex. 25*
sunt, quæ de arca in veteri testamento legũ
tur: quæ mira quadam arte fabricata, &
varijs rationibus exornata fuit: in qua,
ut in Dei sacrario dona adseruabantur di
uina. Finge, vt rem hác apertius intelligas,
hunc mũdum esse quoddá Dei templum,
in quo sit aliquod sacellum, siue sacrariũ,
ubi Deus res suas preciosas, & sacra collo-
cet; & hoc sacrarium esse animam iusti. Fa
bricauit itaque Deus hunc mundum, quasi
templum, in quo hominem tanquam sacer
dotem, a quo coleretur, collocauit: res
uero sacras, cœlestia dona, & diuitias glorię
suæ, in anima iusti, tanquam in sacrario po
suit, quę quotidie, pro ratione meritorum,
auget, & illustrat. Quo fit, ut nullus augu-
stior, nullus sanctior, nullus venerabilior
in mundo, quam iusti anima, inueniatur lo
cus. Et, vt id etiam obiter dicamus, uir iu-
stus, est uti quædam Dei ciuitas, & sancta
Ierusalem, quam elegit Deus in habitatio- *Ps. 45.*
nem sibi: de qua scriptum est: Gloriosa di- *Ps. 131.*
cta sunt de te ciuitas Dei: in qua natus est
homo, & homo. i. interior, & spiritualis, p-

fectusque homo: quã fundauit altissimus in montibus sanctis; in sanctis nimirum præceptis, & uirtutibus: quæ coniuncta est
Psa. 121. sibi ipsi simul; cum pace perfruatur maxima: cuius seras Deus corroborat; in cuius circuitu sunt montes sancti, hoc est, beati Angeli: quam Deus sua custodia defendit: de qua denique cuncta diceres, cui omnia applicares, quæ de Ierusalem dicta, aut in ea facta sunt. Anima uero impij, est ueluti domus illa, ex qua egreditur, & in quam reuertitur malus spiritus, assumẽs secum sep
Mat. 12. tem spiritus nequiores se; & intrantes habitãt ibi; & fiunt nouissima illius peiora prioribus. Est denique ueluti sentina quędam, ubi scoriæ mundi, quæ sunt peccata ipsa, continentur. Quia cum nihil sit in mundo sordidum, nisi peccatum; nullus etiam in hac rerũ uniuersitate erit sordidus locus, nisi peccatoris animus.

Vir iustus est Margarita, seu thesaurus quidam maximus. Cap. XVI.

COgnosceres etiã, Christiane lector, boni Christiani dignitatem, atque ualorem, si animaduerteres eum esse, margaritã
Mat. 13. quãdam preciosissimam, & thesaurum inæstimabilem: thesaurum tamen absconditũ;

quia

quia non eſt, qui eum noſcat;& qui quanti ualeat, intelligat: cum tamen, tantus ſit ipſius ualor, quantũ eſt totius ſanguinis Chriſti precium: qui ſanguis, non modo pro omnibus hominibus vniuerſe; ſed etiam pro ſingulis ſpeciatim totus fuſus, & in redemptionem omnium, & ſingulorum totus datus eſt. Perpendat, & percipiat qui poteſt, quantus ſit valor, quantaque uis ſanguinis Chriſti; cuius, uel minima gutta, infiniti fuit meriti; & tunc, quáta ſit animæ iuſtę hoc ſanguine redemptę præſtantia, cognoſcet. Siquidem, ex precij magnitudine, emptæ rei dignitas, haud obſcure cognoſcitur. Scientes, ait Apoſtolorum princeps, quod non coruptibilibus, auro, uel argento redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſãguine, quaſi agni immaculati Chriſti, &c. O verba omni cogitatione, & admiratione digna! Siſte gradum hoc loco, pie lector, & ad contemplandam horum uerborum uim, & ſanguinis Chriſti, qui exauditus eſt pro reuerẽtia ſua, totum te conuerte. Conſidera pretium datum fuiſſe pro redemptione inimici, & hominis non dum iuſti; qui ſi tanti factus eſt, ut pro ipſius redemptione infinitũ precium daretur; quanti uir iuſtus, & qui iam in iuſtitia profecit, faciendus erit? Si

Ephe. 1. 1. Pet. 1.

1. Pet. 1.

Heb. 5.

Rom. 5.

maximum precium a maximo, & sapientissimo mercatore, qui emptæ rei, & precij usũ optime cognouit, datum est maxima quoque, eius quod emptum est, erit perfectio.
Ecci. 16. Ideo scriptum est: Melior est unus timens Deum, quam mille filij impij. Quis igitur non faciet eum maximi, qui tanto precio emptus est? Qui a Filio Dei tanti factus est, ut ipsius causa hominem fieri, & sanguinẽ profundere uoluerit. Finge quendam reperiri lapillum, cuius tantus sit ualor, quem nulla auri uis, nullus pecuniarũ cumulus, nihil singulare, quod in hac rerum uniuersitate contineatur, non denique mundus ipse, ualore æquaret; ita ut, non nisi diuino & supernaturali, & infinito pretio emi posset: id, cum cogitaueris, facile ĩtelliges, quãta sit lapilli excellentia, & perfectio. Idem de anima iusti dicas, quam nulla argenti & auri copia, nullum finitum pretium, nulla cuiuscunque creaturæ uis redimere potuit; sed pro ipsius redemptione Deus optimus max. Filium suum, & cum eo omnia,
Rom. 8. dedit. Id, diuus Paulus, hac illustri sententia, nos aperte docuit: Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus
Rom. 5. tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Item: Commendat autem caritatem suam Deus in nobis:

bis: quoniã, si cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo p mortẽ Filij eius; multo magis recõciliati salui erimus in uita ipsius. En igitur quanti fecit Deus hũc thesaurum, hãc margaritam; pro qua inuenienda, & recuperanda bonus ille negociator, Dei Filius, vendidit omnia, quæ habebat: quia seipsum exinaniuit, formã serui accipiens, & cũ esset diues, factus est pauper, & totam domum maximo cum labore euertit. Itaque, animam iusti uere thesaurum, & margaritã appellare possumus. Quid, o uani homines tanti facitis vestros birillos, sapphiros, chalcedonios, chrisolytos, topazios, hyacintos, amethystos, & smaragdos? & uiros iustos singulares lapillos nihil ducitis? dũ frigore, fame, & siti eos perire sinitis. In scrinijs sexcẽtis clauibus vestros thesauros munitis, in penitiore, & nobiliore domus parte reconditis, & diligenter seruatis, & pauperes, de quibus probabiliter iustitia, ornatos esse existimare possumus, in plateis sub dio iacere sinitis? Et quid mirum? cum nec filios uestros, quos Christus sanguine suo redemptos, nobis in

Mat. 13.

Ephe. 2.

curam dedit,custodiatis: immo, uiolari, & corrumpi,vobis cernẽtibus, finitis. Si quis vestros lapillos corrũperet, quid ageretis? quid remedij non caperetis? thesauros ue-stræ curæ a Christo uobis commissos, uestros,inquam,filios,uestra negligentia,corrumpi permittetis? pro thesauris, pro quibus conseruandis Deus dedit Filium suũ, & Filius uitam suam posuit, uos nihil impendetis? & ut eos conseruetis nihil laborabitis? Ceterum,semper in hoc mũdo, inter alia mala id uiguit,ac uiget malum, ut minor bonorum, quam improborum habeatur cura;& pluris improbi, quam probi fiant:quæ res,aliquando uiris alias perfectis admirationem fecit. Nam, cur pluris faciẽdi sunt,qui nullius sunt precij? qui nõ sunt splẽdentes thesauri,sed extincti carbones; non lapilli,sed puluis; non margaritæ, sed terræ fęces; qui Christi precium pro se datum,paruipẽdũt;qui sanguinẽ filii Dei pro se fusum,conculcãt; & denique, qui pluris interdũ minimum numum, quam Deum ipsum,faciunt.

Vir iustus est lux, aurora, dies, & Sol quidam in mundo. Cap. XVII.

VAriis sacræ scripturæ modis, virum iustum, ut ipsius excellentiam nobis ob

ob oculos ponant,describere conantur: & cum sit res quædam præstantissima, rebus quoque præstantibus comparare solent. Et ideo, lucem, diem, auroram, meridiẽ, stellam, & Solem appellant. Huc pertinet illa Sapientis descriptio,qua, hunc sapientem descripsit uirum. Sapiens, quasi lux splendens procedit,& crescit vsque ad perfectam diem. Et Paulus scribens iustis, dicebat: Vos autem fratres non estis in tenebris, ut uos dies illa, tanquam fur,comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis,& filij Dei: non sumus noctis, nec tenebrarum; cuiusmodi sunt qui iustitia carent; qui in tenebris ambulant; immo tenebræ sunt. In hunc etiam locum venit illud: Dies, diem superat, & lux lumen: quia unus iustus alterum iustum, sua iustitia, antecellit: & dies diei indicat scientiã; dum vnus iustus suo splendore alterum iustum illuminat: differt enim stella,a stella, in claritate. Item, de iusto dicitur. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuę erunt sicut meridies. Nam, licet interdum ob miserias, quibus afficitur, in tenebris esse, luceque carere iustus uideatur: tamen, nunquam ipsius lumen extinguitur; sed uelutì sol, remota molestiarum nube, clarius relucet: ideo legimus: Et quasi meridia-

Prou.4. 1.Thes.5. Io. 1. Ps. 18. Isa.58 Iob. 11.

nus fulgor consurget tibi ad uesperam; & cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer. Quot igitur sunt in hoc mundo iusti, tot etiam sunt clarissima sidera, & fulgentes soles, qui suis radiis improborum oculos offendunt, sua luce ignorantię, & malitię tenebras expellunt, qui suo splendore huius uitę tenebras illuminant, & demum suo calore omnia fouent, & fœcundant. Contemplare, ut rem exemplo declaremus, diuum Franciscum, atque primum, eum antequam ad lucem illam, & meridiem clarissimum iustitiæ perueniret, quasi in tenebris iacentem cerne: postea, eundem splendidissima luce fulgentem, & ab omni obscuritate alienum, & tanquam solem in clarissimo meridie positum continue iustitiæ suæ radiis tot hominum mētes, & totum hunc terrarum orbem, non secus, ac lucerna super candelabrum posita, totam domum, illuminantem, conspice. Est itaque uir iustus lucerna, & lux quędam, & ueluti clara dies nullis inuoluta tenebris, nulla obscurata caligine, nullis perturbata procellis. Hanc, qui huius uiri lucem cerneret, mirifica quadam lætitia perfunderetur; atque ob tantum splendorem multum admiraretur: non secus, ac cum quis auroram surgentem, & Solem na-

Iugitm. 2.

Phil. 2

Mat. 5.

nascentem, aut in meridie lucentem uidet: cum mens iusti sit tanquã aurora pur purea, tanquam Luna pulchra, & ut Sol electa. Quamobrem ex sacris literis, hũc in modum uirum iustum describere liceret. Quasi Stella matutina in medio nebulę: quasi Luna plena in diebus suis: quasi Sol refulgens in mundo: quasi arcus splẽdens inter nebulas gloriæ: quasi flos rosarum in diebus uernis: quasi lilia in transitu aquæ: quasi thus redolẽs in diebus æstatis: quasi ignis effulgens, & thus ardẽs in igne: quasi uas auri solidum ornatum in lapide precioso: quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens. Impius uero, quid nam est? nisi nubes, caligo, umbra, tenebræ, atra quædam, & obscura nox: qui in ipso etiam meridie, cũ undique sol collucet, nihil cernit, & quasi in tenebris palpitat? Etenim horribiles sunt tenebrę in terra Aegypti: at, vbicunque habitant filij Israel, lux est.

Cant. 6. Ecci. 50. Isa. 59. Iob. 12 Exo. 10.

Nihil viro iusto maius in hoc mundo reperiri potest. Cap. XVIII.

IAmpridem est, cum sapientes quærere cœperunt, quæ nam in hac rerum uniuersitate res ceteris maior existat: & varij

in

Mart. Dumen. Epi. in uarias abiere sententias. Ego uero, cum quibusdam propositæ quæstioni sapienter responderi posse arbitror, si dixerimus, nihil maius in hoc magno reperiri mundo, animo magno, qui magna facit nihili: cuiusmodi est uiri iusti animus; qui tanta est magnitudine præditus, ut quæ ab aliis magni fiunt, ipse nihili, aut parui faciat. Omnia nanque, quæ sub cœlo sunt, quantumuis maxima, pro nihilo ducit; immo despicit, & conculcat. Magni sunt principes, magni duces, magni reges, cum magnas possideant diuitias, magnis afficiantur honoribus, cogitent, & moliantur magna: sed si harum rerum capiantur amore; si his rebus, ut usu uenire solet, inseruiant; si maiora non desiderent bona; quo modo magni sint, non satis aperte uideo. At uero, cum uir iustus hæc omnia, tanquam infima, & uilia pro nihilo habenda esse existimet, & habeat; cumque ampliora appetat, & ad maiora aspiret, pro magno, & maximo plane habendus est: cum rebus sit superior maximis. Quare, Alexander ille, quem magnũ appellarunt, hoc cognomentum iustius meruisset, si potius Diogenes quam Alexãder esse uoluisset. Nam, cum regnandi cupiditati misere inseruiret, minimus fuit: Diogenes vero,

cum omnia humana cõtemneret, magnus reuera extitit. Et cum Alexander esset iræ intemperans; eius uero pater facilitate, & humanitate esset ornatus; merito quidam de ambobus mentionem faciens, dixit: *Luc. 18.*
Itaque alter, nimirum pater, semper magnus; alter uero, hoc est filius, sæpe turpissimus. Quis ergo, uiro iusto aliquid maius reperiri posse existimet? cum magnas diuitias, magnos honores, maximas uoluptates, & quidquid magnum, atque maximum habetur in mundo, despiciat, & nulla re inferior esse uelit? Vir iustus, hisce *Ps. 112.*
rebus humanis conculcatis, super cœlos graditur, & ad hasce res caducas oculos deiicere dedignatur; sed totus ad superiora, & æterna bona cõuersus, ueras diuitias, diuinos honores, & immortalem gloriam maximo studio affectat, ac solum de rebus *Ps. 123.*
cogitat diuinis: & in summa, tãta est animi ipsius magnitudo, atque celsitudo, ut etiã Angelos ipsos gloria, & honore superare contendat. Et, cum in tanta magnitudine, & sublimitate, non se efferat, sibique nihil superbe arroget, quę est summa magnitudo, sed potius seipsum deprimat, suam magnitudinem uincit, seipsum superat, & seipso maior euadit. Est itaque ueluti Zachæus paruus, & magnus: paruus in se, *Luc. 19.*
ma-

magnus in arbore gratiæ manens; a qua per humilitatem, festinans, descendit, & Dominum cum gaudio excipit. Et ideo, si quis eum laudando extollat, eique dicat:
Luc. 18. bonus es, se ipsum humiliando, dicit: Nemo bonus, nisi Deus. Et id, est in hoc uiro maximum, quod simul sit magnus, & paruus: cum in magnitudine, paruus, & in paruitate magnus, existat. Vt recte præcipere uideatur, qui monet, ut quanto maiores sumus, tanto nos summissius geramus. Cum quid simile Dauid in Deo animad-
Ps. 112. uertisset, admiratione affectus, cecinit: Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Pari ratione, quispiam etiam diceret: Quis sicut iustus? qui cum magnus sit, nihil sibi arrogat, paruitate dele-
Ps. 130. ctatur, non ambulat in magnis, sed in humilibus uersatur: Quis, inquam, sicut iustus? qui, cum paruus sit, omnia quæ putantur maxima, maximopere contemnit, magnos honores, magnas opes, maxima regna, & imperia. Est ergo hic uir, non modo res magna, & maxima, uerum etiam quiddam, maxima admiratione dignum; cum simul sit magnus, & paruus, & paruitas magnitudinem, & magnitudo paruitatem non tollat: immo altera, alteram au-

geat,& amplificet. Nam, dum quis existens magnus, parumde se sentiendo, seipsum minuit, mirum in modum seipsum auget. Magnus est iudex, & potens in honore, ait scriptura, & non est maior illo, qui timet Deum. Tandem talis, ac tantus est, ut mũdus non sit eo dignus. Non sic impius, qui cum terrã spectet, cum sub terram, quasi sepultus iaceat, cum rebus se subiiciat omnibus, cum Dæmoni famuletur, cum nihil magnum efficiat, & nihil grande cogitet, imbecillus, minimus, abiectus, &, ut uno uerbo dicam, totius mundi scoria est. Eccl. 10. Heb. 11. Eze. 28.

Iustus, & impius, contrariis inter se rebus comparantur. Cap. XIX.

CVm ea sit contrariorum natura, ut iuxta se posita magis elucescant, ad uiri huius dignitatem melius cognoscendam, ipsum cum homine impio conferamus oportet. Quare, ambos hosce homines, bonos uidelicet, et malos, quibusdam descriptionibus inter se contrariis, hoc capite describemus. Impius ergo est Adam uetus & terrestris, sine uero lumine, & uera obedientia: Iustus est ueluti Adam nouus &, cœlestis, cum uero lumine, & uera obedientia. 1. Cor. 15.

Psalm. 48. dientia. Impius, est iumentum insipiens,
2. Pet. 2 & irrationale pecus, & cum bestiis, ut Na-
buchodonosor, habitat: Iustus, est uir sa-
Dan. 4. piens, & diuinum animal; quod cum bea-
tis in cœlo uersatur. Impius, est vas iræ in
contumeliam: Iustus, uas misericordię in
2. Tim. 2. honorem. Impius, est homo mortuus, & ve
luti palmes abscissus a uite, quem ignis æ-
Luc. 9. ternus manet: Iustus, est uiuus, & palmes cũ
uite coniunctus, cui præmium est paratũ
æternum. Impius, est arbor sicca sine fru-
ctibus, sine floribus, sine foliis; Iustus, est
arbor semper uirens, foliis, floribus, & fru
Luc. 13. ctibus exornata. Impius, tanquam paraly
ticus in grabbato suorum peccatorum, ni
hil perfecte operari ualens, iacet: iustus fa
ctus sanus, sublato grabbato, uadit in do-
mum suam, in cor uidelicet suum. Im-
pius, est filius uiduæ, qui mortuus extra ci
uitatem in loculo fertur: Iustus, est idem a
Christo ad uitam reuocatus. Impius, est ue
luti domus diruta, sine tecto; cuius parie-
tes sunt uitiati, & fracti, & fundamentum
debile: hoc est, est homo sine caritate; cu
ius spes est imbecilla, & fides parum fir-
ma: Iustus uero est domus, stabili uiuæ fi-
Luc. 7. dei fundamento nixa, firma spe erecta, &
Isa. 66. caritatis tecto cõsummata, atque perfecta.
Act. 7. Impius, est terra, & scabellum pedum Dei,

quod

quod Deus suis pedibus conculcat: Iustus est cœlum, & Dei sedes, vbi Deus residet, & quiescit. Impius, paterna domo relicta, in longinquam regionem proficiscitur, vbi porcorum custos euadit; quorum porcorum siliquis, dum fame perit, uescitur: Iustus domi paternæ manens, dignitatem suam conseruat, fame non laborat, sed angelico nutritur cibo. Impius tanquam bellua est pellicea ueste indutus: Iustus, ut diuinum animal diuina est iustitia uestitus. Impius, dum appetitione a ratione aberrante trahitur, regiturq; sentit ut bellua, appetit vt bellua, operatur ut bellua: iustus cum ratione dirigatur, sapit ut homo, appetit ut homo, operatur ut homo: immo cum spiritu agatur diuino, sapit ut Deus, appetit ut Deus, operatur ut Deus. Impius cum ex diabolo sit, uoluntatē eius facit: iustus cum sit ex Deo, Dei uoluntatem exequitur. Impius in stercore peccatorum iacens, seque in eo, ut sus quædam inuoluens, se totum inficit, & conspurcat: iustus mundicia delectatur, & ideo quotidie nitidior, candidiorque euadit. Et, ut paucis multa complectar, ille secundum carnem, hic secundum spiritum uiuit: ille prudentia carnis, hic prudentia spiritus utitur: ille Deo placere nequit, hic Deo est

Lucæ. 15.

Gene. 3.

Rom. 8.

Ioa. 9.

2. Pet. 2.

2. Cor. 5.

carissimus: ille uiuens mundo mortuus
Rom. 11. est Deo, hic uiuens Deo, mortuus est mundo: ille in nocte, hic in die ambulat.

Demonstratur meliorem esse viri iusti statum, quam Regis.
Cap. xx.

CVm tanti a mortalibus regia fiat dignitas, ut pro ea acquirenda, & retinenda maximos sumptus faciant, summos suscipiant labores, & multum effundant sanguinis: uideamus quæso, an uiri iusti omni humana dignitate spoliati, multo quam Regis melior sit condicio. Regia potestas cum labore acquiritur, cum timore retinetur, & cum animæ detrimento sæpenumero amittitur: iustitia uero, cum labore quidem, sed dulci, & leui, cum non sint onerosi labores amantium, obtinetur; cũ timore sancto & pio possidetur; &, modo quis uelit, nunquam amittitur. Rex dum populis imperat, si uitiis inseruiat, ridiculus uidetur: iustus, dum Deo, & legibus obedit, & uitia comprimit, atque omnes animi sui partes in officio continet, admirabilis apparet. Rex militat cum hominibus, & barbaris nationibus: iustus cum mundo, carne, & Dęmonibus bella gerit:
&

& quo hi hostes potentiores sunt hominibus, eo iustus est Rege potentior. Rex pugnat pro pecuniis repetundis, pro finibus tuendis, pro regno amplificando: at iustus, pro religione, pro animę salute, pro ęterna beatitudine acquirenda. Rex agit cum ducibus, cum militibus, cum satellitibus; iustus, cum iustis, cum sanctis, & cum Deo tractat: ille in terris, hic in cœlo uersatur. Rex semper solicitus uiuit, timet, audet, sperat, desperat, lætatur, tristatur, & uariis perturbationibus commouetur, curarumque fluctibus agitatur: at iustus, nullis concutitur procellis, eodem semper statu permanet, semper est idem, cum in eo sit, eique innitatur, qui nulli est mutationi obnoxius. Rex suos subditos angit, aggrauat, & nouis oneribus, si malus sit, premit; quo fit, ut inuisus sit Deo, & hominibus: iustus uero de aliorum molestiis molestiā capit: uellet omnes, quos curis oppressos uidet, a curis liberare; omnium miseretur, & continenter pro omnibus afflictis orat: ex quo nascitur, ut alij ad ipsum, cū aliqua grauiore molestia afficiuntur, quod & Reges aduersis temporibus facere consueuere, confugiant. Pharao, cum plagis afficiebatur, ad Moysen confugiebat: Saul *Exo. 8. 9.* in maxima angustia collocatus, Samuelē *1. Reg. 28.*

3.Reg. 18. consulere curauit; Achab caritatis tempore, Eliȩ operam implorauit. Regi, multi mortem desiderant, machinantur multi: iusto, omnes qui sapiunt, longam uitam cupiunt; nemo ei insidias parat. Rex hodie est, cras morietur, & hæreditabit uermes, & fortasse in inferno sepelietur: iustus si morietur, hæreditabit æternam uitam, & inter beatos in paradiso collocabitur. Rex si fuerit iniustus, in die iudicij a iusto iudicabitur, & manicis ferreis ligabitur. Denique, ne singula consecter, ea re, inferior est Regis status, quam iusti; quia, si Rex ab eo ceciderit, eoque priuatus fuerit, uel nunquam, uel maximo cum labore eum recuperat: at uero si iustus ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Comparauimus hactenus iustum cum Rege, ac si ipse Rex non esset, cum reuera sit: quia, dum Deo seruit, regnat: immo, ut postea dicemus, ita regnat, ut Dei regnum intra se habeat. Alij reges regnum mundi, extra se habent: iustus uero regnum Dei intra se continet: alij reges a mundo coronam accipiunt: iustus gloria & honore a Deo coronatur: alij reges, gemmis ex terra sumptis, iustus lapillis e cœlo delapsis ornatur: alij reges corruptibili purpura: iustus incorruptibili

Ecci. 10. Luc. 16 Ps. 149. Psalm. 36. Luc. 17. Psalm. 20.

induitur. Vter igitur felicior ſtatus? utra potior cōdicio? mundani regis, an uiri iuſti? Quare, merito ſancti patres monachorum uitam lōge meliorem, quam regis ſtatum, eſſe ſtatuerunt. *Chryſ.*

Quanta ſit viri iuſti dignitas, ex nobilitate humanæ naturæ oſtenditur.
Cap. XXI.

SVmmis laudibus, ſummi uiri, humanæ naturę laudauère præſtantiam: & id, iure quidem optimo. Nam, quis non cenſeat, eam creaturam eſſe longe pręſtantiſſimam, cuius cauſa Deus tam elegantē, tamque ornatum fabricauit mundum? cui tam pulchram domum parauit? quam admirabili artificio ex corpore, & anima conflauit? in quam, quidquid eſt ornamēti, & perfectionis in ceteris creaturis, tanquam in quendam creaturarum epilogū, & paruū mundum contulit, quam paulominus Angelis inferiorem fecit; quamuis non uno tantum titulo angelicam naturā ſuperet; quam omnium creaturarum dominam eſſe uoluit; quam non ſolum dicto, ſed etiam quaſi conſilio ſanctiſſima Trinitas ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam formauit; quam angelicis ſpiritibus cu- *De interiore Hom. c. 36.* *Pſalm. 8.* *Gen. 1.*

Psalm. 90. curandam, & custodiendam dedit; quam tandem aptam, & propensam ad immensam essentiam suam clare uidendam finxit. Digna sane, ac pulchra, & admirabilis quædam res, est humana natura: verũ, tota illa dignitas, tota illa formositas, quę in natura humana gratia carẽte, cernitur, si cum dignitate, & uenustate, quæ in homine iustitia exornato reperitur, comparetur, nihil, aut prope nihil, esse uidebitur. Hinc est, quod post peccatum, quod cũ gratia pugnat, primus homo originali iustitia spoliatus, dominio ex parte priuatus, ex paradiso deliciarum pulsus, ueste pellicea indutus, labori, & morti destinatus fuit; &
Gene. 3. a Deo irrisus, cum dixit: Ecce Adam, quasi unus ex nobis: quin etiam, terra, eiusdem hominis causa, maledicta fuit. Insuper, si naturalem hominis dignitatem tantum spectes, multi Dæmones, uel etiam omnes, quoniam naturæ dotibus spoliati non fuerunt, omnes homines dignitate superant. Quod ergo erat in natura humana præcipuum, & diuinum, propter peccatum, ipsa amisit. Id autem, uiro iusto per Christũ renato, restitutum est: quia, per ipsum pre-
2. Pet. 1. ciosa, & magna, Pater, iusto donauit: & vbi abundauit delictum, superabundauit,
Rom. 5. & gratia. Itaque, licet unius delicto mors

regnauerit per unum: tamen, multo magis abundantia gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, iusti, in uita regnabunt per Iesum Christum.. Quare, uiro iusto per Christum instaurato, reiecta ueteri ueste, posita bestiæ pelle, non modo iustitiæ indumentum & innocentiæ stola restituta sunt, sed iam immortalitatis debetur pallium; cum non terrestris, sed cœlestis paradisus ipsi sit paratus: & in summa, longe ampliorem honorem, & gloriã, ut nos aperte diuus Paulus docet, quam per Adã amiserit, per Christum recuperauit. Contemplare nunc, totam illam naturæ humanæ superius explicatam dignitatem; postea splendorem, & gloriam, dotesque illas supernaturales, quas primus homo a Deo, cum creatus fuit, accepit, & aliquid amplius, quod ex abundantia meritorũ Christi iustis acquisitum est; & quanta sit iustorũ celsitudo, aliqua ratione intelliges: quod melius cognosceres, si uim, efficientiamque gratiæ, & meritorum Christi erga iustos, penetrares, quam epistola ad Romanos capite speciatim quinto, & sexto egregie explanauit Paulus. Quare, ni fallor, multo illustriores habemus, peccante Adam, per gratiam Christi uiros, quam fuissent, si Adam non peccasset. Ceterum, Roma. 5.

lud omnino exploratum habeo, totam naturalem hominis excellentiã, nihil esse, si cum nobilitate, & dignitate, unius uel minimi iusti, siue cum iustitia, comparetur: ut concludere liceat, pluris ualere iustum, ratione suæ iustitiæ, quam humanam naturam, cum tota sua naturali perfectione: quod apertissime is scripturæ locus demõstrat, vbi dicitur: pluris valere unum timẽtem Deum, quam mille impios: & tamen in omnibus naturalis reperitur perfectio. Itaque, sicut inter ceteras creaturas homo est magnum miraculum; ita inter homines, vir iustus, est miraculum maximum.

Eccl. 16.

Viri iusti dignitas ex Angelorum lapsorum dignitate ostenditur. Cap. XXII.

POsses etiam, Christiane lector, quanta sit huius viri, quem laudare conamur, dignitas, facile cognoscere; si Angelorum de cœlo lapsorum, ãtequam laberẽtur, quãta fuerit celsitudo accurate considerares. Angeli, quibus homines paulo inferiores sunt, omnis materię expertes, & immortales a Deo creati fuere: qui quoquo uolunt, facile se cõferunt: unico intuitu, quidquid intelligunt, uidẽt: qui ad administrãdum, & assistẽdum diuinæ maiestati cõditi sunt:

Apoc. 12.
Ps. 8.

quo-

quorum demum natura nobilissima,& pre stantissima ab omnibus sapiētibus semper indicata fuit. Propterea Ezechiel ꝓpheta Luciferum describens, dicebat:Tu signacu lum similitudinis, plenus scientia,& perfe ctione, decorus in delicijs paradisi Dei fuisti : omnis lapis preciosus operimentum tuum, &c. Tanta itaque fuit huius Angeli pulchritudo,vt ĩ decore suo eleuauerit cor suum.i. superbia intumuerit,& ceciderit.Et quod de hoc Angelo diximus,de alijs quo que intelligendum est,qui ob suam nobilitatē,& excellentiá,dum se Altissimo æquare uoluerunt,lapsi sunt. Ex his ergo intelligere licet,quanta fuerit malorum Angelorum,ante ipsorum ruinam, dignitas. Quibus enim donis,quibus dotibus,quibus ornamentis spiritualibus Angelos a Deo decoratos fuisse credemus,cum primum hominem Angelis aliquanto inferiorem, tot dotibus, & muneribus ornatum fuisse sciamus? quoniam suæ immensę maiestati assistere, & inseruire debebant. Vbi autem naturę angelicę celsitatem contemplatus fueris,animaduerte id,quod nos sacri scriptores, docent,iustos,ad eas beatas sedes, quæ Angelis,qui ciciderunt,paratæ erant, assumendos,idque ipsorum meritis adepturos esse,& ex iustitia : qa nō est iniustus Deus,

Ps. 103.
Heb. 1.
Eze. 28.
Isa. 14.
Heb. 6.

ut obliuiscatur operis iusti; cum reddat unicuique iuxta opera sua;& tũc, maximá, & admirabilem esse iustorum dignitatem, haud obscure cognosces: quæ res, potius cogitatione perpẽdenda, quam scriptione exponenda est. Verum, ut quod hoc loco docemus, pie lector, melius intelligas, finge aliquem ob sua errata a summo Imperatore ex supremo dignitatis fastigio deiectũ, & alium, ex meritis, ad eãdem dignitatem fuisse assumptum; huius quanta sit uirtus, quantumque meritum; ex loco, unde ille esset depulsus, facile cognosceres. Similiter, si quis ex meritis ad regiam, seu pontificiam dignitatem eligeretur, ex dignitatis magnitudine, ipsius cognosceres prȩstantiam. Iusti ergo, qui ad amplissimas illas sedes, nobilissimis spiritibus paratas, cum ob sua merita assumendi sint, quam excellen-
Ps. 109. tes? quam illustres erunt? Implebunt iusti Angelorum ruinas, & tanquam stellȩ, in cœ-
Ap. 12. lo, unde stellæ ceciderunt, collocabuntur; ubi in perpetuas æternitates fulgebunt. Miraretur quispiam, si Angelum etiam ex minimis, naturalibus, & supernaturalibus donis ornatum cerneret; cur non etiam miraretur, si uiri iusti, qui ad Angelorum ordines & choros traducendus est, splendorem uideret? Latet itaque in uiro iusto sub mor

tali

tali carne, decor quidam magnus, & maxima quædam dignitas. Hāc hominis huius dignitatem, ut in Apocalypsi legitur, Angelus quidam optime intelligens, a uiro iusto adorari se, passus non est; sed conseruum se nominauit. Hic locus, quem hoc capite ad demonstrandam uiri iusti prçstantiam attulimus, ita planus, ac apertus est, ut cuiuscūque animū, summa admiratione afficere, & maxima iucunditate replere deberet. Ex casu uero, & miseria, in quam mali Angeli ceciderunt, quanta sit impiorum miseria & indignitas, cognoscere quoque licet; cum in eum ignem, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, conijciendi, & tanquam cadauera putrida in sepulcris collocādi sint: qa tanquam stellç e cœlo in profundum laci labuntur, ubi ignis eos uorabit; & omnes qui uidebunt, obstupescent super eis. *Ap. 19.* *Mat. 25* *Isa. 14.* *Ezec. 28.*

Vir iustus est uere doctus, & quidam magnus doctor. Cap. XXIII.

MVlti do doctrinę excellentia in hac uita se iactare solent; in eoque multū gaudēt, ꝙ doctores appellentur: & qui doctoris titulo insigniti sunt, & hac gloria florent, perbeati censentur: quam excellentiā in uiro iusto, ut arbitror, sapiens desiderabit

bit nemo. Nam, de uiri doctiſſimi, atque ſa pientiſſimi, diui uidelicet Franciſci ſenten tia, tantum quiſque ſcit, quãtum operatur; quod verbum huic iuſto uiro frequẽs fuiſſe, ſcribitur. Cum autem uir iuſtus multa, immo omnia operetur, cum omnia tum di uina, tum humana præcepta cuſtodiat, mul tum ſciat, immo cuncta ſciat oportet: quan doquidẽ multam operationẽ ex multa ſciẽ tia proficiſci, cum nihil abſque ſciẽtia effi ciamus, neceſſe eſt. Huc facit doctrina quę

Gregor. dam diui Gregorij, qui quendam bonum ſacerdotem doctiſſimum appellauit, licet, etiam literarum elementa, ignoraret: quia unum caritatis pręceptum ſciebat, ex eoq; uiuebat; quod mandatum qui nouit, omnẽ legem, & prophetas omnes nouit: cum le-

Gal. 5. ges omnes, & omnia prophetarum ſcripta,

Mar. 12. imo quot quot ſcripti ſunt, & ſcribentur li bri, ab hoc ſolo pendeant præcepto: qui bus libris, ſi hoc unum ſciretur, & ſeruare tur mandatum, nihil eſſet opus. Quare, qui unam caritatis legem ſciet, omnia ueriſſi me ſciet: & qui omnia ſciet, iure optimo, & veriſſime, magnus doctor uocari poterit. Contra uero, qui multa nouit, & nihil ope ratur, nihil uere ſcit: in quorum numero, ſunt omnes impij; qui, cum in uia Domini

Psa. 1. non ambulent, nihil agunt; ac nihil proin-

de

desciunt. Quare, sicuti auarus, nihil habere dicitur, etiam si arca redundet, cum his, quæ habet, non utatur; ita uir impius, quãuis multa norit, cum male noscat cuncta, & scientia nihil ei prosit, nihil scire dicetur. Hinc est, quod sapientes uiri, vt Socrates, Plato, Cato, Epictetus, Seneca, & alij grauissimi homines, eos, qui honeste nõ uiuunt, etiam si alias multa sciant, tanquã insipientes, & ignorantes damnant, & a sapientum numero sapienter reijciunt. Idem sensit is, qui dixit, non esse sapientem eum, qui sibi non sapit: ut impij omnes. Itaque istis dicere: ostendite mihi doctrinam vestram ex operibus uestris. Præterea, in diuinis scripturis is doctus censetur, qui facit, & docet: at iustus faciendo docet, qua docendi ratione nulla est melior, & docendo facit: & cũ omnia faciat, quia si in uno deficeret, esset omnium reus, & nihil sciret, omnia utique sciet; ac proinde doctus cẽsendus erit. Quare, non libenter fero, cum quosdam aliqua doctrina imbutos, qui tamẽ, seipsos decipiẽtes, multum se scire arbitrantur, uiros bonos, & iustos, ignorantes appellare video; cum is solus uere ignarus existimandus sit, qui artis suæ præcepta, & bene uiuendi rationes ignorat: quæ omnia uir iustus optime nouit: alias enim iustus non esset. Cur igitur

Dan. 12.

Iaco. 2.

gitur ignoranter,ab ignorantibus, ignorãs uocabitur?Impius uero,etiam si omnes Imperatorias,& Pontificias leges sciret, & omnem Aristotelis,&philosophorum,ac sapiẽtum omniũ doctrinam perdidicisset,si,quæ ad bene beateque uiuendum sunt necessaria ignoret, quod usu nõ raro uenire solet, uere ignarus nominari poterit. Videre enĩ passim licet quosdam doctrinæ fama celebres, qui, si de primis Christianæ philosophiæ elementis interrogentur,quid respondeãt nesciunt;&in multis pueriliter errant.
Ps. 118. Liceat ergo uiro iusto Deo dicere, & uere dicere: super omnes docẽtes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est:sup senes intellexi q̃a mãdata tua q̃siui.Nõ modo vir iustus,doctus est, sed ut paulo ãte diximus,exẽplo uitæ suæ, quæ docendi ratio semp principẽ obtinuit locũ, cum uim præcipuam ad instruendum habeat, tanquam
Mar. 1. potestatem habens, docet :sed non sic impij;qui,si quid bene docendo ædificant, id male uiuendo, destruunt. Et quid mirum si uir iustus est ita doctus,cum Deus totius doctrinæ auctor eum doceat, & sit docibi-
Joan. 6. lis Dei? Nõ ne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua ? Hinc est, quod
Eccl. 42. sæpe legimus mulierculas ob iustitiam, quam sunt adeptæ, & propter cõmercium,
quod

quod cum Deo habent, de rebus grauibus, & abstrusis, sapientissime disputasse, & difficiles nodos soluisse, ac disserendo sapientiam mundi uicisse. Et in quodam concilio Episcopus quidã magis sanctitate uitę quã doctrina illustris, doctissimũ philosophũ, quem episcopi ualde docti superare nõ poterant, paucissimis uerbis uicit, & ad veram religionem cõuertit. Hæc, cum uiri doctrina tumidi uideant, admirantur, & dicunt: Quid potest iste scire, cum literas non didicerit? non ne idiota est, & filius fabri? Didicit quidem, sed non in scholis mundi, non a magistro mundano, sed ab illo, qui dixit: Ego.n.dabo uobis os, & sapiẽtiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij uestri: est etiam filius fabri, sed illius fabri, qui sapientia sua fabricauit omnia, & docet hominẽ scientiam. Ex quibus colligere licet, pluris faciendam esse alicuius boni Christiani doctrinam, quam totã sine Christo humanam sapientiam. Nemo igitur, qui errare non vult, sit, qui uirum iustum indoctum nominet; immo nemo sit, qui doctissimum non uocet: cum doctissimus is appellari debeat, qui omnem doctrinam, omnemque succum ex scientijs, & libris omnibus exhausit, qui hauriri potest: is, inquam, qui est magister optimus, &

Nicæn.

Mar. 6.

Luc

qui

qui Deum pręceptorem habuit, & habet. Soli impij uocentur ignorantes, qui ignorare uolunt, ut male agant; qui dicunt,
Psal. 71 uel Deum non esse, uel non habere prouidentiam; qui, quæ ad ipsos scire pertinet, discere non curant; qui tandem seipsos nesciunt, cum nec unde ueniant, nec quid sint, nec ubi sint, nec quo, & per quam uiam uadant, norint. Impij igitur ignorátes, & iusti docti.

Vir iustus est uere sapiens, & solus sapiens. *Cap.* XXIIII.

NVlla est fere natio, quæ sapientes non ostentet suos: & de uno Homero uaria contendunt loca. Ex quo intelligi licet, quanti sapientia semper facta sit; ac etiam quanta ex vna sapientiæ nascatur gloria, cum semper hoc sapientis nomen magnificum, atque illustre existimatũ fuerit, quod animaduertens quidam, non sapientem, sed sapientiæ amatorem, ne tantum sibi nomen sumeret, se appellauit. Sed uideamus, an uir iustus hoc illustri titulo, & hac insigni appellatione dignus sit. Vt autem id facilius præstare possimus, quæ sit uera sapientia præfiniamus oportet. Vera ergo sapientia, nihil aliud esse uidetur, quã certa,

de Deo notitia, per quam quis recte uiuendo, colendo, & amando Deum, ei placere studet. Hoc, nos ipsa sapientia docet, quę ait, Dilectio Dei honorabilis sapiētia: item: Initium Sapientię est timor Domini: & rursus: sapientia, & disciplina timor Domini insuper: Plenitudo sapientię timere Deum Et Iob, cum sapientiam laudasset, eamque inuenire difficile esse docuisset; tādem conclusit: Ecce timor Domini ipsa est sapiētia, & recedere a malo inteligentia. Hanc veram sapiētiam, diuus Iacobus, hunc in modum descripsit. Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est; deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Quare, si aliam mihi proferes sapientiam, insipientiam potius nominabo. Quia, vt sapiēs ait; omnia sunt uanissima pręterquā timere Deum, & eius seruare mandata: hoc est.n. omnis homo; idest, in hoc posita est tota felicitas, & perfectio hominis. Propterea gentes, quæ Deum cognouerunt, sed nō coluerunt, euanuerunt in cogitationibus suis, & ideo frustra quoddam obscurum, & inuisum sapientiæ nomē iactarunt. Quambrē, si omnem sapiētiam, quam habuerunt omnes homines, & etiam eam ipsam quam di

Ecci. 15. *Pro. 1. 9.* *Ecci. 7.* *Iob. 28.* *Iac. 3.* *Ecci. 12.* *Rom. 1.*

F uinitus

2. Par. 1. uinitus habuit Salomon, in unum hominē conferres, qui tamen Deum non timeret, nec diligeret, hunc stultum, & totam illam

1. Cor. 1. sapientiam stultitiam, nominabo. In quo igitur uera, quam descripsimus sapientia, reperitur? num in impio? nequaquam: quia

Sapien. 1. scriptum est: In animam maleuolam, cuius modi est anima impij, non intrare sapientiam. Deinde, ut ex iam dictis constat; cum timor Domini sit sapientię initium & finis, cum impius Deum non timeat, qua ratione in ipso erit sapiētia? ut recte senserit is, qui dixit; uirum bonum esse sapientem, &

Ecci. 1. sapientem bonum. Ad hæc, uera sapientia

2. est Dei donum, vt nos diuina docent oracu

2. Cor. 4. la; & qui eam acquirere uolunt, a Deo pe-

2. Par. 1. Sap. 9. tant, ut uiri iusti fecerunt, necesse est. si ergo sapientia Dei donum est; cui nam eam donabit? iusto, an impio? amico, an inimico? filio suo, an filio diaboli? eam diligenti, an contemnenti? proculdubio, amico, filio, & amanti eam; cuiusmodi est uir iustus: & idcirco legimus; pie agentibus Deū dedisse

Ecci. 43. se sapientiam. Amplius, Deus non diligit

Sapien. 7. nisi eos, in quibus habitat sapientia, vt ipse

Ps. met nos docet. At impios non diligit; quia Deo odio est impius, & impietas eius. In impijs igitur non erit sapientia: ac proinde in iustis reperiatur necesse est. Soli itaque iusti sapientes; quorum os meditatur sapientiam,

tiã & lingua loquitur iudiciũ, & lex Dei in *Ps. 36.*
ore ipsorum. Beatus, qui in sapientia mo- *Pro. 10.*
rabitur,& qui in iustitia meditabitur, & in
sensu cogitabit circumspectionẽ Dei. Qua
propter, si homines in hac uita ob sapien-
tiam,non ueram, vel saltem nõ perfectam,
tantum laudantur,si uarijs monumentis ce
lebrantur,si beati appellantur,quanto ma-
gis uir iustus ob veram, perfectamque sa-
pientiam laudandus, commendandusque
erit? Quis laudibus eum in cœlũ nõ ferat,
in quo ea res reperitur, in cuius compara-
tione,regna, sedes,& diuitiæ nihil sunt? cũ
qua lapis preciosus conferendus non est: *Sap. 6.7.8. 9.*
quæ est speciosior Sole; quæ luci compara
ta reperitur prior;quæ infinitus thesaurus
est hominibus, quo qui usi sunt participes
facti sunt amicitiæ Dei: ea res inquam,cu-
ius lumen est inextinguibile; qua cum re
omnia bona ueniunt;in cuius comparatio- *Iob. 28.*
ne omne aurum arena est exigua: ea deni- *Pro. 8. 8.*
que res,cui omnia quæ desiderantur, non
ualent comparari. Iactet nunc India suos
Gymnosophistas, Ægyptus suos sacerdo-
tes, Babylonia suos Magos, Gallia suos
Druidas, Græcia suos Sophos; quos,cum
uera caruerint sapientia,& sibi non fuerint
sapientes,immo potius stulti facti sint, non *Rom. 1.*
sapientes,sed insipientes,uocares,eisque di *Pro. 1. Eccl. 37.*

ceres: Quousque infantes diligetis infantiam? Nanque sapiens, est animæ suæ sapiens: isti uero cum Deum, quem cognouerunt, non glorificauerint, desiderijs cordis
Rom. 1. ipsorum, & passionibus ignominiæ traditi sunt. Homines igitur isti, tanquam in scena fabulam agerent sapiētiæ nomē dumtaxat, sibi uēdicarunt, & se aliena persona decora
S. Nil abbas. rūt; pallio, barba, & baculo sapientiam prę seferentes. Quamobrem, pluris ualet sancta quædam simplicitas cum vera sapientia coniuncta, quam tota sapientia mundana; quam, non secus Christiana sapientia
Exo. 7. uincit, ac Moysis serpens, Magorum Aegypti serpentes, superauit. Quoties.n. simplices Christiani, indoctę fœminę, huius mūdi sapientes uicerunt? & nuda, in duodecim hominibus sapientia; non ne totam huius mundi phaleratam sapientiam concul
Iob. 32. cauit? Non sunt longæui sapiētes, nec senes
1. Reg. 29. intelligunt iudiciū. Et licet, hæc uera sapiētia, satrapis huius mūdi nō placeat placet tamē deo ueræ sapiētię autori. Iustus igitur cum sit sapiens, in populo hęreditabit ho-
Ecci. 37. norem, & nomen illius erit uiuens in æter-
Ecci. 39. num. Collaudabunt multi sapientiam eius & usque in seculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur, a generatione in generationem; sapientiam

tiam

riam eius enarrabunt gentes, & laudē eius enunciabit Ecclesia.

Laudatur vir iustus a vera, & optima scientia, qua seipsum cognoscit.
Cap. XXV.

DIuitiæ salutis, sapientia & scientia. *Isa. 33.*
Inter alias autem scientias, ea semper a sapientibus commendata, & celebrata *De inter.* fuit, qua, homo seipsum cognoscit: quæ, *ho. ca. 1. 2.* vt est maxime necessaria; ita est maxime difficilis: quam qui nacti sunt, & ex ea uiuunt, omni sunt laude digni, & aliquid, re uera, se scire existimare possunt: quam qui non habent, ignorant omnia. Tunc, dicebat quidam, incipiam scire, cum meipsum cognoscere incipiam: & ceterarum rerum cognitio, hac una neglecta, raro prodesse, plerunque uero obesse solet. Proptè *Isa. 5.* rea captiuus ductus est populus meus, inquit Deus, quia non habuit scientiam, sui *Ose. 6.* uidelicet cognitionem, per quam ad Dei notitiam facillime peruenitur. Qui seipsum *Ber.* cognoscit, ut quidam scripsit, cognoscit & Deum; qui Deum cognoscit, assimi *Agap.* labitur Deo; assimilabitur Deo, qui dignus factus est Deo; dignus denique fit

Deo, qui nihil indignū patrat Deo; quod nemo facere potest, nisi seipsum prius cognouerit. Propterea semper maximam sortita est commendationem sententia illa: Nosce teipsum: quo etiam referuntur istæ: Tecum habita: Ne te quæsieris extra: Oculos in pectus: Non aliunde uiuendi suspensas oportet habere rationes. Hac suipsius cognitione qui caret, nec se, nec sua cognoscit: & propterea in quadā summa ignoratione uersatur. Nā, qui se nō nouit, q̄ sciet, quæ sibi expetēda, aut fugiēda sint? quę ad se pertineāt? quæ se deceant, aut dedeceāt? Et ita, pro piscibus scorpiones, pro pane lapides, pro uino uenenum sumet. Qui se ignorat, in se non est, extra se uagatur, secum non habitat; ubi sit, unde ueniat, quo uadat, non uidet: quid agat non intelligit. Qui se ignorat, seipsum non amat; cum amor solum in rem feratur cognitam. At se non amare, quam crudele, quam nefarium sit, quis non uidet? Odit igitur se, qui se non noscit. Præterea, qui se ignorat, etiam si omnia alia sciat, uere ignorans nominari potest; cum id ignoret, quod scire debet: at qui se nouit, etiam si nihil aliud sciat, cum id nesciat, quod non est obligatus scire, ignarus reuera appellandus non est. Quod autem solus iustus se cognoscat,

id

id est luce meridiana clarius. Nam, se nihil esse, a se nihil habere intelligit: ac proinde Deo omnia accepta refert; eumq; laudat, ac inquit: Venite adoremus, & proci- *Psalm.49.*
damus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Quare, ex suipsius cognitione in cognitionem Dei uenit, seque totum Deo tradit. Mortalitatem suam noscit; quo fit, ut uermem, puluerem, & ci- *Gene. 18.*
nerem se appellet, & nihil sibi arroget; quæ scientia est omnium præstantissima, & omnibus se summittat. De se præterea cogitat, secum habitat; non se, extra se quærit; non habet uiuendi aliunde suspensas rationes: solum ea ad se pertinere putat, quæ in manu sua sunt, quæ intra se sũt: congruenter naturæ uiuit: unam æstimat iustitiam, cetera tanquam nugas spernit: de rebus ad salutem, & beatam uitam pertinentibus, cogitat, loquitur, & agit. Postremo, unde ueniat nouit, ubi sit cognoscit, quid sit non ignorat, quo uadat intelligit, & per quam uiam tendat, probe tenet: quæ omnia, qui cognoscit, se uere cognoscit. De homine impio contraria omnia affirmares: quia, cum ex ratione & ex lege diuina non uiuat, belluinam uiuit ui-

tam, & ideo ad se pertinentia non cognoscit, nocentia amat, & maximas perpetuasque pœnas sibi parat. Quo fit, ut sibi, ipsi odio sit: quo, nihil a natura remotius, nihil horribilius cogitari potest. Caret ergo uir impius pulcherrima, & præstantissima omnium scientiarum scientia, qua, cum uir iustus ornatus sit, laudibus omnibus exornandus erit. Si tantum laudatur, qui hoc dictum, Teipsum nosce, pronunciarunt, quantum commendandus erit, qui seipsum noscit, & ex hoc dicto uiuit? cum longe difficilius sit hoc præceptum seruare, quam ipsum pronuntiare. Iure igitur uir iustus scientiam Dei se habere promittit; cum eam scientiam habeat, qua cognoscitur Deus, & ut filium Dei decet, uiuitur.

Sapien. 2.

Vir iustus est verax, & verus.
Cap. XXVI.

S. Ephrem.

DEus veritas est, & ueritatis auctor, eamque maxime diligit: Dæmon uero mendacium est, & mendacij pater, & mendacio summopere delectatur. Quare, cum ueritas sit quid diuinum, semper plurimi facta fuit, & ueridici, tanquam Dei filij, multum a prudentibus hominibus aman-

amantur, atque laudantur. Mendacium uero, & mendaces, tanquam filij diaboli, odio habentur, atque uituperantur. Siquidem, quod uerum, simplex, sincerumque est, id naturæ hominis est aptissimum. Propterea ingenui, & liberaliter educati homines, ueritatis professores, & assertores, haberi uolunt; & pro ueritate retinenda, uitam etiam ipsam, profundere non dubitant. Hac pulcherrima & diuina uirtute uir iustus ornatus omnino est. Siquidem, ueritatem, & uerbis, & re profitetur: cum uerbis nunquam mentiatur, nec quē piā, cū in simplicitate ambulet, decipiat; nec alius sit, ac esse debet; bonus uidelicet, intus forisque. Nouit enim Deum fictos non probare, & loquentes mendacium perdere. Ea propter de uiro iusto legimus: Iustus prior est accusator sui: ideo ait: Delictum meum cognitum tibi feci; & iniustitiam meam non abscondi: Dixi, cō fitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. Ego, qui peccaui: ego, qui malū feci. At uero impius, ueluti diaboli filius, uel negat se peccasse, uel crimen in alium reiicit, uel foliis, idest leuibus excusationibus, peccati turpitudinem tegit, uel culpam extenuat: quæ res, ratione quadam, non minus quam peccatum ipsum Deo displi-

Psalm. 5.
Pro. 18.
Psal. 31.
1. Par. 21.
2. Reg. 24.
Gene. 3.

Ierem. 2. displicet: propterea legimus: Ecce ego iudicio contendam tecum; eo, quod dixeris:
Psalm. 5. Non peccaui: Quare, in ore impij non est ueritas: diminutæ sunt ueritates a filiis hominum, hoc est ab impiis. Est præterea uir iustus, non modo uerax, sed etiam uerus, cum sit factus ad exemplar, & ideam æternæ ueritatis, eique congruat. Etenim, is est, quem Deus esse uoluit: is, qui uir futurus Dei filius & iustus, esse debet; hoc est diuinis legibus congruens, & quantum
Sapien. 3. fieri potest, Dei similis. Est ergo omni ex parte probatus, examinatus, & purgatus septies; & proinde Deo dignus inuentus. Et quid mirum si uir iustus est uerus, & uerax? cum in ipso ueritatis spiritus inha-
Sapien. 1. bitet, qui omnem ueritatem (cum omnem fictionem excludat) eum docet: quem spiritum, mundus, hoc est mūdani homines, non potest accipere. Iustus igitur cum sit uerus, & uerax, est in omni munere rectus, in commercio fidelis, in iudiciis sincerus, in responsionibus simplex: quo fit, ut dicenda proferat, non dicenda taceat, simulationem uituperet, uersutias detestetur, tenebras fugiat, & lucem amet: siquidem ueritas, vult ad lucem uideri. At impius, nec foris, nec intus est uerus; sed totus fictus, totus fucatus, totus a rectitudinis, & ueri-

rita-

ritatis regula diuersus. Videtur, dum in *Ioan. 8.* domo Dei uersatur, esse ex Deo, cum tamẽ sit ex diabolo, & filius diaboli: uidetur homo, & non est, cum sit iumentum insipiẽs: uidetur esse Christianus: sed, uel non est, *Psalm. 48.* nisi nomine, cum gratia careat, qua inunguntur Christiani: aut certe, si ratione characteris Christianus est, cum careat uita, qua Christiani uiuunt, erit Christianus quidam mortuus, sepulchrum dealbatum, castanea foris integra, intus corrupta, res *Mat. 23.* denique uana, & apparens. Quamobrem, cum tanti ueritatis uirtus fiat; cum tantũ laudetur, cum tot procreet fructus; cum tantum ueraces amentur; cum nihil sit, ut aliquando a sapientibus decretum fuit, ue *3. Esd. 3. 4* ritate fortius; cur uir iustus, qui intus forisque, & re, & uerbis est uerus, & uerax, non plurimi fiet? nõ laudabitur? non amabitur? cum ueritati resistere possit nihil.

Laudatur a uirtute prudentiæ, dum neminem eo prudentiorem esse, demonstratur. Cap. XXVII.

MVlti sunt, qui prudentiã uirtutem, homini maxime necessariam, & a sapientibus ualde commendatam, se habere profitentur, ac omnia se prouidere posse

putant

putant: qui tamen, cum iustitia careant, qua ratione prudentis nomen sibi sumant, uidere nequeo. Solus enim uir iustus prudens. Quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia: custodit rectorum salutem, & protegit gradientes in simplicitate, seruans semitas iustitiæ, & uias sanctorum custodiens. Quare, cum iusti a Deo dirigantur, nihil prudenter non agent. Ideo de Iosepho uiro iusto legitur; Deus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat: & de alio eiusdem condicionis homine: In omnibus uiis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo: item: Prudentius se gerebat Dauid, quam omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius. Gratia itaque Dei, abundat in anima iusti, sapientia, & prudentia. Prudētia, ut sapientes scribunt, est recta rerum agendarum ratio: earum uidelicet, quæ ad bene, beateque uiuendum pertinent: quæ præteritorum recordatur, præsentia recte disponit, & futura præuidet. Is ergo prudens censendus erit, qui in his rebus, quæ ad uirtutem, & beatitudinem acquirendā pertinent, accurate, & prudenter se gerit; qui, quę ad ista attinent recordatur, dispo nit, & præsentit: cuiusmodi est uir iustus, qui peccatorum a se commissorum, qui be

nefi-

Pro. 2. *Gene. 39.* *1.Reg. 18.* *Eph. 1.*

neficiorum Dei,& passionis Christi, unde ipsius pendet salus, reminiscitur: qui omnes suas actiones ordinat, & disponit, ac circunstantias quasque considerat: qui, quidquid ex unaquaque operatione oriri potest, acute præuidet: qui rerum causas, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat: qui tandem de bonorum, ac malorum fine, & quatuor nouissimis sępenumero cogitat. Is prudens est, qui a nullo etiam callidissimo hoste decipi se sinit; qui omnes inimicorum omnium eludit artes: id efficit iustus, quem nec mundus, tot suis fallaciis, nec caro tot blanditiis, nec uersutissimus Dæmon suis imposturis & artibus decipit: cum ipse prudentia sua cũctas horum inimicorum fraudes acutissime uideat, & prudentissime subterfugiat. Is prudens est, qui sibi uidet; qui substantiam suam non dilapidat, qui pacifice domi suæ uiuit, qui honori suo cõsulit; quę omnia facit iustus: qui rebus suis spiritualibus incumbit, qui opes spirituales non proiicit, qui a domo paterna non recedit, qui nihil unde contumeliam contrahat efficit. Atqui impius, tanquam filius prodigus, a domo paterna imprudẽtissime egreditur, in regionem longinquam proficiscitur, & porcorum custos euadit. Is prudens *Luc. 15*

est, qui, cum quippiam a phantasia offertur, non statim illud admittit, sed ait: Siste parumper, o phantasia, sine ut te perspiciam, sine, ut te excutiam: si quidem de libertate, de trãquillitate, de regno, & de salute, agitur. Is prudens est, qui habet lumbos præcinctos, & lucernam ardentem in manibus suis, & vigilanter expe-
Luc. 12. ctat Dominum. Is prudens est, qui omnem suam curam, cogitationem, & studia alicui prudentissimo, & potentissimo Regi committit, totusque ab eo pẽdet; quod efficit iustus, qui, ut suo dicetur loco, se totũ, suaq; omnia Deo tradit. Is prudens est, qui uilissima bona in preciosissima, qui terrena in cœlestia, qui caduca in æterna cõuertit; qui lutum cum auro commutat, dum per eleemosynas fœneratur Domino. Is prudens
Pro. 19. est, qui ueluti serpẽs exponit corpus, ut seruet caput: quod iustus facit: qui omnia fortunę & corporis exponit bona, ut rationẽ, fidem, & uitam spiritualem seruet. Is deni-
Mat. 10. que prudens est; qui, cogitatione requiem
Eccl. 24. in omnibus quæsiuit: & quia nullibi in hoc uano mundo eam inuenit, in hęreditate Domini moratur. Cum igitur hæc omnia, ut diximus, efficiat iustus, propterea prudens est, & tanquam prudens laudandus, cõmendandusque erit. In impio uero, nulla uera

repe-

reperitur prudẽtia, quia cum temere uiuat, & nihil explorate agat, ipso imprudentius fieri nihil potest: quod si quam habet; ea, est prudentia carnis, quæ mors est: sicuti prudentia spiritus, est uita, & pax. Beatus ergo homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Rom. 8. Pro. 3.

Vir iustus, consilio, atque iudicio alijs præstat, & prodest. Cap. XXVIII.

IVstus non solum sibi, sed etiam alijs sapit, ac prudẽs est. Propterea, qui de moribus scripserunt, humanarum actionum regulam, uirum iustum esse uoluerunt: quoniam, iudicio & consilio abundat. Lingua ergo iusti loquitur iudicium; quia lex Dei est in corde ipsius, & non supplantantur gressus eius; hoc est, nihil iudicando, & consilium dando, agendoque offendit. Si quidem tamquã sapiens, habet oculos suos in capite suo: quibus diligenter inspicit, & præuidet omnia. Hinc est, quod homines alias prudentes, docti, & experti de rebus dubijs, uiros inexpertes, iustos tamen, consulere solent: a quibus talia referunt responsa, & consilia, quæ ipsi per se, nunquam excogitassent. Etenim, si Dominus magnus uoluerit, spiritu intelligẽtię replebit illum: Psal. 36. Isa. 51. Eccl. 2. 8. Pro. 17. Eccl. 39.

&

[illegible] eloquia sa-
[illegible] & in oratione confitebitur Do
[illegible] consilium eius, & disci
[illegible] & in [illegible] suis cōfilabitur,
[illegible] scripturæ
[illegible] iudicia: & con
[illegible] Verba impio-
[illegible] insidiantur sanguini: [illegible] iustorum libe
[illegible] os iusti: & os impio
[illegible] iniquitatem. Os iusti parturiet
[illegible] peribit. La
[illegible] placita, & os impiorū
[illegible] Quare mirandum non est, si in
[illegible] crebro homines il-
[illegible] ad viros iustos
[illegible] & in omni bene constituta rep.
[illegible] consilia semper pluri-
[illegible] Ratio autem potis
[illegible] & sana consilia da
[illegible] quia Deus est in eo, & eum di
[illegible] per eum, tanquam per prophetam
[illegible] & adeo est quasi sapien
[illegible] sapientia, ait: Me
[illegible] & æquitas; mea est pru-
[illegible] Si ergo consilia
[illegible] ad interpretem voluntatis
[illegible] est. hæc igitur opti-
[illegible] a viro iusto corripi se
[illegible] Corripiet me iustus in misericor-
dia,

dia,& increpabit me: oleum autem pecca toris non impinguet caput meum. Altera *Ps. 140.* eiusdem rei ratio, hæc est; quia, cum uir iustus sit omni uirtute præditus, nulla animi perturbatione agitatur: mentem habet candidam, & lucidam, & ideo nihil inconsiderate dicit. Quapropter, melius de aliqua re uir iustus philosophiæ ignorãs, iudicat; quam magnus, sed improbus philosophus. Huc facit illud Pauli: spiritualis *1. Cor. 2* omnia iudicat, & ipse a nemine iudicatur: Siquidem Christi sensum habet. In eo etiã uiri iusti iudicium, ac consilium cernitur, quod uarias iuuandi proximum, & colendi Deum, inuenit rationes. Propterea, a- *Isa. 3.* pud Isaiam scriptum legimus; Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum ad inuentionum suarum comedet; væ impio in malum: retributio.n.manuum eius fiet ei. Si quis eius, quod hoc capite docemus, aliquod desideraret exemplum, in memo riam reuocet, quo cõsilio Daniel fallacias *Dan. 14.* sacerdotum Belis detexerit: qua ratione draconem occiderit: quo modo impudicos senes mendacij redarguerit, & etiam, qua arte sanctissima illa fœmina Iudith *Iudith. 13* Holofernis caput præciderit. Confugiant ergo ad uiros iustos, tanquam ad oracula quædam, qui consilio egent: quia, ut ex

ſacris diſcitur literis, eos dirigit, & per eos loquitur Deus. Huc ſpectat illud diuinæ ſcripturæ monitum: Interroga patres tuos, uiros uidelicet iuſtos, & prudentes; qui a conſilio, patres nominantur. Quamobrem, ſi in precio habentur qui iudicio pollent; qui ſalubria dant conſilia, cur uir iuſtus, cuius conſilia ſecura, ſana, & utilia ſunt plurimi non fiet? non laudabitur? qui de ſe cum ratione hæc diceret: Qui me audiebant, expectabant ſententiã, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabam eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum, &c.

Deut. 32.

Iob. 29.

A virtute fortitudinis.
Cap. XXIX.

Prou. 24.

VIr ſapiens fortis eſt, & uir doctus robuſtus, & ualidus, inquit ſcriptura. Iuſtus autem, ut ex antedictis conſtat, ſapiens, & doctus eſt: erit igitur fortis, robuſtus, & ualidus. Quare, ſi ob fortitudinis uirtutem tantopere homines laudantur, & carminibus, & triumphis, & monumentis, ut Achilles. Æneæ, Alexandri, Romuli, Cęſares, Pompei, & Caroli, celebrãtur,

tur, cur uir iustus ob eandem uirtutem laudandus, ac honorandus non erit? cum reuera robustus, & validus, & maxime fortis existat. Namque, is fortis censendus est; qui pro graui causa cum ratione, grauissimos labores, & cruciatus perpeti paratus est. Iustus autem pro iustitia retinenda; qua causa nulla potest esse grauior, & maior, millies in die uitam exponeret: quia nouit beatos esse eos, qui pro iustitia persecutiones patiuntur: quoniam ipsorum est regnum cœlorum, & quod uiolenti; hoc est fortes, rapiunt illud. Cur ergo fortis non habebitur? & tanquam fortis non laudabitur? Quoties iustæ fœmellæ, natura timidæ, & imbecilles, iustitia munitæ, pro iustitia, & religione retinenda, fortiter pugnantes, crudelissimorum hominum, & immanium ferarum uires, sua constantia, & fortitudine, uiriliter superarunt? Quoties fortissimos carnifices in torquendis iustis (ipsis inuictis, & infractis manentibus) robur defecit? Cogita Stephani lapides; Laurentij flammas, Sebastiani sagittas; Pontiani prunas, Pantaleonis ungulas, faces, & sartaginem, Catharinæ rotas, Iulianæ uirgas, Iulitę flagella, Maximæ & Donatillæ fel, & equuleum; & fortissimi, atq; inuictissimi Venantij, carceres, fustes, la-

Mat. 5.

Mat. 11.

pides, cruces, turres, & gladios. Nullum itaque sæuitiæ, nullum crudelitatis genus, nulla ultima terribilia, in quibus sustinendis fortitudo uersari dicitur, timent iusti: non carceres, non uerbera, non gladios, non forcipes, non rotas, non laminas, non feras, non equuleos, non cruces, non denique ignes; sed hæc omnia, & si quæ sũt alia tormentorum genera, inuicto, infractoque animo perpetiuntur. Alij, quos mundus appellat fortes, expugnant oppida; iustus expugnat cœlum: illi caducum regnum pugnando acquirunt; iustus æternum: illi triumphant in mundo; iustus in paradiso: illi agendo uincunt; iustus, ẽt perpetiẽdo, quod maius est, uictoriã reportat. Iustus itaque agit, & patitur, abstinet, & sustinet. Animaduerte optime lector, fortitudinis impij, & uiri iusti illustre exẽplum.
1. Reg. 17. Goliath uir erat altitudinis sex cubitorum & palmi: & cassis ærea super caput eius: & lorica hamata induebatur: porro põdus loricæ eius quinque millia siclorũ æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastę eius erat quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum. Hic uir fortis clamauit,

mauit,& dixit: Eligite uobis uirum,& descendat ad singulare certamen. Et qui iustitiæ fortitudine nõ erant muniti, fugiebant a facie eius, timentes eum ualde. At uero Dauid uir iustus, licet ex fratribus esset minimus, puer, & pastor, & humanæ militiæ ignarus, audacter inquit. Nunc uadam, & auferam opprobrium populi. Itaque positis armis mundanis, quibus eum armauerant, quibuscum incedere nõ poterat, baculo, quo semper utebatur, sumpto; selectis quinque limpidissimis lapidibus de torrẽte, misit eos in pastoralem peram, & fundam manu tulit; & processit aduersus Philisthæum: qui ei maledixit, ac carnes uolatilibus cœli, se daturum, minatus est. Dixit autem uir iustus: Tu uenis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem uenio ad te in nomine Domini exercituum, qui dabit te in manu mea; & percutiam te & auferam caput tuum a te: & dabo cadauera Ppilisthijm hodie uolatilibus cœli, & bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et nouerit uniuersa Ecclesia hæc; quia non in gladio, nec in hasta, saluat Dominus: ipsius.n. est bellum, & non tradet nos in manus uestras. Et missa manu in pera tulit unũ lapidẽ, & fũda iecit, & circunducens, percussit Philisthæum in fron-

te eius, & cecidit in faciem suam super terram: & accepto inimici gladio, interfecit eum, caputque eius præcidit. En igitur singulare exemplum fortitudinis impij, & uiri iusti: in quo aperte cernitur, quātum impij fortitudo, si quæ in eo est, ab ea, quæ in iusto reperitur, distet. Et, una mulier Hebrea, non ne fecit cōfusionem in domo Regis Nabuchodonosor? quo, factum est, ut qui tāquam mures æstimati fuerant, paruo numero, numerosum exercitū fugauerint, & uictoriam de multo hoste reportauerint. In hunc etiam locum ueniunt egregia Samsonis facta, quæ in libris iudicum legūtur. Et quoties in sacris literis, & in ecclesiasticis legimus historijs, paucos uiros iustos, maximos impiorum exercitus superasse? Qui erant, ait diuina historia, uelut locustę, monstra, & giganteum genus, uicerunt; & qui per unam uiam uenerunt, per septē fugerunt, & nullus cōtra filios Israel ausus est mutire. Verum, cum est Anathema ī medio Israel, non potest stare coram hostibus suis, donec deleatur, qui eo contaminatus est scelere. Et ideo sapienter dixit fortissimus ille Iudas: Facile est concludi multos in manibus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare, in multis, & in paucis: Non saluatur ergo rex per mul-

Marginal notes: Iudith. 24. / 2. Mach. 2 / Deut. 7. / Nu. 13. / Iosue 2. 9. 10 / Iud. 12. / Deut 28. / Ios. 7. / 1. Mach. 3.

multam uirtutem: & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ: fallax equus ad salutem: in abundantia uirtutis suæ nō saluabitur. Huc referres etiam egregium exemplum fortitudinis Iob, qui contra homines, & Dæmones pugnādo, omnium bonorum fortunæ, & corporis iacturam, constanti animo ferendo, illustre omnibus posteris fortitudinis, & constantiæ reliquit exemplum. Denique, ut latissimum campum breui excurram; quis non existimet eos esse fortes, qui tres potētissimos inimicos, mūdum, carnem, & Dæmonem uincū?de quibus omnibus iustus uictoriam deportat? Nanque, iustus mundum, & omnia quæ sunt in mundo conculcat, &, ut Paulus loquitur, mundus crucifixus est iusto, & iustus mundo. Carni deinde renunciat, eique mortuus est; immo extra carnē est. Postremo Dæmonem tanquam mancipium catenis ligatum ducit. Hinc est, quod legimus uiros iustos sæpissime Dæmoni insultasse, eum ligasse, ei tanquam imbecilli creaturę, licet fortissimus sit, imperasse, eius caput percussisse, abscidisse, & cōtriuisse. Et ideo de uiro iusto scriptum est: Super aspidē, et basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Potuit Demon uiros impios, cum filia Raguelis dormientes occi-

Ps. 32. Iob. 1. 2. Col. 3. Rom. 8. 1. Reg. 17. Iudith. 13 Ps. 90. Luc. 10. Tob. 6. 7.

Ierem. 2. displicet: propterea legimus: Ecce ego iudicio contendam tecum; eo, quod dixeris:
Psalm. 5. Non peccaui: Quare, in ore impij non est ueritas: diminutæ sunt ueritates a filiis hominum, hoc est ab impiis. Est præterea uir iustus, non modo uerax, sed etiam uerus, cum sit factus ad exemplar, & ideam æternę ueritatis, eique congruat. Etenim, is est, quem Deus esse uoluit: is, qui uir futurus Dei filius & iustus, esse debet; hoc est diuinis legibus congruens, & quantum
Sapien. 3. fieri potest, Dei similis. Est ergo omni ex parte probatus, examinatus, & purgatus septies; & proinde Deo dignus inuentus. Et quid mirum si uir iustus est uerus, & uerax? cum in ipso ueritatis spiritus inha-
Sapien. 1. bitet, qui omnem ueritatem (cum omnem fictionem excludat) eum docet: quem spiritum, mundus, hoc est mūdani homines, non potest accipere. Iustus igitur cum sit uerus, & uerax, est in omni munere rectus, in commercio fidelis, in iudiciis sincerus, in responsionibus simplex: quo fit, ut dicenda proferat, non dicenda taceat, simulationem uituperet, uersutias detestetur, tenebras fugiat, & lucem amet; siquidem ueritas, vult ad lucem uideri. At impius, nec foris, nec intus est uerus; sed totus fictus, totus fucatus, totus a rectitudinis, & ueri-

rita-

ritatis regula diuersus. Videtur, dum in domo Dei uersatur, esse ex Deo, cum tamē sit ex diabolo, & filius diaboli: uidetur homo, & non est, cum sit iumentum insipiēs: uidetur esse Christianus: sed, uel non est, nisi nomine, cum gratia careat, qua inunguntur Christiani: aut certe, si ratione characteris Christianus est, cum careat uita, qua Christiani uiuunt, erit Christianus quidam mortuus, sepulchrum dealbatum, castanea foris integra, intus corrupta, res denique uana, & apparens. Quamobrem, cum tanti ueritatis uirtus fiat; cum tantū laudetur, cum tot procreet fructus; cum tantum ueraces amentur; cum nihil sit, ut aliquando a sapientibus decretum fuit, ueritate fortius; cur uir iustus, qui intus forisque, & re, & uerbis est uerus, & uerax, non plurimi fiet? nō laudabitur? non amabitur? cum ueritati resistere possit nihil.

Ioan. 8.

Psalm. 48.

Mat. 23.

2. Esd. 3. 4

Laudatur a uirtute prudentiæ, dum neminem eo prudentiorem esse, demonstratur, Cap. XXVII.

MVlti sunt, qui prudentiā uirtutem, homini maxime necessariam, & a sapientibus ualde commendatam, se habere profitentur, ac omnia se prouidere posse

putant: qui tamen, cum iustitia careant, qua ratione prudentis nomen sibi sumant, uidere nequeo. Solus enim uir iustus prudens. Quia Dominus dat sapientiam, &
Pro. 2. ex ore eius prudentia, & scientia: custodit rectorum salutem, & protegit gradientes in simplicitate, seruans semitas iustitiæ, & uias sanctorum custodiens. Quare, cum iusti a Deo dirigantur, nihil prudenter non agent. Ideo de Iosepho uiro iusto legitur;
Gene. 39. Deus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat: & de alio eiusdem condicionis homine: In omnibus uiis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo:
1. Reg. 18. item: Prudentius se gerebat Dauid, quam omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius. Gratia itaque Dei, abundat in
Eph. 1. anima iusti, sapientia, & prudentia. Prudẽtia, ut sapientes scribunt, est recta rerum agendarum ratio: earum uidelicet, quæ ad bene, beateque uiuendum pertinent: quæ præteritorum recordatur, præsentia recte disponit, & futura præuidet. Is ergo prudens censendus erit, qui in his rebus, quæ ad uirtutem, & beatitudinem acquirendã pertinent, accurate, & prudenter se gerit; qui, quę ad ista attinent recordatur, dispo nit, & prænentit: cuiusmodi est uir iustus, qui peccatorum a se commissorum, qui be

nefi-

neficiorum Dei, & passionis Christi, unde ipsius pendet salus, reminiscitur: qui omnes suas actiones ordinat, & disponit, ac circunstantias quasque considerat: qui, quidquid ex unaquaque operatione oriri potest acute præuidet: qui rerum causas, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat: qui tandem de bonorum, ac malorum fine, & quatuor nouissimis sępenumero cogitat. Is prudens est, qui a nullo etiam callidissimo hoste decipi se sinit; qui omnes inimicorum omnium eludit artes: id efficit iustus, quem nec mundus, tot suis fallaciis, nec caro tot blanditiis, nec uersutissimus Dæmon suis imposturis & artibus decipit: cum ipse prudentia sua cũctas horum inimicorum fraudes acutissime uideat, & prudentissime subterfugiat. Is prudens est, qui sibi uidet; qui substantiam suam non dilapidat, qui pacifice domi suæ uiuit, qui honori suo cõsulit; quę omnia facit iustus: qui rebus suis spiritualibus incumbit, qui opes spirituales non proiicit, qui a domo paterna non recedit, qui nihil unde contumeliam contrahat efficit. Atqui impius, tanquam filius prodigus, a domo paterna imprudẽtissime egreditur, in regionem longinquam proficiscitur, & porcorum custos euadit. Is prudens *Luc. 15*

est

est, qui, cum quippiam a phantasia offertur, non statim illud admittit, sed ait: Siste parumper, o phantasia, sine ut te perspiciam, sine, ut te excutiam: si quidem de libertate, de trãquillitate, de regno, & de salute, agitur. Is prudens est, qui habet lumbos præcinctos, & lucernam ardentem in manibus suis, & vigilanter expectat Dominum. Is prudens est, qui omnem suam curam, cogitationem, & studia alicui prudentissimo, & potentissimo Regi committit, totusque ab eo pẽdet; quod efficit iustus, qui, ut suo dicetur loco, se totũ, suaq; omnia Deo tradit. Is prudens est, qui uilissima bona in preciosissima, qui terrena in cœlestia, qui caduca in æterna cõuertit; qui lutum cum auro commutat, dum per eleemosynas fœneratur Domino. Is prudens est, qui ueluti serpẽs exponit corpus, ut seruet caput: quod iustus facit: qui omnia fortunę & corporis exponit bona, ut rationẽ, fidem, & uitam spiritualem seruet. Is denique prudens est; qui, cogitatione requiem in omnibus quæsiuit: & quia nullibi in hoc uano mundo eam inuenit, in hęreditate Domini moratur. Cum igitur hæc omnia, ut diximus, efficiat iustus, propterea prudens est, & tanquam prudens laudandus, cõmendandusque erit. In impio uero, nulla uera

Luc. 12. *Pro. 19.* *Mat. 10.* *Ecci. 24.*

repe-

reperitur prudétia, quia cum temere uiuat, & nihil explorate agat, ipso imprudentius fieri nihil potest: quod si quam habet; ea, est prudentia carnis, quæ mors est: sicuti prudentia spiritus, est uita, & pax. Beatus ergo homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Rom. 8. Pro. 3.

Vir iustus, consilio, atque iudicio alijs præstat, & prodest. Cap. XXVIII.

IVstus non solum sibi, sed etiam alijs sapit, ac prudés est. Propterea, qui de moribus scripserunt, humanarum actionum regulam, uirum iustum esse uoluerunt: quoniam, iudicio & consilio abundat. Lingua ergo iusti loquitur iudicium; quia lex Dei est in corde ipsius, & non supplantantur gressus eius; hoc est, nihil iudicando, & consilium dando, agendoque offendit. Si quidem tamquã sapiens, habet oculos suos in capite suo: quibus diligenter inspicit, & præuidet omnia. Hinc est, quod homines alias prudentes, docti, & experti de rebus dubijs, uiros inexpertes, iustos tamen, consulere solentia quibus talia referunt responsa, & consilia, quæ ipsi per se, nunquam excogitassent. Etenim, si Dominus magnus uoluerit, spiritu intelligétiæ replebit illum: Psal. 36. Isa. 51. Eccl. 2. 8. Pro. 17. Ecci. 39.

&c ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ,& in oratione confitebitur Domino:& ipſe diriget conſilium eius,&diſciplinam,& in abſconditis ſuis cōſiliabitur, &c. Huc faciunt hæc alia diuinæ ſcripturæ loca:Cogitationes iuſtorum iudicia:& con
Pro. 12. ſilia impiorum fraudolenta. Verba impiorum inſidiantur ſanguini:os iuſtorum liberabit eos:uena iuſtitiæ os iuſti:& os impiorum operit iniquitatem. Os iuſti parturiet ſapientiam,& lingua prauorum peribit. Labia iuſti conſiderant placita, & os impiorū peruerſa. Quare, mirandum non eſt, ſi in ueteri teſtamento, tam crebro homines illos,conſilij capiendi cauſa ad uiros iuſtos confugiſſe, & in omni bene conſtituta rep. bonorum uirorum conſilia ſemper plurimi facta fuiſſe,legimus. Ratio autem potiſſima cur uir iuſtus recta,& ſana conſilia dare ſoleat,eſt; quia Deus eſt in eo, & eum dirigit,& per eum, tanquam per prophetam quendam,loquitur:& ideo eſt quaſi ſapientiæ diuinę interpres:quæ ſapientia,ait:Me
Pro. 8. um eſt conſilium, & æquitas; mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Si ergo conſilia omnia ſunt Dei,ad interpretem uoluntatis diuinæ confugiendum eſt. Iure igitur optimo,Dauid propheta,a uiro iuſto corripi ſe uolebat. Corripiet me iuſtus in miſericor-
dia,

dia,& increpabit me: oleum autem pecca toris non impinguet caput meum. Altera Ps. 140.
eiusdem rei ratio, hæc est; quia, cum uir iustus sit omni uirtute præditus, nulla animi perturbatione agitatur: mentem habet candidam, & lucidam,& ideo nihil inconsiderate dicit. Quapropter, melius de aliqua re uir iustus philosophiæ ignorãs, iudicat; quam magnus, sed improbus philosophus. Huc facit illud Pauli: spiritualis 1. Cor. 2
omnia iudicat, & ipse a nemine iudicatur: Siquidem Christi sensum habet. In eo etiã uiri iusti iudicium, ac consilium cernitur, quod uarias iuuandi proximum,& colendi Deum, inuenit rationes. Propterea, a- Isa. 3.
pud Isaiam scriptum legimus; Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum ad inuentionum suarum comedet; væ impio in malum: retributio.n.manuum eius fiet ei. Si quis eius, quod hoc capite docemus, aliquod desideraret exemplum, in memoriam reuocet, quo cõsilio Daniel fallacias Dan. 14.
sacerdotum Belis detexerit: qua ratione draconem occiderit: quo modo impudicos senes mendacij redarguerit, & etiam, qua arte sanctissima illa fœmina Iudith Iudith. 13
Holofernis caput præciderit. Confugiant ergo ad uiros iustos, tanquam ad oracula quædam, qui consilio egent: quia, ut ex

ſacris diſcitur literis, eos dirigit, & per eos loquitur Deus. Huc ſpectat illud diuinæ ſcripturæ monitum: Interroga patres tuos, uiros uidelicet iuſtos, & prudentes; qui a conſilio, patres nominantur. Quamobrem, ſi in precio habentur qui iudicio pollent; qui ſalubria dant conſilia, cur uir iuſtus, cuius conſilia ſecura, ſana, & utilia ſunt plurimi non fiet? non laudabitur? qui de ſe cum ratione hæc diceret: Qui me audiebant, expectabant ſententiā, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabam eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum, &c.

Deut 32.

Iob. 29.

A virtute fortitudinis. *Cap.* XXIX.

Prou. 24.

Vir ſapiens fortis eſt, & uir doctus robuſtus, & ualidus, inquit ſcriptura. Iuſtus autem, ut ex antedictis conſtat, ſapiens, & doctus eſt: erit igitur fortis, robuſtus, & ualidus. Quare, ſi ob fortitudinis uirtutem tantopere homines laudantur, & carminibus, & triumphis, & monumentis, ut Achilles, Æneæ, Alexandri, Romuli, Cęſares, Pompei, & Caroli, celebrātur,

tur, cur uir iustus ob eandem uirtutem laudandus, ac honorandus non erit? cum reuera robustus, & validus, & maxime fortis existat. Namque, is fortis censendus est; qui pro graui causa cum ratione, grauissimos labores, & cruciatus perpeti paratus est. Iustus autem pro iustitia retinenda; qua causa nulla potest esse grauior, & maior, millies in die uitam exponeret: quia nouit beatos esse eos, qui pro iustitia persecutiones patiuntur: quoniam ipsorum est regnum cœlorum, & quod uiolenti; hoc est fortes, rapiunt illud. Cur ergo fortis non habebitur? & tanquam fortis non laudabitur? Quoties iustæ fœmellæ, natura timidæ, & imbecilles, iustitia munitæ, pro iustitia, & religione retinenda, fortiter pugnantes, crudelissimorum hominum, & immanium ferarum uires, sua constantia, & fortitudine, uiriliter superarunt? Quoties fortissimos carnifices in torquendis istis (ipsis inuictis, & infractis manentibus) robur defecit? Cogita Stephani lapides; Laurentij flammas, Sebastiani sagittas; Pontiani prunas, Pantaleonis ungulas, faces, & sartaginem, Catharinæ rotas, Iulianæ uirgas, Iulitę flagella, Maximæ & Donatillæ fel, & equuleum; & fortissimi, atq; inuictissimi Venantij, carceres, fustes, la-

Mat. 5.

Mat. 11.

pides, cruces, turres, & gladios. Nullum itaque sæuitiæ, nullum crudelitatis genus, nulla ultima terribilia, in quibus sustinendis fortitudo uersari dicitur, timent iusti: non carceres, non uerbera, non gladios, non forcipes, non rotas, non laminas, non feras, non equuleos, non cruces, non deniqueignes; sed hæc omnia, & si quæ sūt alia tormentorum genera, inuicto, infractoque animo perpetiuntur. Alij, quos mundus appellat fortes, expugnant oppida; iustus expugnat cœlum: illi caducum regnum pugnando acquirunt; iustus æternum: illi triumphant in mundo; iustus in paradiso: illi agendo uincunt; iustus, ēt perpetiēdo, quod maius est, victoriā reportat. Iustus itaque agit, & patitur, abstinet, & sustinet. Animaduerte optime lector, fortitudinis impij, & uiri iusti illustre exēplum.
1. Reg. 3. Goliath uir erat altitudinis sex cubitorum & palmi: & cassis ærea super caput eius: & lorica hamata induebatur: porro pōdus loricæ eius quinque millia siclorū æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastę eius erat quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum. Hic uir fortis clamauit,

mauit,& dixit: Eligite uobis uirum,& descendat ad singulare certamen. Et qui iustitiæ fortitudine nō erant muniti, fugiebant a facie eius, timentes eum ualde. At uero Dauid uir iustus, licet ex fratribus esset minimus, puer, & pastor, & humanæ militiæ ignarus, audacter inquit. Nunc uadam, & auferam opprobrium populi. Itaque positis armis mundanis, quibus eum armauerant, quibuscum incedere nō poterat, baculo, quo semper utebatur, sumpto; selectis quinque limpidissimis lapidibus de torrēte, misit eos in pastoralem peram, & fundam manu tulit; & processit aduersus Philisthæum: qui ei maledixit, ac carnes uolatilibus cœli, se daturum, minatus est. Dixit autem uir iustus: Tu uenis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem uenio ad te in nomine Domini exercituum, qui dabit te in manu mea; & percutiam te & auferam caput tuum a te: & dabo cadauera Ppilisthijm hodie uolatilibus cœli, & bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et nouerit uniuersa Ecclesia hæc; quia non in gladio, nec in hasta, saluat Dominus: ipsius.n.est bellum, & non tradet nos in manus uestras. Et missa manu in pera tulit unū lapidē, & fūda iecit, & circunducens, percussit Philisthæum in fron-

te eius, & cecidit in faciem suam super terram: & accepto inimici gladio, interfecit eum, caputque eius præcidit. En igitur singulare exemplum fortitudinis impij, & uiri iusti: in quo aperte cernitur, quãtum impij fortitudo, si quæ in eo est, ab ea, quæ in iusto reperitur, distet. Et, una mulier Hebrea, non ne fecit cõfusionem in domo Regis Nabuchodonosor? quo, factum est, ut qui tãquam mures æstimati fuerant, paruo numero, numerosum exercitũ fugauerint, & uictoriam de multo hoste reportauerint. In hunc etiam locum ueniunt egregia Samsonis facta, quæ in libris iudicum legũtur. Et quoties in sacris literis, & in ecclesiasticis legimus historijs, paucos uiros iustos, maximos impiorum exercitus superasse? Qui erant, ait diuina historia, uelut locustę, monstra, & giganteum genus, uicerunt; & qui per unam uiam uenerunt, per septẽ fugerunt, & nullus cõtra filios Israel ausus est mutire. Verum, cum est Anathema ĩ medio Israel, non potest stare coram hostibus suis, donec deleatur, qui eo contaminatus est scelere. Et ideo sapienter dixit fortissimus ille Iudas: Facile est concludi multos in manibus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare, in multis, & in paucis: Non saluatur ergo rex per mul-

Iudith. 14. *2. Mach. 2.* *Deut. 7.* *Nu. 13.* *Iosu. 2. 9. 10.* *Iud. 12.* *Deut. 28.* *Iosu. 7.* *1. Mach. 3.*

multam uirtutem : & gigas non saluabitur Ps. 32.
in multitudine uirtutis suæ : fallax equus
ad salutem : in abundantia uirtutis suæ nō
saluabitur. Huc referres etiam egregium
exemplum fortitudinis Iob, qui contra ho Iob. 1. 2.
mines, & Dæmones pugnādo, omnium bo-
norum fortunæ, & corporis iacturam, con-
stanti animo ferendo, illustre omnibus po-
steris fortitudinis, & constantiæ reliquit ex
emplum. Denique, ut latissimum campum
breui excurram; quis non existimet eos esse
fortes, qui tres potētissimos inimicos, mū-
dum, carnem, & Dæmonem uincūt? de qui
bus omnibus iustus uictoriam deportat?
Nanque, iustus mundum, & omnia quæ
sunt in mundo conculcat, &, ut Paulus lo- Col. 3.
quitur, mundus crucifixus est iusto, & iu-
stus mundo. Carni deinde renunciat, eique
mortuus est; immo extra carnē est. Postre- Rom. 8.
mo Dæmonem tanquam mancipium cate-
nis ligatum ducit. Hinc est, quod legimus
uiros iustos sæpissime Dæmoni insultasse,
cum ligasse, ei tanquam imbecilli creaturę,
licet fortissimus sit, imperasse, eius caput
percussisse, abscidisse, & cōtriuisse. Et ideo
de uiro iusto scriptum est : Super aspidē, et 1. Reg. 17.
basiliscum ambulabis, & conculcabis leo Judith. 13
nem, & draconem. Potuit Demon uiros im Ps. 90.
pios, cum filia Raguelis dormientes occi- Luc. 10.
Tob. 6. 7.

dere; Tobiam uirum iustum, necare nō potuit. Ex quibus omnibus colligere licet, uiros iustos fortissimos esse, & propterea omni laude dignissimos: impios uero imbeciles, debiles, infirmos, & effœminatos: Fugit enim impius nemine persequente: & timet ubi non est timor: Iustus uero, quasi leo confidens, absque terrore erit.

Psalm. 28. Psal. 13. Pro. 28.

A libertate, qua malos reprehendit, dum nullius faciem, & potentiam timet. Cap. XXX.

NOn possum non uehementer admirari uiri iusti firmitudinem, atque, vt ita dixerim, animi granditatem, cum animaduerto tantum habere roboris, ac celsitudinis, ut nihil uereatur, nihil timeat, prę-ter Deum. Siquidem iustis dictum esse nouit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam. Inquit itaque audacter Iustus: Non timeo, quid faciat mihi homo. Hinc est, quod uidemus iustos pro religione, & iustitia, & ueritate retinēda, forti atq; itrepido animo, & magistratus, & principes, & alios in honore constitutos homines, cum ratio id postulat, reprehendere, & accusare: ueritatem palam

Mat. 10. Psal. 17.

dicere,

dicere, & tanquam Dei miniſtros, nullius faciem, & potentiam timentes, acriter facinoroſos redarguere. Loquebar, dixit quidam iuſtus, de teſtimonijs tuis in cõſpectu regum, & non confundebar. Huius rei, & ſacræ literæ, & eccleſiaſticæ hiſtoriæ multa nobis ſuppeditant exempla. Tu quidem ſceleſtiſſimus in preſenti uita nos perdis, dixit Regi ſecundus ex ſeptem fratribus; ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus æternæ uitæ reſurrectione ſuſcitabit. Et poſtremus, ac adoleſcentior, eidem impio Antiocho: Tu autem, o ſceleſtiſſime, & omniũ hominum flagitioſiſſime, noli fruſtra extolli vanis ſpebus in ſeruos eius inflãmatus: non dum.n.omnipotentis Dei, & omnia inſpicientis iudicium effugiſti: Non obedio precepto regis, ſed precepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſen: Tu uero qui inuẽtor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manus Dei. Tres pueri, nullas crudeliſſimi Regis minas timentes, conſtãti animo ſe nolle ſtatuam auream adorare dixerunt; nec fornacem ſeptuplum incenſam timuerunt. De alijs quoque legimus, potius elegiſſe mori ij, quam cibis coinquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei ſanctam, &c. Samuel palam redarguit Saulem, cùm ei ſtulte egiſſe dixit: Elias

Ps. 118.
2. Mac. 7.
Dan. 3.
1. Mach. 1
1. Reg. 13
3. Reg. 18
Luc. 3.

Acha-

Achabum: Ioannes Herodem, & Iudæos: Ambrosius Theodosium Imperatorem: Apostoli nullos magistratus, nullas pœnas timuerunt, ut ueritatem, & iustitiam intactam conseruarent: Ibant gaudentes a conspectu concilij, & aperte dicebant, obedire oportere Deo, magis quam hominibus. Denique, quoties sanctæ Virgines, intrepida fronte, tyrannos crudelissimos reprehenderunt, & eorum minas contempserunt? quarum constantiam qui cōsiderauerit, Socratis, Anasarchi, Phocionis, Scæuolę, Metelli, ac aliorum, quos humana philosophia admiratur, firmitudinem, parui faciendam esse putabit. Et sane, quid est, quod uir iustus sibi ab homine mortali timeat? qui quasi fœnum, ita arescet: quem tinea, tanquam lanam, deuorabit; & vermis tāquam vestimentum comedet: cum Deus sit in eo, & per eum loquatur, eumq; defēdat? Quid inquam est, quod iusti timeant opprobriū hominum, & eorum blasphemias; cum ipsis dictum sit: Ite, & ponite pedes super colla regum istorum: nolite timere, nec paueatis: confortamini, & estote robusti, &c. Potest itaque dicere iustus: Dominus Deus auxiliator meus; ideo non sum cōfusus: ideo posui faciem meam, ut petram durissimam: & scio quoniam non confundar.

Act. 5.

Isa. 51.

Ios. 10.

Isa. 50.

Iuxta

Iuxta est, qui iustificat me: quis contradicet mihi? Stemus simul: qui est aduersarius meus, accedat ad me. Atqui, impius, tã quam stultus, non timet Deum, qui potest occidere animam, & formidat homines, Mat. 10. qui possunt occidere corpus: & si ad præsentiam Iudicis uenerit, pallescit, contremiscit, fari nequit, aspectu, & oratione con scietiam, qua se accusari sentit, manifestat. Hęc sancta in uiro iusto audacia, hæc fidetia; qua, nec malum futurum horrescit, nec præsens curat, qua nullam humanã timet personã, qua ijs formidabilis existit, quos iustitia, spoliatus timeret, mirum in modũ eius dignitatem amplificat. Vos, uos igitur, o iusti, uestra iustitia armati, Regum præsentiam non timetis, improbis quibuscunque resistitis, ueritatẽ palam defenditis, & Deo magis quam hominibus, ut par est, Act. 5. obeditis.

Vir iustus nihil timet, sed semper, & ubique impauidus existit.

Cap. XXXI.

NOn modo is, quem describimus, uir, omnia suscipit, & audacter aggreditur pericula, & honesta quadã audacia nullius ueritus personã, ueritatem palam profitetur

tetur, ac uitia damnat; sed etiam, quod est quid singulare, & inuicti animi, ad omnia grauissima incommoda, & impẽdentia mala, se intrepidum præbet: Et ideo cum nihil timeat, nihilq; reformidet, in quadam maxima securitate uiuit. Id, quam bonum, quámque desiderabile, & iucundum sit, ij norunt, qui aliquando uitam cum timore vixerunt: quæ uitę ratio, non tam uita, quam mors quædam censenda est. Hoc, quod in pręsentia affirmamus, ita certum, exploratumque est, ut etiã ethnici scriptores, id apertissime docuerint. Et, ut unus loco sit omnium, quidam hac de re, ita scripsit.

Hor. lib. 1 Ad. 22. Is, qui integer est animi, qui integram, & minime culpabilem uitam ducit, & est sceleris purus, qui castas, purasque a sanguine manus habet; cum nihil timeat, cum vbiuis terrarum omnino secure uiuat; nullo eget armorum genere: non iaculis, non arcu, non pharetra uenenatis sagittis plena: siue is per syrtes æstuosas, siue per inhospitalem caucasum, siue per alium quemuis periculosum locum iter facturus sit. Vbi vbi itaque locorum sit, uitæ suæ integritate armatus, sua recta cõsciẽtia securus, nihil malorum timet. Et alio loco: Virum iustum, qui recti propositi est tenax, qui a suscepto rectæ uitæ cursu

non

non recedere decreuit, non animi iudicum furore incensi, non tyrãni minaces vultus, non maris procellæ, non fulmina commouent, uel conturbant: immo, etiam si ipsum cœlum ruat, nõ terrebitur ruinis, sed impauidus permanebit. Et hac arte, uirtute nimirum, & iustitia plerosque homines immortalitatem adeptos fuisse, ethnici existimarunt. Horum duorum locorum, quos attuli, sententiam, ego interdum uehementer mirari soleo, cum animaduerto, hominem uero lumine orbatum, tantum integritati uitæ, & iustitię tribuisse, ut dixerit, uiros iustos, tanquam intrepidos, & securos ubique uiuere, & uersari, & tanquam impauidos nulla, etiam si cœlum fractum laberetur, posse ratione terreri. Et quis nõ appellet impauidum eum, qui diuino nixus auxilio, dicere audacter potest: Non timebo millia populi circundantis me: In Deo meo transgrediar murum: eũ inquam, de quo scriptum est; in uastitate, & fame ridebis; & bestias terrę non formidabis; non timebis calamitatem cum uenerit. Iustus itaque non timebit a timore nocturno, a sagitta uolante in die, a negocio perambulante in tenebris, ab incursu, & demonio meridiano; cadent a latere eius mille, & decem millia a dextris eius. *Psalm. 3.* *Ps. 17.* *Iob. 5.* *Psal. 90.*

Do-

Psal. 26. Dominus, inquit iustus, est illuminatio mea, mea uidelicet felicitas, is per quem mihi omnia feliciter succedunt, qui mihi in periculis prælucet, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, a quo trepidabo? Si insurgant aduersum me castra, non timebit cor meum. En, ut aperte uir iustus animo impauido se esse demonstrat. Causa autem prima, cur hic uir securus incedat, & impauidus uiuat, est; quoniam Deus est in ipso, & pro ipso: quia Deus sub umbra alarum suarum eũ tegit, & scuto bonę uoluntatis, & ueritatis suæ circundat. Propterea iustis dictum esse legimus: Non enim eritis uos qui dimicabitis; sed tantummodo confidenter state, & uidebitis auxilium Domini super uos, ô Iuda, & Ierusalem: nolite timere, nec paueatis. Et alibi: Dominus pugnabit pro uobis, & uos tacebitis. Altera causa est, quoniam nihil putat sibi timendum esse præter culpam, qua cum careat, nihil est cur timeat. Cetera mala, quæ alij timent, cum nihil sibi obesse posse certo sciat; immo, cum certum omnino habeat, ea sibi utilitatem, & gloriam afferre, læta fronte excipit, & forti animo sustinet. Ecce igitur, quã bonum, & quam iucundũ sit, timere Deũ; quem qui timet, nihil timet, ac propterea

Psalm. 5.

2. Par. 20.

Exo. 14.

Pro. 10.

secure

ſecure ubique uerſatur, & uiuit. Qui am- Pro. 10.
bulat, inquit ſapiens, ſimpliciter, ambulat
confidenter. Hic præcipuus in hac uita iu-
ſtitiæ fructus, tam ſuauis, tam dulcis, tam
optabilis eſt, ut omnes ad iuſte uiuendum
allicere deberet. Impius autem, cum etiam Pro. 28.
nemine perſequente, fugiat; cum præcipua
Dei cura ſit deſtitutus, cum in protectio- Psal. 90.
ne Dei cœli non commoretur, cum malæ
actę uitę conſcientia eum accuſet, ad ſin-
gulos quoſque rumuſculos titubat, expaue
ſcit, labaſcit; nullam ubi ubi ſit ſecurita-
tem habet; ſuam timet umbram. Si qua,
uel ſeditionis, uel belli, uel peſtis, uel alte-
rius calamitatis ſuboriatur ſuſpicio, com-
mouetur, tremit, concutitur, cum ſuę ini-
quitatis debitas expectet pœnas. Iuſtus ue
ro, etiam ſi peſte corrumpantur omnia,
uel bello cuncta flagrent, aut incendio ter
ra conſumenda ſit, nihil timet: ad ſummã,
etiam ſi, ut ille ſcripſit, cœlum ruat, im-
pauidum ferient ruinę. Tandem, ut hunc
locum luculenta ſcripturæ auctoritate cõ-
cludam, non timebunt iuſti, dum turbabi-
tur terra, & transferentur montes in cor Pſalm. 45
maris, hoc eſt, etiam ſi terra ita commo-
ueatur, & concutiatur, ut montes in pro-
fundum mare transferantur; dum ita tur-
babuntur, & frement aquæ, ut prę nimia

aqua-

aquarum agitatione, & ui, concutiantur montes: nulla denique tanta malorum uis ingruet, ut uiros iustos, qui tali, ac tãtą fiducia sunt armati, terrere queat: quia flu minis impetus, abundans uidelicet Spiritus sancti gratia, lætificat ciuitatẽ Dei, quę est uir iustus: ac proinde semper in pace
Psalm. 4. dormit, ac requiescit.

In viro iusto omnipotentiam quandam esse demonstratur, Cap. XXXII.

VT hactenus uiri iusti fortitudinem, cõstantiam, fiduciam, ac securitatem, multum amplificasse mihi uideor: pariter etiam pro rei ueritate, & dignitate, me non satis dixisse, intelligo. Propterea, ut ista omnia adhuc magis illustrentur, ei omnipotentiam quandam tribui posse, demonstrare conabor, ut quantum ipsi debetur, si tamẽ, id a me pręstari poterit, tribuatur. Dixit Paulus, & mentiri non potuit: Om-
Phil. 3 nia possum in eo, qui me confortat: quam sententiam, quiuis iustus non arroganter usurparet. Si ergo diuus Paulus poterat omnia, erat sine dubio, ut quidam uir pius & doctus conclusit, omnipotens. Et quis non iudicet eum omnipotentem, qui dicere
Rom. 8. potest: Quis me separabit a caritate Chri-

Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? & item: Certus sum, quia neq; mors, neque uita, neque Angeli, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. Agnoscamus itaque necesse est omnipotentiam aliquam in eo, quem nullus corporis cruciatus, nulla persecutionum magnitudo, nó mors, quæ omnia uincit, non Angeli, non Archangeli, non dominationes, non uirtutes, non denique potestates ipsæ a Christo diuellere queunt. Quis nó iudicet eum omnipotentem, qui ita potens est, ut non peccet? Iustus autem, scriptura dicit, non peccat: quia dum manet in iustitia, in Deo manet, cuius auxilio fultus, omnia, ut pauloante diximus, potest: erit igitur omnipotens; cum id uincat & superet, ad quod tollendum, & superandum, omnipotens Dei filius uenit, cuius omnipotentia, peccati regnum superatum est. Ad hęc, uir iustus, non modo mundú, qui potens est, & carnem, quæ est potentior, sed etiam Dęmonem, cuius tanta est potestas, ut nulla alia ei cóparari queat, uincit: Cur igitur ipsi omnipotentiam quãdam non tribuemus? Deus autem pacis, dixit Paulus cum iustis loquens, conterat

1.Ioan. 3 *1.Ioan. 5* *Iob.41.*

Rom. 16. Satanam ſub pedibus ueſtris velociter.Huc facit,quod de Samſone legimus: Irruit au-
Iud. 14. tem Spiritus Domini in Samſon,& dilacerauit leonem , quaſi hœdum in fruſta decerperet,nihil omnino habens in manu. Et alibi : Irruit ſpiritus Domini in eum , & ſicut ſolent ad ardorem ignis ligna conſumi ; ita uincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta. Hęc , & alia,quæ ab illo uiro fortiſſimo facta ſunt,a iuſtis ſpiritualiter fiunt. Hanc eandem,quam hoc loco docemus ueritatem, hęc demonſtrant , iuſtorum, quæ in ſacris literis leguntur, uerba.
Rom. 8. Si Deus pro nobis , quis contra nos ? atqui Deus eſt pro iuſtis , cum ſcriptum ſit;cum
Pſalm. 40 ipſo ſum in tribulatione,eripiá,cũ &glorificabo eum. Quis ergo contra iuſtos?qui cũ omnipotentem a ſe eſſe ſentiant , audacter dicunt : Si Deus pro nobis qui cõtra nos ? Propterea uir quidam,cum hoc optime intelligeret,prępotenti Deo dicebat:Pone me
Iob. 17. iuxta te , & cuiuſuis manus pugnet contra
Pſalm.24. me: Deus autem, ut ſacra docent eloquia , ſemper eſt prope timentibus ſe. Neminem igitur iuſtus timebit ; nihil reformidabit , omnia poterit in eo , qui ipsũ corroborat.
Deu. 11. Idcirco iuſtis dictum eſt: Nemo ſtabit con
Cant. 6. tra uos :ſiquidem terribiles ſunt, ueluti caſtrorum acies ordinata . Quis ergo uirum iuſtum

iustum infinita Dei potentia armatum, & munitum, poterit expugnare? Quod si nulla potentia superari potest; cur in eo omnipotentiam quandam reperiri negabimus? Ad demonstrandum, & amplificandum, quod nunc docemus, facit, quod de quodã uiro iusto, legimus, nimirum de Iacob, cũ Deo luctatum fuisse, nec uinci potuisse. Ecce, uir, ait scriptura, luctabatur cum eo, usque mane. Qui cum uideret, quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & emarcuit: dixitque ad eum: Dimitte me: iam.n. accedit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo; quod est nomen tibi? Respondit, Iacob: At ille: Nequaq̃, iquit, Iacob appellabitur nomẽ tuũ, sed Israel.i.p̃ualens Deo, quoniã si contra Deũ fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Huc facit, quod in sacris scripturis legimus, uiros iustos suis orationibus interdum Deum, quadam ratione coegisse, seu impediuisse. Propterea Moysi pro populo oranti dicebat deus: Dimitte me, ut irascatur furor meus cõtra eos: & deleam eos, & faciam te in gentem magnam. Amplius, ad expugnandum cœlum, & ad uim in ipsum faciendã, opus esse quadam omnipotentia negaret nemo, de qua re scriptum est: Regnum cœ

Gen. 32. *Exho. 32.* *Deut. 9.* *Mat. 11.* *Luc. 16.*

lorum uim patitur, & uioleti rapiunt illud: at uiri iusti, cœlum expugnant, cœlo uim inferunt, cœlum, pro iustitia pugnãdo sibi iuste acquirunt; de quo legitur: Beati qui persecutiones patiuntur propter iustitiam,
Mat. 5. quoniam ipsorum est regnum cœlorũ: cur ergo eos omnipotẽtes non appellabimus? Denique, ne rem incredibilem docere uideamur, adhuc id, quod aliquibus præter opinionem uideri posset, auctoritate ipsius
Mat. 17. ueritatis confirmemus. Cum Apostoli propter incredulitatem Dęmonium a lunatico expellere non potuissent a Christo reprehensi sunt: quibus, inter alia, dixit: Amen
Luc. 17. quippe dico uobis, si habueritis fidẽ sicut granum sinapis, diceris monti huic, transi hinc, illuc, & transibit; & nihil impossibile erit uobis. Cur ergo uirum iustum, qui fi-
Gers. dẽ habet, ob quam ei nihil est impossibile, omnipotẽtem, &, ut cum quodã uiro pio, & docto loquar, omnipotentissimum, non appellabimus? Ceterum, cum hanc uim, uiro iusto tribuimus, nihil, Deo simpliciter omnipotenti, detrahimus: immo multum damus, quod propter benignitatem, & omnipotentiam suam, creaturæ suæ tantum uirium tribuere uoluerit. Gaudeant igitur, & lętentur iusti, agnoscant fortitudinem, constantiam, atque omnipotentiam suam, Deo

tanti

tanti boni largitori honorem, & gloriam reddant. Contra uero, agnoſcant impij imbecillitatem, infirmitatem, & impotentiam ſuam, qui omnibus inimicis uel leuiter aggredientibus cedunt, in quauis procella naufragium faciunt, atque quouis leui tranſuerberantur uerbulo.

A victoria, quam de ſeipſo refert, dum omni ex parte ſeipſum vincit.
Cap. XXXIII.

SVmmis laudibus ea, quæ de bellicoſis hoſtibus refertur uictoria, a grauiſſimis ſcriptoribus ſemper ornata, & celebrata fuit: quæ, licet ſit maxima: tamen, non eſt tota Imperatorum; cum partem milites, partem locorum oportunitas, partem commeatus, partem denique fortuna ſibi uendicet. Sed alia quædam reperitur uictoria, quę, ut eſt omnium difficillima, ita eſt maxima, ac proinde maxime omnium cōmendatione digna. Hæc autem ea eſt, quā quis ſeipſum uincendo, de ſeipſo refert. Hanc ſapientum nemo non laudauit, ac omnibus uictoriis non præferendam cenſuit: quam, qui adeptus eſt, ut fortiſſimus, & maxime inuictus, ſummis ut in cœlum feratur laudibus perdignus exiſtit. Qui

post bellicam uictoriam, clementia, in uictos utitur, seipsum uincens, ipsam uictoriam, iram, & superbiam cohibendo, uincit: quam ob rem, summus orator, summum Imperatorem, summopere laudauit, quod seipsum in uictoria, inimicis ignoscendo, uicerit: quam uictoriam, omnibus rebus ab eo fortiter gestis sapienter præferendam existimauit, & omnino prætulit. Cogita hoc loco, quot, quantaque bella, Imperator ille, Cæsar uidelicet, confecerit, quoties cum inimicis manus conseruerit, quot hostes necauerit, quot nationes deuicerit, quot uictorias reportauerit, quoties demum gloriosus triumphauerit; & intelliges, quibus laudibus dignus fuerit. Deinde, cōfer has omnes laudes, cum una sola laude, quę ei, ob unam, quam de seipso, iram frangendo, retulit uictoriam, debetur; & animaduerte, quod plane uerissimum est, hanc unam, alijs omnibus multo illustriorem fuisse, cum hæc sit laus, & gloria uictorię, de omnibus uictoriis, & tota uincentis, & intelliges, quanti hæc facienda sit: ut merito sapientes omnes, uictoriarum maximam hanc esse dixerint. Ceterum, cum iste insignis Imperator, vnū tantum uicerit uitium, cum unam solam animi perturbationem compresserit, unicam

cam quoque de seipso retulit uictoriam. Atqui, uir iustus, cum omnia sibi subiiciat; cum omnes suos hostes, mũdum, carnem, & Dæmones vincat; cum omnia uitia prosternat; cum omnes cupiditates frænet, & propterea omni ex parte uictoriosus incedat, quibus, quantisque laudibus ornandus, & cumulandus erit? Illustres sane, & eximiæ sunt hę uiri iusti uictoriæ, quas de potentissimis hostibus suis refert; sed adhuc una restat, quæ est multo aliarum maxima. Nam, cum de tot ingentibus uictoriis, quas de inimicis internis, & externis refert, non se efferat, & sibi tot uictorias non adscribat, tertiam quandam supremã, ac longe pręstantissimam iterum de seipso uictoriam deportat: dum una cum beatis spiritibus dicit: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & uirtus, & fortitudo, Deo nostro in sæcula sæculorum. Quibus ergo literis, quibus linguis, quibus triumphis, quibus tandẽ monumentis uir iustus decorandus erit? cum tot bella confecerit, tot inimicos superauerit, toties seipsum omnem in modum uicerit? Clarus Cæsar ob tam multas de inimicis relatas uictorias; multo clarior ob unam de se uictoriam relatam; sed non clarissimus, neque inuictissimus, neq;

1. Ioan. 4.

Apoc. 7.

omnino gloriosissimus, cũ a multis uitiis, & speciatim ab regnandi cupiditate caperetur, cui tanquam ignauus inseruiebat. At uir iustus, cum non modo externos, sed etiam internos hostes uincat, cum non unum, uel alterum uitium, sed uitia omnia superet, & cupiditates omnes frangat, & propterea seipsum omnino uincat, clarus, clarior, clarissimus, gloriosissimus, & inuictissimus existimandus est. Gaudete ergo iusti, nim iustitiæ uestræ agnoscite: Cæsares rerum fortiter gestarum gloria, uere uincitis; dum uosipsos omnino superatis, & Deo gloriam datis. De impio autem, quid dicemus? cum nec se, nec inimicos vincat, sed ab omnibus uincatur, & captiuus ducatur; ita ut non uictor, sed uictus, non clarus, sed obscurus, non gloriosus, sed ingloriosus habendus sit.

A virtute patientiæ, qua patiendo vincit. Cap. XXXIIII.

EAm potissimum humana philosophia fortitudinis partem laudat, quæ in agendo, & uincendo posita est: Christiana uero schola, ei parti primum tribuit locũ, quæ libenter patitur, & se uinci sinit; & dum uincitur, uincit; in quo patientiæ uir

tus

ris uersatur. Propterea, in laudem uirtutis huius sancti, & illustres uiri, integros scripserunt libros: cuius, quot sunt laudes, totidem etiam uiri iusti erunt, qui hac una potissimum uirtute, & iustitiam acquirit, & acquisitam conseruat, & auget, ac tādem gloriam consequitur. Quoniam, si Christus non est ingressus in gloriam suā, nisi per patientiam: si Christo non fuit dictum, sede a dextris meis, nisi quia de torrēte in uia bibit, hoc est, nisi quia summas tribulationes perpessus est; quo modo in eandem gloriam intrabit alius quispiam, nisi similis fiat Christo, & mēbrum Christi? cum non intret in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius uidelicet Dei, qui uenit de cœlo, & qui ipsius sunt membra, ueri Christiani. Et Pater, eos prædestinauit, & elegit, quos præuidit conformes fieri imagini Filij sui: quæ conformatio in perpessione malorum priuatim posita est. Propterea Apostoli, non tam de præclara Apostolatus dignitate gaudebant, quam, quod digni facti essent pro nomine Christi contumeliam pati. Nihil enim potest uiro iusto optabilius, nihil honoratius, nihil illustrius accidere, quam pro religione, & Dei honore sanguinem profundere. Ideo de Eleazaro legimus: At ille gloriosissimā

Tert. *Cypr.* *Act. 14.* *Ps. 109.* *Ioan. 3.* *Rom. 8.* *Act. 5.* *2. Mach. 6*

mortem, magis quam odibilem uitam cō-plectens, voluntarie præibat ad suppliciū. Intuens autem quemadmodum oportet accedere patienter sustinens, destinauit nō admittere illicita, propter uitæ amorem. Quid Iob tam illustrem reddidit, nisi patientia? Quid celebrem Antonium apud posteros fecit, nisi patientia? Quid innumeros, ne singulos numerem, sanctos, Christo similes reddidit, nisi patientia? Finge, si percipere cupis amice lector, quanta sit patientiæ præstantia, esse duos, quorum alter quotidie a matutino tempore ad uespertinum usque, ecstasi afficeretur maxima, atque ad rerum preclarissimarum naturas, & proprietates contemplandas raperetur; ita ut omnium creaturarum corporatarum, ac corpore expertium essentias intueretur, & qua ratione Deus omnia fecerit, omnia sustentet, & gubernet omnia, cognosceret, & amplius, Deus, ei, quidquid in terris fit, & fieri debet, reuelaret, & denique, ueluti Paulus, ad tertium usque cœlum raperetur, ibique arcana, quæ non licet homini loqui, audiret: alter uero, nihil horum uideret, & intelligeret; sed tamen aliquid incommodi æquo animo pro gloria Christi pateretur: huius longe melior, quam illius esset condicio. Quia, ni fallor,

S. Alber. ep. Arel.

2. Cor. 12.

non

non poteſt in hac uita cognoſci, quanti ſit ponderis, etiam minima pro honore Dei, & Chriſti, malorum perpeſſio. Huc facit quod uir quidam, magis diuina, quam humana doctrina peritus, & in ſua religione in qua uiuebat uitæ exemplo conſpicuus, mihi ſemel dixit. Certius eſſe ſignum, quēpiam eſſe in hac uita iuſtum, ſiue ſanctum; ſi patienter pro Dei gloria aduerſas res ſufferret, quam ſi miracula ederet: quod ego veriſſimum eſſe arbitror. Quandoquidem ſine gratia, qua homo fit iuſtus, & amicus Dei, fieri miracula poſſunt, & idcirco, in die iudicij quibuſdam, qui in nomine Chriſti prophetarunt, dicetur: Nunquam noui uos: at patienter pro Dei gloria calamitates ferre, ſine Dei gratia, poteſt nemo. Ad hæc, ſi quis particulam ligni, in quo Chriſti corpus affixum fuit, haberet, præclare ſecum actum eſſe exiſtimaret: at longe præclarius agitur cum eo, qui moleſtias & tribulationes pro Chriſto patitur, per quas ſimilis Chriſto fit, & paſſionis Chriſti uim, participat, ac ueluti quidam crucifixus euadit. Quare, merito iuſtus ille, de quo ſupra mentionem fecimus, neque ætatis, neque amicitiæ, neque ſupplicij rationem habens, nullo modo legem tranſgredi diuinam uoluit: ſed conſtanti animo

Romual. Camal.

Mat. 7.

2. Mach. 6

dixit

dixit: Quam ob rem fortiter uita excedo, senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum relinquam, si prompto animo ac fortiter pro grauissimis, ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. In cuius laudem, hęc a Spiritu sancto scripta fuere: Et iste quidem hoc modo uita discessit; non solum iuuenibus, sed, & uniuersæ genti memoriam mortis suę ad exemplum uirtutis & fortitudinis derelinquens. Et quis est igitur, ut ait Apostolorum princeps, qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed, & si quid patimini propter iustitiam, Beati. Quare, merito quidam scripsit: Qui nouit pati, est uictor sui, dominus mundi, amicus Christi, & hæres cœli. Tantum hęc uirtus Deo placet, ut ob iustorum patientiā summopere delectetur, eamq; cumulatissime præmiet: nec immerito. Nam, patientia omnia eius placita tuetur, omnibus mandatis eius interuenit; fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatē instruit, pœnitentiam expectat, exhomologesim adsignat, carnem regit, spiritū seruat, linguam fręnat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyrium consummat, pauperem consolatur, diuitem temperat: infirmum non extendit,

1. Pet. 3.

Tert.

dit, ualentem non consumit: fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum domino, & dominum Deo commendat: fœminam exornat, uirum approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est. Cuius formositatem ex hac ipsius descriptione melius cognoscere poteris. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta; remissaque in lætum modum supercilia: oculi humilitate, non infelicitate deiecti: os taciturnitatis honore signatum: color, qualis securis & innoxiis: motus frequens capitis in diabolum, & minax risus: amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: ut qui nec inflatur, nec inclinatur: sedet in throno spiritus, quem tertio uidit Elias. Quas omnes patientię laudes in uirum iustum hac singulari uirtute ornatum transferre utique licebit. Sed, ut adhuc apertius huius uirtutis uim pius lector percipiat, quid sex doctores de tribulationum perpessione aliquando dixerint, diligenter attendat. Primus: si quid melius, & conducibilius in hac vita esset, id amicis suis, filio suo, Deus dedisset. At cum his omnibus patiendi occasiones speciatim præbuerit, nihil utique erit tribulationum pa-

Apud Io. Gers par. 4

tientia melius. Secundus: ſiquis ſine pec cati macula, uti Chriſtus, triginta tres annos, & ſine corporali cibo uiueret, & cum Angelis, uti Magdalena, ſermonem haberet; non poſſet ſic mereri, ut is, qui aliquã tribulationem pro amore Dei patitur. Tertius: ſi omnes ſancti, & Chriſtus oraret pro perſona aliqua, ei tantum meriti non acquireret, quantum ſibi ipſa per patientiã in una tribulatione acquirit. Quartus: Adoramus Crucem, quia Saluator pependit in ea per aliquot horas: ſed magis adorare deberemus tribulationem, quam Dominus per totam uitam ſuſtulit. Quintus: ſancti minus eligerent dimittere minimã mercedem, quam acquiſiuerunt in tribulatione, quam renunciare uiſioni beatificæ uſque ad diem iudicij. Sextus: tres aſſignauit rationes, cur tribulationum patientia non delectemur, & tribulationes hilari animo non excipiamus. Prima eſt, quia Dominum parum amamus: altera, quoniam parum de mercede cogitamus: tertia, quia dolorem paſſionis Chriſti non ſentimus. Hęc fere illi: quę omni animaduerſione digna ſunt. Nemo igitur ſit, qui uirum iuſtũ tali, ac tanta uirtute ornatum non laudet, non ueneretur. Si quidem melior eſt uir
Prou.16. patiens uiro forti: & qui dominatur animo

mo ſuo expugnatore urbium. Beati ergo iuſti, qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cę lorum: Gaudete, & exultate iuſti; quoniã merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Quamo brẽ cum uir iuſtus, uelut bonus latro vna cum Chriſto patiatur, eam uocem audiet: Hodie eris mecum in paradiſo: Impius ue ro tanquam iniquus latro, uelit, nolit patitur; & cum pro Chriſto pati nolit, & patiãtiæ uirtute careat, & in blaſphemias pro rumpat, tandem propter impatientiam dã nabitur. *Mat. 5.* *Luc. 23.*

A virtute manſuetudinis, & humilitatis Cap. XXXV.

SApienter mihi dixiſſe uidentur ij, qui patientiam, antidotum uitæ, & morum magiſtram eſſe dixerunt: cum per eam omnes animi morbi curentur; & uirtutes omnes, preſertim uero manſuetudinem, & humilitatem, ab ea homines doceantur: quas duas uirtutes Chriſtus Dominus ſpeciatim ſuos diſcipulos docuit, cum dixit: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: Quas etiam exemplo monſtrauit, cum, licet grauiſſimis, & indigniſſimis ſupplicijs afficeretur: tamen, tanquam agnus coram tondẽ *Mat. 11.* *Iſa. 53.*

te,

te se gessit. Vir itaque iustus a suo magistro edoctus, quamuis celso, inuictoque animo præditus, & prestantissimis uirtutibus ornatus sit; tamen, mansuete, & summisse se gerit: cum nihil possit eam mentem efferre, quæ semel pro Dei gloria se humiliauit. Tanti itaque Dominus hanc uirtutẽ fecit, ut hanc unam priuate suos discipulos docere uoluerit. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Finge, pie lector, te filium Dei, maiestatem illam immensam in humana carnę latentem, se se tibi offerentem, ac tibi speciatim dicentem: Disce a me, quia
Phil. 2. mitis sum: siquidẽ, cum sim, gloria, ęqualis Patri, formam hominis, & hominis serui,
Psalm. 21. & serui peccatoris, accepi; & ita me depressi, ut non homo, sed uermis, & abiectio plebis factus, & cum iniquis deputatus sim.
Luc. 22. Quomodo, si humana superbia hæc animaduerteret, non se comprimeret? non se frangeret? Quis tantam mansuetudinem, tantamquę abiectionem non admiretur? Quis
Mat. 5. humilitatem, cum eam Filij Dei maiestas, ita illustrem, & gloriosam reddiderit, non amplectatur? Et hinc est, quod tantopere in diuinis literis hęc laudatur uirtus, & inter
Mat. 9. ter beatos, mites nominantur: Beati mites quoniã ipsi possidebunt terram. Huc facit illud: Misericordiam uolo, & non sacrificium.

cium. Et rursus: Non coques hœdum in lacte matris suæ: quo pręcepto omne genus crudelitatis damnari uidetur. Placet itaq; mirum in modum Deo hęc mansuetudinis uirtus, quā etiā cumulatissime remunerat: ideo legimus: Exaltauit mansuetos in salutem, suscipiens mansuetos Dominus; humilians autem peccatores usque ad terram: Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis: Dispersit superbos, & exaltauit humiles. Propterea melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis. Eorum, qui sunt hac uirtute ornati, Deus priuatim orationes excipit: quia superbi a principio ei nō placuerunt; sed humilium & mãsuetorum semper ei placuit deprecatio. Ad quem .n. respiciam, dicit Dominus, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Quid hoc promisso honorabilius? quid hoc honore præclarius? Respicit itaque Deus humilitatem, & orationē humilium; & deponit superbos, & exaltat humiles. Ob hanc uirtutem Moyses uir iustus ualde laudatus fuit: de quo legitur. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum: & elegit eum ex omni carne. Fuit .n. mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hac uirtute iustus Iacob iratū

Ose 16. Exo. 34. Ps. 146. Psalm. 36. Pro. 16. Judith. 9. Isa. 66. 5. Eph. Luc. 1. Psalm. Eccl. 45. Nu. 12. 12. Gen. 45

Gen. 45. fratrem placauit. Hac uirtute Ioseph non modo iniuriam a fratribus acceptã non est ultus, sed eos multis officijs affecit. Hac uirtute iustus Dauid uim, & iniustitiam Saulis pertulit: qua etiam uirtute nixus, aliquando hunc in modum orauit: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Tanta mansuetudine aliqui uiri iusti prędití fuerunt, ut belluę ad eos confugere nõ dubitauerĩt. Aper a uenatorib⁹ actus ad deicolum abbatem confugit: in cuius gremio se tutum fore putauit. Quidam alius pariter ad se fugientem aprum tutatus est, & canibus insequentibus, ne eum tangerent, imperauit. Passeres de manu Remigij Remensis archiepiscopi certatim cibum sumpsisse legimus. Idem de Iudoco Regis Britanniæ filio scribitur. Non solum quæ narrauimus exempla demonstrant uirum iustum esse mãsuetum, & humilẽ; uerũ etiam ipsa id ratio docet. Quoniam, si hic uir nõ esset humilis, iustus esse non posset: quia ei deesset fundamẽtum iustitiæ humilitas: si non esset mitis, Deum ipsum non respiceret, non exaudiret, non susciperet, non exaltaret: & denique, si non esset mitis, non abũdaret pace; qua, qui non abundant, impij sunt. Vir ergo iustus hac uirtute ornatus, neminem despicit, nemini se pręfert, sed potius

1. Reg.
Ps. 131.
Apud. Mar. Marul.

tius

tius omnibus se subijcit, omnes amplectitur, omnes honorat, omnes iuuat: non contendit, non clamat, uox eius non auditur in plateis, arundinem quassatam non confringit, & linum fumigans, non extinguit. Vbi itaque iustus hac uirtute se depressit, ab eo, qui humilia respicit in cœlo, & in terra, de stercore erigitur, & cum principibns populi sui collocatur. Est homo marcidus, ait scriptura, egens recuperatione, plus deficiens uirtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respicit illum in bono, & erexit eũ ab humilitate ipsius, & exaltauit caput ei⁹, & mirati sunt in illo multi, & laudauerunt Deum. Quis ergo uirum iustum tanquam mansuetum, & humilem non laudet? non commendet? Eum inquam uirum, qui gaudet contumelia, Deum in aduersis rebus laudat, iratos suauitate mitigat, in angustijs est fortis, in pugna trãquillus, sub imperio lętus; qui pacifice uiuit, summisse se gerit; qui, a fraude, a liuore, a detractione & a garrulitate abhorret; & denique is, quẽ Deus respicit, exaudit, & suscipit. Merito igitur sapiens hanc admonitionem dabat: Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Posses etiam hoc loco eundem hominem a uirtute modestiæ laudare: quia, cum Deum sibi ob o-

Isa. 42. Mat. 12. Psal. 112 Ecci. 11. Ecci. 3. Ps. 15.

culos semper esse intelligat, modeste, & honeste coram diuina maiestate uersatur. Ad quam uirtutem Philippenses hortatus est Paulus, cum dixit: Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Dominus.n. prope est. De impio breui dicam, esse morosũ, peruicacem, petulantem, agrestem, importunum, arrogantem, seditiosum, ac denique superbum, & immodestum. Mansueti ergo, & mites possideant, & hereditent terram, & delectentur in multitudine pacis, & hic est huius uirtutis fructus sane maximus.

Phil. 4.

Psal. 36.
Mat. 5.

A participatione omnium bonorum spiritualium, quæ in Ecclesia fiunt.

Cap. XXXVI.

BEatus inter homines haberetur is, qui tam secunda uteretur fortuna, ut perpetuo de die, & de nocte aliquid pecuniarum, & externorum bonorum ab omnibus qui sunt in mundo diuitibus, sine ullo suo labore acciperet: ita ut ipsi, tanquam cuidã Regi, quos diximus omnes, aliquid census tribuerent. Hac simili fortuna, in re dissimili, uir iustus utitur. Nam, qui est in gratia constitutus, ut nos sacri doctores, & diuina scriptura docet, particeps est omniũ

bono-

bonorum, quę fiunt ab eis, qui Deum timent; qui uere in hac uita ueris diuitijs abundant:cum gloria, & diuitiæ ſint in domo timentis Deum.Hac tam proſpera conditione gloriabatur is uir iuſtus, qui cecinit: Particeps ego ſum omnium timẽtium te. Et in Symbolo articulum de ſanctorum communione cõfitemur: hoc eſt: omnium iuſtorum bona opera,alijs iuſtis communicari,eoſque iuuare,conſeruare, ac defendere credimus: extra quam communionem, ſalutem inuenies nullam. Huc pertinet illud Pauli: Cum gaudio gratias agẽtes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.i. per fidem uiuã qua quisq;corporis Eccleſiæ membrum uiuum euadit.Quamobrem,uir iuſtus, partẽ aliquam bonorum omnium, quæ ab hac ſanctorum communione,& quaſi corpore ex uarijs membris conflato,fiunt, accipit; ita ut quotidie,immo ſingulis momentis,timentes Deum,aliquid bonorum ſpiritualium, quæ ex ui caritatis, eo quo fieri poteſt modo,ſunt communia,ipſi impertiant.Finge aliquem iuſtum dormire,& interim alios uiros pios,& religioſos bona opera exercere; ut, dare eleemosynam,peregrinari, orare,rem ſacram facere, flagris ſe cedere; &, ut breui dicam, conſidera omnia bona

Ps. 111. *Ps. 118.* *Aug. epi. 23, tra. 32.90* *1. Pet. 1.* *Col. 1.* *1. Cor. 12.*

opera, quæ uno die in uniuersa Ecclesia fiunt; & intellige aliquam eorum partem ad uirum iustum aliqua ratione pertinere, & quam sit felix piorum status plane cognosces. Sed rem hanc, hoc simili illustremus. Ecclesia, est veluti corpus quoddam, cuius uaria membra sunt Christi fideles, qui in hoc mystico corpore functiones uarias exercent. Hoc corpus bonis operibus, tanquam quibusdam cibis, pascitur, & nutritur. Sicuti ergo in naturali corpore sumptus cibus in omnes partes distribuitur, quo omnia membra aluntur, & conseruantur; ita omnia mystici corporis membra, aliquid spiritualis cibi, qui ab hoc corpore sumitur, ad se trahunt, modo calore caritatis, quo nutriuntur omnia, sint affecta, & uita gratiæ, uiua. Hæc, uir quidam doctus, ac spiritualis animaduertens, de sua salute spem capiebat maximam: dum considerabat tot uiros iustos pro se uno laborare, tot bonorũ se participẽ esse, tot sãctorũ merita in se redũdare. Felicem ergo, & ꝑ beatũ eũ esse existimemus, qui huiusmodi bona, ab huiusmodi uiris, tã abũdãter capit; qui etiã si non laboret, lucratur; etiam si, ex se, cibũ non sumat, nutritur. Non secus ac sentientes animalis facultates, quæ dum animal quietem capit ipsis, non operantibus, aluntur,

Eph. 1. *Col. 1.*

Guil. par.

tur, instaurantur, & perficiuntur. Capit ergo uir iustus, ex omnibus peregrinationibus, orationib⁹, uigilijs, ieiunijs, eleemosynis, oblationibus, sacrificijs, ex cunctis denique operibus, quę in Ecclesia fiunt, partē aliquam. Hic iustitię fructus, hęc iusti felicissima condicio, hoc cōionis sanctorum commercium, tantum utilitatis uiro iusto affert, ut uix animo comprehendi possit: qua utilitate, qui caret, inæstimabili bono caret; qua uir impius, cum uitæ spiritualis tanquam mortuum membrum, sit expers, plane caret. Ex quibus intelligi licet quanto studio quilibet cauere debet, ne, uel vna grauiore culpa, se tanta bonorum spiritualium participatione, ut impij omnes faciūt, priuet. O te felicem, & te beatum iustum! qui uere dicere potes: Particeps ego sum omnium timētiū Deum. Ps. 118. Considera, quot in Ecclesia sint iusti, intellige quot, & quę possideant bona, & te illorum bonorum partē percipere aliquam existima, & quid tua tibi iustitia prosit, haud obscure cognosces: quod, si impij intelligerent, omnino impietatem detestarentur suam, & iustitia se ornare omni contentione contenderent.

A virtute liberalitatis, per quam omnia bona, tam corporalia, quam spiritualia cum omnibus communicat.

Cap. XXXVII.

BEatius esse dare, quam accipere, ueritas asseuerauit æterna. Propterea, ne hac
Act. 20. maiore beatitudine uirum iustum priuemus; eum, non modo beatum quia ab alijs accipit, quod iam docuimus; sed etiam beatiorem esse, quia alijs largitur, nunc demonstremus oportet: ne eius manus ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta
Eccl. 4. uideatur. Cum ergo sanctorum communio ex caritate proficiscatur, quæ est amor mutuus propter Deum; idcirco uir iustus, ut ab omnibus honeste accipit, ita omnibus liberaliter elargitur. Nam, cum sit uiuum mystici corporis membrum, uiua exercet opera, quorum fructus cum viuentibus membris, quæ, ut seipsum amat, communicat. Existit itaque uir iustus certo in loco; & tamen uim suam omnibus vbiuis locorum existentibus, sibi nō modo sanctorum communione, sed quauis ratione coniunctis, impertit: notis inquam, & ignotis: suis & externis: amicis, & inimicis: dum, ueluti
Mat. 5. Deus, pluit super iustos, & iniustos: quia iustorum causa, ut inferius dicemus, cōseruantur

uantur omnia: dum pro omnibus orat, & omnes saluos esse uellet: dum flet cum flentibus, gaudet cum gaudentibus: dum omnes æque, ac se amat; ita ut nemo sit, qui se a calore eius abscondat: dum denique factus est omnia omnibus: quandoquidem eo amore qui fecit, & refecit, & conseruat omnia uehementer ardet; eo inquam amore, qui non potest non amare, & uehementer amare. O admirabilem magnificētiam, & munificentiam uiri iusti! qui ita diues, ita benignus, ita prolixus est, ut, absque ulla locorum, temporum, & personarum exceptione, omnibus omnia cupiat, de omnibus bene mereri desideret, ac quātum in se est, bene mereatur. Est etiam uir iustus, liberalis in bonis terrenis, si quid possidet distribuendis: ideo de ipso legitur: Dispersit, & dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi. Huc pertinent illa Pauli verba, quę diligenter considerantur a iustis. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum pręstabit, & multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ; ut in omnibus locupletati abūdetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarū actionem a Deo. Quare, dum uir iustus aliis benefacit, animæ suę miseretur: qui autē crude-

Rom. 12.
Psalm. 18.
1. Cor. 9.
Ps. 111.
2. Cor. 9.
Pro. 11.

crudelis est,etiam propinquos abijcit. Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam,merces fidelis. Alij diuidunt propria,& ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in ægestate sunt. Animá quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Itaque iustus fœneratur Domino, dum ipsius obedit præcepto; quo iubetur. Et omnino indigens, & mendicus non erit inter uos: Non obdurabis cor tuum,nec contrahes manum tuam;
Deut. 15. sed aperies eam pauperi: Date, & dabitur
Luc. 6. vobis. Quod si hoc loco exemplis ostendere uellem,quātum uiri iusti in rebus externis liberales fuerint longū omnino facerē: qua in re,ita multi excelluere, ut nihil sibi reliquerint;illud seruātes cōsiliū,quod dicitur: Si uis pfectus esse,uade,& uēde omnia
Mat. 19. quæ habes,& da pauperibus. Ideo Aposto-
Luc. 18. li omnia reliquerunt:& illi primi, & perfe-
Act. 5. cti Christiani omnia ad pedes Apostolorum proiecerunt: Idem fecerunt Dominicus,Franciscus,Martinus, Bernardinus, Benedictus, & Paulinus Nolanus episcopus, qui seipsum in eleemosynam dedit,cū pro filio uiduę cuiusdam captiuo, ut ipsum redimeret, se Vandalis tradidit. Quod si interdum iustus parum dat,tamen, cum totū quod potest, det, & ex toto animo det, ut

paupercula illa mulier, quæ duo minuta in *Mar. 12.*
gazophilacium iniecit, plus quam alij da- *Luc. 21.*
re cenſetur. Inſuper ad exercēda opera ſpi
ritualis liberalitatis, ſeu miſericordiæ, uir
iuſtus paratus eſt, ad quæ facienda nō mo
do occaſionem expectat, ſed etiam quęrit,
& ubi inuenit, exercet. Nam imbecilles, & *Rom. 15.*
infirmiores ſuſtentat: conſilio dubitantem
& ambigentem iuuat, eiuſque conſcientiá
extricat: ignorantem, ſeu errantem in ſpiri *Pſal. 50.*
tu lenitatis inſtruit, & per ueram rectamq; *Gal. 6.*
ſalutis uiam ducit: afflictos, & mœrentes *Iac. 5.*
conſolatur: peccantem non ſinit errare, *1. Theſ. 5.* *1. Cor. 5.*
ſed tanquam bonus frater corripit, & co-
ram omnibus, ſi id ratio poſcit, ut etiam *Mat. 6.*
ceteri timorem habeant, arguit: iniuriam
facienti omnem offenſam condonat, cum *Col. 3.*
noſcat Deum ſibi multa donaſſe, & eſt *Mat. 18.*
paratus non modo ſepties, ſed & ſeptua- *Mat. 5.*
gies ſepties, idem efficere: denique,
pro uiuis & defunctis, atque pro perſe-
quentibus & calumniantibus ſe, orat: & *Luc. 23.*
cum magiſtro ſuo inquit: Pater, dimitte *Act. 7.*
illis, quia neſciunt quid faciunt: aut cum
condiſcipulo: Domine, ne ſtatuas illis hoc
peccatum. Quamobrem, uir iuſtus libera
litatis, & miſericordiæ uirtutibus ornatus
in omnes, omnibus modis, eſt beneficus:
& ita Chriſtum eſurientem paſcit, ſitientē

reficit, peregrinum excipit, nudum operit, infirmum uisit, in carcere detentum redimit: eiusdem Christi causa, imperfectos fert, dubios extricat, ignorantes docet, mœstos consolatur, peccantes corripit, inimicos sibi conciliat, & pro omnibus orat. Impius uero, cum non misereatur animæ suæ, cum erga se auarus sit, quomodo in alios erit liberalis, aut aliorum miserebitur? Quis ergo uirum hunc ob tantam liberalitatem, magnificentiam, & misericordiam non laudet, & tanquam beneficum non obseruet, & colat, & ueluti parentem non amet? cum auxilia omnia corporalia, & spiritualia, notis & ignotis præbeat, & tanquam caput in cetera membra influat, eaq; moueat, & tāquam oculus dirigat, & tanquam manus defendat, & tāquam pes sustentet: ut dicere iure possit: oculus fui cœco, & pes claudo.

Iob. 29.

A virtute frugalitatis, & mediocritatis, per quam omnia sua bona conseruat, & amplificat. Cap. XXXVIII.

ITa vir iustus liberalitatis uirtutem exercet, ut frugalitatis laudem, quæ uirtus semper a prudentibus hominibus plurimi facta fuit, non amittat. Vt ergo in suis bonis

nis communicandis est beneficus; ita etiã in iisdem conseruandis, & amplificandis, præsertim, si de spiritualibus loquamur; frugalis, ac diligens est. Etenim, spiritalia bona sibi a Deo concessa, non modo non dilapidat, uerum etiam de illis augendis semper cogitat, & nihil ut illa amplificet, non efficit: dum omni loco, omni tempore, in omni uitæ usu, aliquid boni meditatur, uel agit: dum semper orat, & nunquã desistit: dum aliorum uirtutes imitari studet: dum cauet ne sibi folium decidat; id est, ne quid leuiter peccet: dum omnium orationibus se se commendat: dum charismata meliora æmulatur: dum pauciora dat, ut plura recipiat: dum etiam ex malo bonum colligit: dum se non multũ in humanis negociis occupat: dum sibi sacculos, qui non ueterascunt, facit: dum concesso talento negociatur: dum denique ex omnibus rebus, quas uidet, audit, & alia quauis ratione percipit, aliquam spiritualem utilitatem haurit. Quo fit, ut ex creaturarum uarietate, ex lucis pulchritudine, ex syderum splendore, ex cœlorum motibus, ex arborum specie, ex florum & herbarũ amœnitate, tanquam spiritualis, aliquid spiritualis fructus capiat. Et ideo quotidie magis, magisque suas diuitias auget, & amplificat,

Luc. 18. *Psal. 1.* *1. Cor. 12.* *Luc. 12.* *Mat. 25.*

plificat, quas, ea potiſſimum ratione ſe amplificare cognoſcit, quo magis eas communicat. Quare, ceu frugi & prudens homo, id primum curat, ne quid de bonis internis minuat: deinde eadem cumulare diligenter ſtudet: propterea ſemper ſe pauperem eſſe exiſtimat, ac ſe egere cognoſcit: ut ſua egeſtate cognita, ab omnibus aliquid bonorum ſpiritalium poſcat, & nihil non agat, ut diuitior fiat. Impius uero, nihil horum efficit; ſed omnia alia cogitat, & facit, quam, quæ ad ſpiritualia bona conſeruanda, & augenda pertinent. Immo, tanquam filius adoleſcentior, in longinquam regionem proficiſcitur, ubi luxurioſe uiuẽdo ſubſtantiam ſuam diſſipat, & incipit egere, & uni ciui regionis illius ſeruire; a quo in uillam ad paſcendos porcos mittitur, ubi fame perit, & porcorum ſiliquis ſatiari cupit, & nemo ei dat. Quam rem piorum mentibus cogitandam, & meditãdam relinquo; cum ſit omnino cogitatione, & meditatione digna. Eſt etiam uir iuſtus in eo laudandus, quod rebus frugaliter utatur externis, & aurea mediocritate, quæ tantopere a ſapientibus ſemper laudata fuit, delectetur. Propterea hunc in modum Deum orat: Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: ſed tribue tãtũ uictui meo

Luc. 15.

Prou. 30.

meo necessaria. Item: si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in uia, in qua ambulabo, & dederit mihi panem ad uescendum, & vestitum ad induendum, &c. Solum itaque uictum, atque uestitum uir iustus a Deo requirit. Habentes ergo, ait Paulus, alimenta, & quibus tegamur, his contẽti simus. Etenim magnus quęstus est pietas, cum sufficientia: quia, melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles: & melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Ædificent sibi diuites domos: & uineas: plantent, & conserant hortos: extruant piscinas: possideant seruos & ancillas: armẽta habeant, congregent sibi undique argentum, & aurum: faciant sibi cantatores, & cantatrices: & in summa, quæ desiderari possunt consequantur omnia: quia, cum in his omnibus sit vanitas, & afflictio spiritus, melior erit pugillus cum requie, quam vtraque manus plena cum labore, & afflictione animi (quia saturitas diuitis non sinit eum dormire) & paupertas cum timore Dei: in quo timore, omnes diuitiæ, omnes delectationes, & beatitudines omnes humanæ, & diuinæ consistunt,

Gen. 28 *1. Tim. 6.* *Prou. 15.* *Eccs. 2.* *Eccs. 2.* *Eccs. 4.* *Eccs. 5.*

A castitate, seu munditia, qua corpus, & animam munda, & nitida conseruat. *Cap.* XXXIX.

LAudarunt aliqui, & iure quidem optimo munditiam, & elegantiam corporis; ut quæ homines ingenuos, & liberaliter educatos maxime decet. At multo maioribus laudibus internam mundiciem, quæ a pudicitia, & castitate, temperantiaq; ducit originem, alij laudandam esse censuerunt; quippe quæ præstantior est, & exterioris nitoris sæpenumero causa existit. Quibus laudibus uirum iustum nulla ratione defraudandum esse arbitror. Nam, si de interiore munditia loquamur, certissimum est eum esse nitidum, & a maioribus maculis purum; cum sit ciuitas, domus, templum, tabernaculum, & sedes, in quibus Deus resideat; qui non habitat in corpore subdito peccatis, a quibus humana mens inficitur, ac demum sacrarium, in quo Spiritus sanctus dona sua adferebat. Hanc autem internam pudicitiam conseruat, cum exteriores sensus ab omni re, quę inficere animam possit, auocat. Nanque oculos in ea, quæ ad impudicitiam excitant, non conuertit, nihil immundũ per eos intrare sinit: aures uerbis impuris non aperit: nares

Sap. 1.

res rebus, non bene olentibus non admo-
uet: manibus nihil sordidum contin-
git, & postremo nihil gustat, quo inficia-
tur, immundusque euadat: ac proinde in-
tus, forisque, est nitidus, purus, mundus,
elegans, & pudicus; cum nulla turpiore
macula, quę oculos Dei in ipso habitantis
offendat, sit infectus. Etenim spiritum suũ *Psalm.76.*
scopat, faciem suam tergit, manus inter
innocentes laudat, & de pedibus, inquit:
laui pedes meos; quomodo inquinabo *Mat.*
illos: Quamobrem hic uir, cor, oculos, au
res, nares, os, manus, & sensus, & faculta *Psalm.* *Cant.*
tes omnes, membraque omnia, ab omni
macula, & impudicitia, circumcisa, & mun
da habet. Quia Deus uocauit iustum non *1.Thes.4.*
in immunditiam, sed in sanctificationem:
& molles, ac impudici regnum Dei non
possidebunt: cum inficiant membra Chri
sti, & per impudicitiam faciant membra
meretricis, & templum Spiritus sancti uio *1.Cor.6.*
lent: dum per fornicationem animum, &
corpus fœdant. At uero innocens, & purus *Iob.22.*
saluabitur, sed in munditia manuum sua-
rum. Quot igitur laudes, munditiæ, pudi
citiæ, temperantiæ, & castitati debentur,
tot uiro iusto, his omnibus uirtutibus or-
nato, tribuantur: quas, cum quis ei tribue
rit, etiam maximas, nõ propterea eius me

Eccl. 26. rito ſatisfecerit: Quia omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ. Apparet etiam in uiris iuſtis,quędam exterior mũditia in corpore, atque habitu, & in iis pręcipue rebus, quæ ad diuinum cultum pertinent: ut cernere licet,in locis, in qui
Ber. bus uiri uere religioſi,habitant.Et quidam uir uere iuſtus dicere ſolebat: Paupertas mihi ſemper placuit,ſordes uero nunquã. Impius uero, intus foriſque animo,& cor pore eſt immundus, & ſpurcus. Animo
Luc. 11. quidem, quoniam eſt ueluti uitiorum ſen tina, ſtabulum Dæmonis,& domus,in qua ſeptem nequiſſimi ſpiritus habitant.Impu ris itaque cogitationibus delectatur,ſeque totum in illis inuoluit: impudica,& quæ ad libidinem excitant aſſidue inſpicit,atq; per impudicos oculos in animum introdu cit:turpia,& obſcœna libenter audit,ac de eiſdem loquitur: odoribus laſciuis oblectatur: ſordida quęque contingit, & amplectitur:cibis intemperanter ſumptis cor pus,& animam fœdat: in omni denique corporis habitu, motu,geſtu, & actione,ſe turpiter,impudice, & incontinenter gerit,
2. Reg. 19. & ueluti alter Miphiſboſeth illotis pedibus, intonſa barba, & immunda ueſte,
2. Reg. 2. Deo occurrit, & ideo dimidia hæreditate priuatur. Impiorum immundiciam Petrus

Apoſtolus ſic eleganter deſcripſit: Canis Prou 26.
reuerſus ad ſuum uomitum, & ſus lota in
uolutabro luti. Solent enim impij eadem
peccata, quæ ſemel euomuerunt, iterum
ſumere, ac in illis de nouo, tanquam ſues
in coeno, ſeſe inuoluere, & præſertim in
uitio luxuriæ, quod non modo animum,
ſed etiam corpus inficit. Eſt itaque uir im- 1. Cor. 5.
pius corde, corpore, & ſenſibus, immundus:
cuius manus ſunt plenæ ſanguine, & Iſa. 1. 59.
opera ita ſordida, ut pannus menſtruatæ:
ut merito Deus ipſius turpitudinem deteſtetur,
& illam, igne, ſe uelle mundare per
Ezechielem prophetam dicat. Quam etiã
immunditiam in exteriore cultu, interdũ, Eze. 59.
in impio cerneres. Ex quibus colligere licet,
nihil eſſe in hoc mundo, præſertim coram
Deo, immundum, non pulueres, non
ſcorias, non lutum, non fæces, nõ ſtercora,
præter impium, quo nihil, præſertim animo,
ſordidius reperiri poteſt.

A virtute iuſtitiæ: & quæ ſit iuſtitia Chriſtiana, & quis dicatur. Iuſtus docetur. Cap. XXXX.

QVi de moribus ſcripſerunt, uirtutem iuſtitiæ maximis laudibus proſecuti ſunt, eamque præclariſſimis nominibus

appellarunt. Etenim, alij hesperum, alij luciferum, alij huius mundi solem, alij totá, seu perfectam uirtutem, quod omnes amplexu suo complectatur uirtutes, & hominē omni ex parte perficiat, nominarunt. Et sane maximis laudibus digna esse uidetur, ea uirtus, quę cuiq; suū sine ulla personarū acceptione tribuit: quæ Deo cultum, patriæ pietatem, parentibus honorem, & ceteris omnibus, quod singulis debetur, reddit: quæ inquam, superiori reuerentiam, æquali consilium, subdito custodiam, exhibet: quę magis aliis, quam sibi prodest; quæ utilitatem suam negligit, & communem quærit: quæ non cognatos, non amicos, non parentes, sed unam ęquitatem, & æqualitatem spectat: quæ non amore, nō odio, non ira, nō cupiditate, flectitur: quæ pauperes uiduas, infirmos pupillos, & destitutos orphanos defendendos suscipit: quæ religionem conseruat, leges tuetur, ciues in officio continet, bonis præmia largitur, improbos punit: quæ coniurationes, turbas, cędes, furta, rapinas, sacrilegia, & omnia, ut breui dicam, mala a ciuitate repellit: quæ demum pacem, in qua urbis, & orbis naturalis posita est felicitas, omni cura conseruat. Quod si humana iustitia tantopere laudanda est, quanto magis

gis christiana iustitia, quæ perfecta est, ac uir iustus, qui perfectus homo est, laudandus erit? quem nos laudare conamur, licet pro dignitate, id nos efficere non posse, nobis exploratum sit. Sed tamen, ut adhuc eius prętantiam, ut póssumus, melius explanemus, speciatim, quis iustus dicatur, & quæ sit christiana iustitia, paucis aperiemus. Vir ergo iustus, est is, qui nulla in re est iniquus: qui neque ad dexteram, neq; ad sinistram flectit: is, quem Deus ducit per uias iustitię, idest per uias planas, minime tortuosas, & salebrosas: is qui utranque fortunam sapienter fert; quippe qui suis numeris absolutus, & quadratus est, ac proinde stabilis, & firmus: & ideo semper eodem se modo habet. Etenim iustitia perpetua est, & immortalis: iniustitia autẽ mortis acquisitio. Is est iustus, quem Deus diligit, & intuetur: quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit, & æquitatem uidit vultus eius: is qui, ut palma floret, ut cedrus libani multiplicatur: is postremo est iustus, qui ex Deo iusto, natus est. Namque omnis qui facit iustitiam, idest qui incorrupte, & sincere uiuit, ex ipso natus est. Hunc eundem hominem sic eleganter Bernardus descripsit. Bona uinea iusti; immo bona uinea iustus; cuius uirtus uitis, cu-

Psalm. 22.

Sapien. 1.

Ps. 10.

Psalm. 91.

1. Ioan. 3.

Ber.

ius actio palmes, cuius uinum testimoniũ conſcientię, cuius lingua torcular expreſſionis, & lacrymæ pię contribulatorũ vuæ ſunt amãtium. Iuſtitia, ut quidam ſcripſit, eſt uirtutis ſplendor maximus, ex qua uiri boni nominantur. Vel, ut docuit Hieronymus, omnes uirtutum ſpecies, uno iuſtitiæ nomine continentur: non una, uel altera, ſed omnes: non tantum morales, ſed etiam Chriſtianæ, quę non parum illas antecellunt: non tantum uiribus naturæ acquiſitę, ſed etiam diuinitus donatæ. Multum itaq; iuſtitia politica, & chriſtiana inter ſe diſtant. Nam, illa eſt ciuilis, hæc cœleſtis: illa uiribus naturæ acquiſita, hęc diuinitus donata: illa in his qui ſunt ex diabolo eſſe poteſt, hæc in his tantum, qui ſunt ex Deo, reperitur: illa honeſte ex parte uiuit, hæc ſancte, & perfecte degit: illa nemini nocet, hæc omnibus prodeſt: illa quod alterius eſt, alteri reſtituit: hæc etiam quod ſuum eſt, alijs donat: illa denique eſt imperfecta quædam, & inchoata: hæc uero, omni ex parte abſoluta uirtus. Etenim Chriſtiana iuſtitia, idem eſt, ac plena omnium legum obſeruantia, & uita omni ex parte legibus omnibus reſpondẽs: per quam Deũ ſuper omnia, & omnia propter Deum, & proximum, ęque ac ſeipſum, is qui ea ornatus

Hier. ad Demet.

Chryſ. ho. 22. in Gen.

1. Ioan. 5.

Mat. 22.

natus est, amat: quæ tandem, ut diximus, uirtutes complectitur omnes. Ex quibus, rursus, quis nam sit uir iustus, colligere posses. Nam is est, qui est perfecte obediēs, qui leges omnes custodit, qui omnia, eo quo debet modo, diligit, & uirtutibus est ornatus omnibus. Pone hoc loco, amice lector, tibi ob oculos hominem in quo reperiantur omnia uirtutum genera, & eo perfectiore modo, quo fieri potest; & uide, quæ laudes singulis uirtutibus tribuantur, & tribui debeant; uidelicet, fortitudini, temperantię, prudentię, modestiæ, liberalitati, patientiæ, humilitati, obedientiæ, caritati, & alijs omnibus; & intelliges; quibus laudibus uir iustus ornandus, ac cumulandus sit; qui & Deo, & hominibus, & sibi, quod iure debetur, uirtutum omnium auxilio, plene persoluit: quas laudes, cum uideam esse innumeras, & immensas, earum multitudine, & magnitudine uictus, silentio prætteribo, ac uenerabor, atque ad alium locũ tractandum me conferam; si prius quædā diuinæ scripturæ uerba huc pertinentia, adscripsero. Qui, inquit scriptura, continens est iustitię, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a uirginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane uitæ & intellectus, & Eccl. 15

aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur; & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum ad proximos ſuos, & in medio eccleſiæ aperiet os eius, & implebit illum ſpiritu ſapientię, & intellectus, & ſtola glorię veſtiet illum. Iucunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper illum, & nomine ęterno hęreditabit illum. Homines ſtulti nō apprehendent illam, & homines ſenſati obuiabunt illi. Homines ſtulti non uidebunt eam, longe enim abeſt a ſuperbia & dolo. Hęc ſcriptura. De homine uero iniuſto, nihil priuate dicam; ſed contraria omnia, cum ſit iniuſtitia infectus, affirmares: ac omnia diceres, ſi nec Deo, nec hominibus, nec ſibi, quod debetur, reddere diceres: quo fit, ut, & Deo, & hominibus, & ſibi iniquus, & inuiſus exiſtat.

A diuino timore, quo pręditus eſt: & qui ſint diuini timoris effectus.
Cap. XXXXI.

CVm uiri iuſti ſtatus in diuinis literis, non modo iuſtitia, ſed etiam Dei timor nominetur; de quo pręclara, & illuſtria ſacra dicunt eloquia; ut quantum uir iuſtus laudandus, & quanti ſtatus ipſius facien-

ciendus sit adhuc melius intelligatur, ali-
quot ex diuina pagina de hoc sácto timore
sententias afferam. Timore ergo Dei nihil
est melius: quoniá ab eoq́ cupere quispiam
posset, omnia ꝓficiscuntur commoda. Si lu *Ecci. 23.*
men desideras; hoc tibi Dei timor afferet.
Qui timetis Dominum, diligite illum, & il *Ecci. 2.*
luminabuntur corda uestra. Si a malis libe
rari cupis: timor Domini te liberabit. Ti-
menti Dominum non occurrent mala: sed *Ecci. 33.*
in tentatione Deus illum seruabit, & libera
bit a malis. Si a peccato mundari uis: hic
timor te mundabit. Timor Domini expel-
lit peccatum: nam, qui sine timore est, non *Ecci. 1.*
poterit iustificari. Vis, ut Deus tibi prȩsto
sit; eum time. Qui timent Dominum, spe-
rauerũt in Domino, adiutor eorum, & pro-
tector eorum est. Vis sine mundano, & mo *Ps. 113.*
lesto timore uiuere? Deum time. Qui timet
Dominum, nil trepidabit, & non pauebit,
quoniam ipse est spes eius. Desideras do- *Ecci. 34.*
ctrinã; eã tibi timor afferet. Qui timet Do-
minũ excipiet doctrinã eius. Sapientiã ex *Ecci. 1.*
optas, eã Dei timor te docebit. Initiũ sapiẽ *Iob. 28.*
tiæ, est timor Domini: immo, timor Domi
ni ipse est sapiẽtia. Honorẽ, & gloriã assequi
uelles, per timorem Domini id tibi licebit.
Timor Domini gloria, & gloriatio, & læti-
tia, & corona exultationis. Delectationem *Ecci. 1.*
cupis:

cupis: Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinē
Ecci. 25. dierum: si uis Deum amare, eū timeas oportet. Timor nanque Domini, est initium dilectionis eius. Vis ut Deus præcipuam tui
Ecci. 30. curam habeat, eum timeas necesse est: quia scriptum est: Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamētum uirtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiei, &c. Si uoti compos esse cupis, Deum time. Siquidem Deus uoluntatem timē
Ps. 144. tium se faciet, & deprecat ionē eorum exau
Ps. 146. diet; & saluos faciet eos; & Beneplacitum est Domino super timentes eum. Vis securus esse in morte, Deum time: quia Timen
Ecci. 1. ti Dominum bene erit in extremis; & in die
Psalm. defunctionis, suæ benedicetur. Salutem a Deo exoptas: Prope timentes eum salutare ipsius. Vitam desideras: Timor Domini,
Pro. 14. fons uitæ; ut declinet a ruina mortis. Mercedem assequi uelles; Deum time, & assequeris: quia scriptum est: Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur mer-
Ecci. 2. ces uestra; Qui timetis Dominum, sperate in illum; & in oblectationem ueniet uobis misericordia: Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? Denique timentis Dominum beata est anima
Ps. 111. eius, & Beatus uir qui timet Dominum: Potens

tens

tens in terra erit ſemen eius: Gloria,& diui tiæ in domo eius. Cum ergo Dei timor tot tantaque ſecum bona afferat; quis timentem Deum,non laudet? quis timorē hunc, qui omnem malum pellit timorem; acquirere non ſtudeat? quis pulcherrimis operationibus,quæ ab hoc ſancto timore naſcũtur,non capiatur? Nam, qui hunc timorem eſt adeptus, Deo credit, mandata ſeruat, cor ſuum præparat; parentes honorat,Dominum uigil expectat, nihil negligit, ſed omnia quæque perpendit: nulla, ut breui dicam,in re,quæ ad ſalutem pertineat, torpeſcit. At uero impius qui timore Dei caret,his omnibus bonis priuatur. Is cui Dei timor abeſt,ſomno indulget,deſidiæ uacat: uoluptates aucupatur, aduentum Domini non expectat,conſeruos percutit,in omnia denique præceps ruit uitia. Innumerabiliũ ergo bonorum cauſam,timorem Dei,merito quidam eſſe dixere: quo, cum uir iuſtus ſit præditus, per eum innumerabilia conſequetur bona,ac innumerabilibus laudibus dignus exiſtet. *S. Ephr.*

A virtute obedientiæ, & de obedientia præſtantia. *Cap.* XXXXII.

CVm chriſtiana iuſtitia omnes animi partes,quæ per inobedientiam a Deo receſ-

recesserant instauret, ac perficiat: inde fit, ut uir iustus omni ex parte Deo sit subiectus, ac obediens. Siquidem, qui filij Dei sunt, ut sunt omnes iusti, Spiritu Dei aguntur, ac
Rom. 8. uirtute obedientiæ, qua ornati sunt, se agi sinunt. Cui uirtuti tantum diuinæ literæ tribuunt, ut meliorem eam esse dicant, quam
1. Reg. 15. Eccl. 4. sacrificium, & sancti patres summis eam laudibus in cœlum tollant; & merito quidem. Nam, sicuti inobedientia fons pecca-
Rom. 5. torum omnium extitit, & hominē, & cum homine creaturas omnes quodam modo a Deo seuocauit; ita obedientia bonorum omniū origo, hominē, & cum eo creaturas reliquas ad Deum reuocat, Deoque iterum
1. Cor. 5. subijcit, & coniungit. Et hanc ob causam Dei filius factus obediens, in hunc mundum uenit, ut per obedientiam usque ad mortem, inobedientiam destrueret, & om-
Phil. 2. nia ad obedientiam reuocaret; & ita honorem, gloriā, & regnum Patris recuperaret. Huc facit illud: Cum exaltatus fuero, om-
Ioa. 12. nia ad me traham: hoc est, cum per obediētiam mortem obiuero, ac Patris uoluntati satisfecero, Dæmonis regnum destruam, & omnia ad seruiendum Deo, per obedientiā reuocabo. Quod autem uir iustus hac precipua uirtute, quæ in Dei Filio singulari quadam ratione enituit, sit ornatus, facile

 per-

persuaderi potest. In primis, impius, qui vetus homo nominatur, ut aliqui docte dicunt, est ipsa inobedientia, per quam primus homo a Deo, cui erat unitus recessit. Quare cum uir iustus sit impio omnino contrarius, erit ipsa obedientia; qua nouus homo, ut est uir iustus, iterum Deo unitur. Deinde uir iustus is est, qui omnes beatitudines adeptus est; inter quas primũ locũ obtinet ea, qua dicitur: Beati pauperes spiritu.i. beati qui spiritu nihil possident: quo spiritu, is non est pauper, qui aliquid uolũtatis, tanquam proprietarius habet: quam uoluntatem, qui habet, & Deo, a quo accepit totam non restituit, pauper spiritu appellari minime potest. Cum ergo uir iustus hanc beatitudinem adeptus sit; nihil habebit uoluntatis; & proinde totus erit obediẽtia. Præterea, quid nam aliud est obediẽtia, quam quædam humanę uoluntatis cum diuina uoluntate coniunctio? ita ut creata uoluntas ui obedientiæ, in uoluntatem diuinam, quantum fieri potest, conuertatur, & diuina fiat. At iustus, ut scriptura docet, vnus effectus est cum Deo spiritus, quod uoluntatis unione potissimum efficitur: Erit igitur eius uoluntas eadem cum uoluntate diuina: ac proinde totus erit obedientia. Amplius, uir iustus, in se mortuus

Mat. 5.

1. Cor. 6.

Rom. 6.

est,

2. Cor. 5. Phil. 1. Gal. 2. est, & Deus, & Christus in eo uiuunt; & idcirco dicit: Viuo autem, iam non ego: quo fit, vt cum Deus in ipso uiuat, Deus etiam in ipso operetur, amet, & uelit. Si ergo Deus in ipso vult, ipse uero nihil, quomodo non erit obediens? Huc omnes leges, huc omnia pręcepta referuntur, ut tandem homo nihil velit, & solus Deus in ipso velit: qui si non uellet in iusto, in eo non esset, nec viueret: quandoquidem, nemo est sine Deo, nisi is, in quo Deus nō vult. Ideo uir iustus ab optimo obedientiæ magistro

Luc. 22. edoctus, ait: Non mea, sed tua, o Pater, fiat voluntas. Hinc nascitur, vt nihil sibi tribu-

Colos. 3. at, nihil arroget; cum totum veterem homi nem .i. inobedientiam ipsam, exuerit. Propterea dicere potest, ac dicit. Non ego, non mei, non mihi, non me, neque a me: sed, Deus, Dei, Deo, Deum, atque a Deo omnia. Ad hæc, nouit iustus se emptum fuisse a

1. Cor. 6 Christo, & se non habere dominium sui: Siquidem audit scripturam dicētem: Non estis vestri: empti estis precio magno: Nescitis quoniā corpora vestra membra sunt Christi? Et ideo tanquam deditissimus seruus, se totum Domino suo tradit, seque ab ipso, pro ipsius voluntate tractari, ac agi sinit; cui uoluntatem suam, tanquam holocaustum litat, quod holocaustum, magis quā

quod-

quodcunque aliud ſacrificium Deus ab homine requirit. Vt iumentum, inquit uir iuſtus Deo, factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: hoc eſt, tuæ uoluntatis, & imperij rationes non requiro; ſed ſimpliciter iuſſa tua exequor: non ſecus tibi, obedio, ac iumentum domino ſuo. Denique, conſiderat uir iuſtus, hunc mundum eſſe quaſi paradiſum terreſtrem, in quo ſibi omnia conceſſa eſſe putat, uno excepto inobedientiæ pomo, arboris propriæ uoluntatis: a quo mortifero pomo abſtinet, ne ad ueteris hominis uitam, quam ſemel poſuit ſumendam, redeat. Sed iam aliquibus exemplis, uiros iuſtos obedientia ornatos eſſe, demonſtremus. Noe hac uirtute prędítus, arcam non ſine ſummo labore fabricauit, ac alimenta pro omni genere animãtium comparauit. Abraham, eadem uirtute excitatus, patriam, domum, & cognationẽ reliquit, & ſe, ſuoſque circumcidit, & unicum filium, ut occideret iuſſus, non detrectauit. Moyſes ad conſpectum crudeliſſimi Regis, Dei iuſſu multoties acceſſit, & difficilem de reducendo populo prouinciam ſuſcepit. Iehu uberrimum obedientiæ ſuæ fructum reportauit: quia, dum domum inobedientis Achab obediendo deſtruxit, regnum ſuum confirmauit. Apoſtoli

Ps. 72.
Gen. 7. 12. 13. 22.
Exo. 4. 5. 6 7.

ſtoli ſimplici uerbo a Chriſto uocati, non dum uiſis miraculis, relictis omnibus, eū ſecuti ſunt: a quo nullis incommodis, nulla aduerſa re, nullis perſecutionum procellis diuelli potuerunt. Ioannes Abbas ſiccū palum, bis in die, per annum irrigare iuſſus, non negauit. Mutius Abrahæ exemplo edoctus, filium, quem ſecum in monaſterium duxerat in fluuium proieciſſet; niſi obedientia, quæ ut proiiceret, iuſſerat, impediuiſſet. Gulielmus Aquitaniæ prouinciç olim Dominus, monaſterium ingreſſus, furnarij partes agere non eſt dedignatus. Et, ne plura numerem exempla, quæ creatura non excitetur ad obediendum, ſi conſiderauerit creatorem, creaturæ cauſa, creaturæ obedire uoluiſſe? Et erat ſubditus
Luc. 2 illis: creator uidelicet, creaturę. O feliciſſimos parentes, qui talem filium habuiſtis?
Ioan. 4. 5. 6 cuius cibus erat, facere uoluntatem Patris: qui non ſuam, ſed eius a quo miſſus fuerat, uoluntatem quærebat: ad quam faciēdam e cœlo deſcendit, ſeipſum exinaniuit,
Phil. 2. formam ſerui accepit, & factus eſt obediēs uſque ad mortem, mortem autem crucis. Cur ergo uir iuſtus non obediat Deo, cui Chriſtus Dominus, Beatiſſima Virgo, omnes Angeli, & beati, cui cœli, & ſidera cūcta, cui elementa omnia, cui demum ſin-
gulæ

gulæ creaturę obediunt, dum a sibi impoſi-
to non recedunt mandato. Cur uir iuſtus [illegible]
non obediat, cum ob inobedientiam, tot
homines grauiter puniti fuerint? Vxor *Gen. 19.*
Loth uerſa eſt in ſalem: Onam Iudæ filius
a Domino percuſſus fuit: Dathan, & Abi- *1. Reg. 15*
ron terræ hiatu abſorpti: Saul reprobatus:
Amaſias uictus: totum denique humanum
genus ob unius parentis inobedientiam,
tam grauiter caſtigatum, & punitum: cum
ex una inobedientia, quot quot ſunt in mũ-
do labores, dolores, anguſtiæ, morbi, miſe-
riæ calamitates, ut ſummatim dicã, & mala
omnia, originem duxerint. Melior igitur *1. Reg 15*
eſt obediẽtia, quam victimæ, & auſcultare,
quam offerre adipem arietum. Cum ergo
hęc obedientię uirtus tam illuſtris, tam prę-
clara, totque laudibus digna ſit; quis vi-
rum iuſtum hac virtute exornatum nõ lau-
dabit? Per quam virtutem, egregias, & in-
ſignes operationes exercet. Nanque vir
obediens in ærumnis gaudet, in moleſtijs
Deo gratias agit, mandata non ſpernit, iu-
benti non auerſatur, iuſſa non examinat, ar-
guẽti nõ iraſcitur; hilari ſemper eſt animo:
celeriter mandata exequitur, quieſcere neſ-
cit: accedit, recedit, conſtruit, deſtruit, vt
obedientiæ placet: poſtremo, & parentibus
& prælatis, & patrię, & Deo debitum per- *Rom. 8.*

Pro. 21. soluit, quæ omnia ideo præstat: quia Spiritu Dei ducitur: Quare merito scriptum est: Vir obediens loquetur victoriam: cum per obedientiam omnes difficultates superet, & omnia vincat, & voluntatem suam alijs subijciendo, de seipso victoriam omnium maximam referat. Impius autem, est ipsa inobedientia; & ideo mandata detrectat, excusationes quærit, omnia putat difficillima, nunquam non obmurmurat, semper conqueritur, opus sine socio non aggreditur, fraudes & dolos excogitat, nunc unũ nũc alterum sugillat, admonitiones iniquo animo audit, uocatus, aut non venit, aut nõ ad tempus, & otio marcescit: denique, simulat, indignatur, repugnat, subsannat: & est ueluti acetum dentibus, fumus oculis, scrupulus pedibus, dum sibi, & alijs omnibus est fastidio. Nemo igitur sit, qui inobedientiam naturæ humanæ inimicam, omnium malorum inuentricem, & diuinæ maiestati rebellem, non detestetur: contra vero nullus non sequatur, non amplectatur, non amet obedientiam, quæ Deo ancillatur, mala cuncta pellit, naturam reparat, mundum instaurat, regna gubernat, ciuitates conseruat, pacem tuetur, monasteria ædificat, eadem collapsa resarcit, Ecclesiam sustentat, hominis tandem voluntatem cum diuina con-

coniungit,quo nihil maius, nihil melius excogitari potest.

A virtute fidei, quæ speciatim in uiro iusto viget: & quanta sit fidei uis.
Cap. XXXXIII.

VT errant ij, qui nullo supernaturali lumine nobis in his humanis tenebris degentibus opus esse dixerunt: sic,qui hoc lumen nobis a Deo gratis cōcessum ita extulerunt, ut per ipsum solum sine operū iustitia salutem nos consequi posse putauerint,a veritate aberrarunt. Est ergo fidei lumen necessarium; ita tamen, vt si utilitatē allaturum sit, debeat esse cum iustitia coniunctum. Siquidē fides sine operibus mortua est;eadem operibus iuncta,uiua: illa in impio, hæc in iusto reperitur. Et licet in vtroque sit uera fides: tamen,quæ est in iusto, ratione iustitiæ,a qua vitam accipit, est multo præstantior. Laudari igitur potest iustus a præstantia fidei, quæ in ipso reperitur. Solent sæpenumero concionatores, dum peccatores redarguunt, hanc vsurpare sententiam: Homines non credunt: vel non reperitur in hominibus fides: quoniā si crederent,aliter,ac faciunt,uiuerent. Quibus verbis, nolunt asseuerare in eis, apud Iaco. 2.

quos dicunt, uel de quibus loquuntur, reuera non reperiri fidem; sed, id significare uolunt; homines ita uiuere, ac si non crederent; & in ipsis non esse quandam fidei euidentiam, & energiam, quæ in ijs reperitur, qui iuste, & religiose uiuunt: qui ideo maiore cum pietate vitam degunt; quod euidentius, quæ sub fidem cadunt uideant: quæ clarior euidentia in peccatoribus non reperitur: uel quia lumine fidei cogitando & meditando non vtuntur; uel quia peccata, hominis mentem tenebris infuscant.
Hanc maiorem fidei euidentiam petierunt
Luc. 15. Apostoli, cum dixerunt. Domine adauge nobis fidem: quod fidei genus Christus Dominus, multoties laudauit, ut cum di-
Luc. 8. 17. xit: Fides tua te saluam fecit: Magna est fides tua: Non inueni tantam fidem in Israel. Contra vero modicam fidem reprehen-
Mat. 8. dit. Et cum aliquem sanaturus erat, quandam fidei rationem, in eo requirebat: illam: videlicet, quæ peccatores saluat, cœcos illuminat, infirmos curat, iustitiam auget, mar-
Iac. 2.
1. Ioan. 5. tyres coronat: quæ cum operibus dat uitam, & mundum vincit. Hęc fides, quæ maiorem euidentiam, & cognitionem quan-
Ber. dam practicam clariorem habet, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit nouissima, ip-
sam

ſam denique æternitatem illo ſuo vaſtiſſi mo ſinu quodam modo circundat. Fides, quæ eſt in impio, quia ea vti non ſolet, hos non producit effectus. Et ideo fides in ipſo, eſt ueluti lumen ſine ſplendore, lucerna ſine oleo, pupilla ſine viſione, auris ſine auditu, & arbor ſine fructibus. In viro iuſto, eſt lumen cum ſplendore, lucerna cum oleo, pupilla cum uiſione, auris cum auditu, arbor cum fructibus. Impius credit paradiſum, ſed non uidet: credit pœnas inferni, ſed non experitur: credit æterna bona, ſed non guſtat: credit paſſionem, ſed non triſtatur vna cum Chriſto: credit Deum eſſe, ſed ita uiuit, ac ſi putaret non eſſe: iactat fidem, ſed eam operibus non oſtendit. At vero iuſtus duce fide, in cœlo verſatur, inferni pœnas quadam ratione experitur, gloriam guſtat, paſſionem ſentit, Deum timet, & ſemper ob oculos habet; & quam habet fidem, eam operibus oſtendit. Hac luculenta, & firma fide, Dæmones expelluntur, morbi curantur, mortui ſuſcitantur, & gratiæ a Deo obtinentur. Poſtulet inquit Iacobus, in fide nihil hęſitans: ſapientiam uidelicet, ab eo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. Hac efficaci & uiua fide, viri iuſti vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti

Ps. 88. *Luc. 11.* *Pſalm. 17* *Clem. libr. ſtr.* *Iac. 1.* *Hebr. 11.*

sunt repromissiones, obturarũt ora leonũ, extinxerunt impetum ignis, effugarunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum, & mulieres acceperunt de re-
Iean. 1. Ps. 18. 4. surrectione viros suos. In hoc lumine, seu columna ignis in nocte uitæ huius uiri iusti ad terram promissam pergunt: hoc oculo, nouissima vident, & ideo non peccant: hac aure audiunt voces illas: Surgite mor-
Luc. 8. tui, uenite ad iudicium: ite maledicti in ignem æternũ: qua aure cum quidã bonus religiosus vteretur; audita hac voce, infer-
Is. 11. nus, in lacrymas protũpebat: hoc cingulo succincti expedite ãbulant, & caste uiuunt:
Luc. 11. Psalm. 77 hoc brachio rugiẽti, & deuorare uolẽti leoni, resistunt: hac lucerna inueniũt margaritam: hoc denique funiculo promissam terram possident. Etenim hoc lumine ambulatur, hoc oculo uidetur, hac aure auditur, hoc cingulo caste uiuitur, hoc brachio pugnatur, hac lucerna amissum quæritur, hoc tãdem funiculo regnum æternum pos-
Heb. 11. sidetur. Quamobrem, merito diuus Paulus, nõ solam laudans, sed etiam definiens hanc uirtutem, dixit, esse substantiam, rem videlicet solidam, stabilem, & per se subsistentem, non imbecillitati humanæ, sed diuinę auctoritati inhærentem: substantiam

idest

idest basim, & fundamentum totius spiritualis ædificij, uirtutum omnium, & iustitiæ: Substantiam, quæ est exposita omnibus contrarijs, mundo, carni, & Dæmoni: Substantiam, hoc est inchoationem, & principium, in quo, potestate, tota iustitia continetur: Substantiam, quia in ea omnia bona spiritualia, & omnis spiritualis negociatio posita est: Substantiam rerum sperandarum, diuinorũ nimirum promissorum, uel eorum, qui sperant quasi subsistentia quædam, qua sustentantur iusti, quia bene sperant. Argumentum, hoc est, index, perspicua indicatio, indubitata certitudo, conuictio, & redargutio manifesta; qua, de rebus quæ non uidētur quisque redditur certissimus. Hac excelsa, & diuina uirtute qua Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Gedeon, Samson, & alij a Paulo laudati fuerunt, quam patres summis laudibus extulerunt, uir iustus, laudari, ac commendari debet; cum in eo sit efficax, & uiua. Qua certe laude impius indignus est, cum tanquam mortuus, mortua contentus sit fide, & ita uiuat, ac si Deum nō esse crederet, & quod se credere ore fatetur, factis negen: q aliqua ratione Dęmone est inferior; quia Dęmon credit, & contremiscit, at impius licet credat; tamē non timet. Potest ergo uir iustus, Zeno. Chrys. Iac. 2. Iac. 2. 1. Io. 2.

iniusto suam fidem iactanti dicere: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostẽdam tibi ex operibus fidem meam. Caue, o miser peccator: ista fides, quam iactas, parui facienda est, cum sit, ut diximus, lumen quod non lucet: auris, quę non audit: oculus, qui non uidet: lucerna, quæ caret oleo: brachium, uiribus destitutum: cingulum denique fractum, & funiculus, qui non ca-
Ps. 27. det tibi in præclaris: quia ista fide in terra hominibus promissa, partem habebis nullam.

Vir iustus certitudinem quandam suæ prædestinationis, & salutis, habet. *Cap.* XXXXIIII.

SOlent homines interdum nimia quadam cura de sua prędestinatione inquirere; dum de ea certitudinem aliquam affectant habere: quam si nanciscerentur, pręclare secum actum esse existimarent. Quod si ulla hac de re certitudo haberi potest, (euidens enim haberi non potest) eam uir iustus, ob iustitiam, & fidem suam habet: qui est unus ex iustitiæ fructibus non parui faciendus. Hunc fructum sentiebat
Iob. 19. is uir iustus, qui dicebat: Credo uidere bona Domini, idest perpetua frui felicitate spero

ſpero, in terra uiuentium. Item: Scio enim quod redemptor meus uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſus circumdabor pelle mea: & in carne mea uidebo Deum Saluatorem meum: quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. repoſita eſt hęc ſpes mea in ſinu meo. Et alius. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in diem illum. Licet ergo iuſtus neſciat, utrũ amore, an odio dignus ſit: tamen, & generatim, & ſpeciatim aliqua humana certitudo ab ipſo hac de re, haberi poteſt. Nam, ſi generatim loquamur, certiſſimum eſt, ſolos iuſtos ſaluos fore; quorum opera in manu Dei ſunt. Deinde, ſi quis quęſtionem de prędeſtinatione, quam fuſe, lateq; explicare doctores ſolent, breuiter a Dauide propoſitam, & ſolutam animaduerteret, aliquam uirum iuſtum de ſua ſalute certitudinem habere poſſe, cognoſceret. Quis, inquit propheta, quęſtionem hanc proponens, aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? hoc eſt, quis ſaluabitur? Et propoſitæ dubitationi reſpondens, ait: Innocens manibus, & mũdo corde; qui non accepit in uano animã ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

1. Tim. 1. *Eccles. 9.* *1. Tim. 1.* *Sap. 3.* *Pſal. 14. 23*

Hic

Hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo. Hæc est generatio quęrentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. At solum uiri iusti innocenter uiuunt, cor mundum habent, rebus inanibus non inhiant, frustra uitam non sumunt, per Deum temere non iurát, ut quempiam decipiant, uel fucum fratri faciant, aut periurio fallant. Ipsi igitur ascendent in montem Domini, & stabunt in loco sancto eius. Speciatim uero hæ cō iecturæ, & hæc signa notari possunt: ex quibus aliquam suæ salutis certitudinem iustis habere licebit. Primum, pietas, & religio, feruensque diligentia, ac cura in his, quæ ad cultum, & honorem Dei, & ad salutem pertinent; quæ cura, a sacris literis, Dei timor, uocatur: de quo timore scriptum est: Timenti Deum bene erit in extremis. Deinde, studium, ac desiderium audiendi uerbum Dei, & uersandi in diuina scriptura. Ideo legimus: Oues meæ, uocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego uitam ęternam do eis: & non peribunt in æternum: & qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: Beatus uir, cuius uoluntas est in lege

Eccl. 1. *Luc. 8.* *Mat. 13.* *Ioan. 10.* *Luc. 11.*

Do-

Domini; & in lege eius die ac nocte medi *Psalm. 1.*
tabitur. Præterea testimonium quoddam
Dei internum: de quo scriptum est: Ipse
enim Spiritus testimonium reddit spiritui *Rom. 8.*
nostro, quod simus filij Dei: & qui credit *1. Ioan. 5.*
in Filium habet testimonium Dei in se.
Ad hæc, pax quædam conscientiæ, & tran
quillitas cordis, quę nullo modo reperitur
in impiis: qui, licet dicant, Pax pax: tamē
non est in eis pax. Amplius, desiderium *Isa. 48. 57*
abeundi ex hac mortali uita: quod nasci-
tur ex fiducia consequēndi æternam beati-
tudinem. Ideo uiri iusti dicunt: Cupio dis *Phil. 1.*
solui, & esse cum Christo: Hei mihi, quia
incolatus meus prolongatus est ualde.
Iam uero, quoddam bonum propositum *Psal. 119.*
faciendi omnia in laudem & gloriam Dei,
ac proximi utilitatem. Quoniam, qui ita *Isa. 3.*
affecti sunt, tanquam filij Dei, Dei spiritu *Rom. 8.*
aguntur: & qui a Deo mouentur, ad ipsum
conuertuntur, & reuertuntur. Postremo,
optimum prædestinationis signum est, si-
quis ex omni aduersa re aliquid utilitatis
capiat: quia diligētibus Deum omnia coo- *Rom. 8.*
perantur in bonum, ijs qui secundum pro
positum uocati sunt sancti. Hæc, & id ge-
nus alia in solis uiris iustis reperiuntur
prędestinationis signa, ut partim ex his,
quæ diximus, notum est, & partim ex his,

quæ

quæ dicemus, perſpicuum fiet, quæ, ipſi animaduertentes, de ſua ſalute certitudinẽ habere poſſunt, & habent magnam: cuius certitudinis beneficio, ſpem maiorem concipiunt; qua ad pie uiuendum diligentiores redduntur; & cum quadam animi hilaritate Deo inſeruiunt, & iucunde, feliciterque uiuunt. Gaudeant igitur, & exultẽt iuſti; qui cum in diuino cultu diligenter verſentur, diuinos ſermones libenter audiant, pacifice uiuant, mori deſiderent, omnia in gloriam Dei referant, ex omni re fructum percipiant, & teſtimonium a ſpiritu habeant; de ſua ſalute, ut impij, de quibus contraria omnia diceres, dubitare non debent. Hunc maximum iuſtitiæ fructum, quæſo, diligenter amicus perpendat lector. Et, ut quanti faciendus ſit, melius intelligat, fingat eſſe duos, quorum uterq; grauia perpetrauerit crimina, & ideo ſciat, ſe eſſe morte dignum; & utrũq; in carcere incluſum teneri: ſed alter nullam habeat remiſſorum criminum notitiam, nullam ſalutis ſuę certitudinem, & ſpem nullam: immo quotidie cũ timore ſupplicium expectet: alter uero, contra, de condonatis ſceleribus ſit aliquo modo certus, de ſalute non timeat, & per multa indicia, & ſigna non leuia, ſecum miſericorditer actum eſ-

ſe,

se, sciat: illius, omnino misera, huius uero felicissima esset condicio. Nil igitur timentes Deum timeant, nil uereantur; licet in hoc corporeo carcere, & in hac exilij ualle detineantur: quoniam timenti Dominum bene erit in extremis: & in die defunctionis suæ benedicetur. Ecci.7.

A virtute spei, qua speciatim de diuino auxilio, & de sua salute sperat.
Cap. XXXXV.

MIser omnino, ac infelix esset piorum in hac uita status, cum uariis molestiis, & aduersis rebus premantur; nisi certam, & auxilij diuini, & beatitudinis acquirendæ, ad quam per ignem, & aquam transeunt, spem haberent. In ipsis igitur, tribulatio parit patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes eos non confundit. Quia, ut fides nullo modo credentem fallit; ita spes bonis operibus nixa, nulla ratione sperantem frustratur. At uero impiorum spes cum nullis sit fulta operibus, cum mortua sit, uana est: quo nihil miserius, nihil calamitosius excogitari potest: quam uidelicet uane rei inniti, cui qui innititur, certissime labetur. De spe enim incassum præsumit, qui timere Deum in suis Psal. 65. Rom. 5. Greg.

ope-

operibus renuit. Ex quo loco, quam misera impiorum, & quam felix piorum sit cõdicio apertissime cognoscere licet. Quæ res iustorum animis maximam consolationem afferre deberet: Etenim, quid homini in hac lacrymarum ualle existenti optatius accideret, quam Deo fidere, de diuino auxilio spem habere, fiducia certa, & in
Ps. 31. dubitata fulciri? Sed iam, quæ diximus, diuinarum scripturarum auctoritate, pro-
Ps. 30. bemus. Multa flagella peccatoris, sperantes autem in Domino misericordia circundabit: Perfecisti eis, qui sperant in te, in
Ecci. 2. conspectu filiorum hominum: Respicite filij nationes, & scitote, quoniam nullus sperauit in Domino, & confusus est: Etenim non est confusio cõfidentibus in Deũ:
Dan 3. Qui timetis Dominum sperate in illum; & in oblectationem ueniet uobis misericordia: Quoniam beneplacitum est Domino
Psalm. 21. Ecci. 2. super timentes eum; & in eis qui sperant
Psal. 146. super misericordia eius. Sperate ergo in eo omnis congregatio populi: effundite corã
Psalm 61 illo corda uestra: Deus adiutor noster in
Psal. 111. æternum, nolite sperare in iniquitate: Paratum cor eius sperare in Domino; confirmatum est cor eius: non commouebitur do-
Psal. 124. nec despiciat inimicos suos: Qui cõfidunt in Domino, sicut mons sion, nõ commoue-
bitur

bitur in æternũ, qui habitat in Ierusalem. Montes in circuitu eius; & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc, nunc, & usque in sæculum. Quia non relinquet Dominus uirgam peccatorum super sortem iustorũ. *Psalm. 3*
In te Domine speraui, ait iustus, non confundar in æternum. Beatus ergo uir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in uanitates, & insanias falsas .i. in humana auxilia, uana, & stulta. *Ps. 117.* Est enim bonum .i. melius sperare in Deo, quam confidere in hominibus. Et quis non timeat maledictionem illam? Maledictus homo, qui *Is. 48.* confidit in homine, & ponit carnem .i. hominem, brachium suum; & a Domino recedit cor eius. *Ier. 17.* Nolite ergo, o homines, confi- *Ps. 145.* dere in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus. Hi in curribus, hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. *Psalm. 19.* Quoniam beatus uir, *Ier. 17.* qui confidit in Domino, & erit Dominus *Iudith 15* fiducia eius: quia non deserit sperantes in *2. Mach. 8.* se: & potens est uno nutu uniuersum mundum delere. *Ib. 13.* Tantum spei est in iusto, ut dicat: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Ex his itaque diuinę scripturæ locis, quanta sit piorum spes, de auxilio diuino, & ęterna beatitudine, & eos rebus non fidere caducis, apertissime constat. Quod

si

si interdum uir iustus se destitutum esse subdubitat, dum auxilium expectat a Do-
Ps. 120. mino, qui aliquãdo illud differt, ut & ma-
ius expectantis desiderio fiat, & gratius accidat, & aliqua in animo suboritur tristitia; his se consolatur uerbis, ac secum lo-
Psalm. 42. quens, animum adit sibi. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare uultus mei, & Deus meus. O illustrem piorum spem! o singulare Dei donum! quod oppressos sustentat, afflictos consolatur, laborantes exhilarat, incendentes excitat, iter ad beatitudinem expeditũ
Rom. 5. reddit, & ad metam perducit: nam, ut Paulus scripsit, spes non confundit. Hæc est columna nubis, quæ iter ostendit & refrigerat, manus quæ deducit, baculus qui sustẽtat, parma quæ defendit, ala, quæ in altum subleuat, arrhabo denique, qui de futura gloria, in hac uita iustis datur. Hac igitur nube refrigerati, hac manu ducti, hoc baculo sustentati, hac parma defensi, hac ala sublati, hoc arrhabone donati, uiri iusti securi, & læti ad cœlestem patriam reuertuntur. Hunc felicem piorum statum, quem spei uirtus secum affert, quidam propheta
Isa. 40. his uerbis eleganter descripsit. Qui autẽ sperant in Domino mutabunt fortitudinẽ,

assu-

assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, & non deficient. Quoniã spes uiua, quæ est in iusto, uiuificat, confirmat, excitat, & robur ad agendum præbet: ut merito quidam pater, eam describens, dixerit; spem esse fidei sanguinem, qui si effluxerit, fidei facultas dissoluitur. At vero impiorum spes, est inanis, & ueluti lanugo, quę a uento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ a uento dispergitur: & tanquam fumus, qui a uento diffusus est: & tanquam memoria hospitis unius diei. Est ergo, ut sapientia diuina docet, spes impiorum uacua, & labores, sine fructu, & inutilia opera eorum. O miseram impiorum sortem! spes uestra ueluti harũdo uacua est, cui qui innititur, facile labitur: labores uestri sine fructu. Et quis est ita demens, ut sine spe fructus laboret? Sine spe agricola non seminat: sine spe miles non pugnat: sine spe mercator non nauigat: & uos sine ulla spe laboratis. Inutilia igitur opera uestra. Laborant pij, laborant improbi; illi certissima spe expectant infinitum pręmium, hi uero, infinita supplicia.

Cle. Alex. lib. 1. Pæda c. 6.

Sap. 5.

Sap. 3.

A virtute caritatis, & quanta sit caritatis excellentia. *Cap.* XXXXVI.

CVm Deus sit caritas,& uir iustus sit in
1.Io.4. Deo, quocum unus spiritus est effe-
ctus: uirum iustum caritatem habere, &
1.Cor.6. caritatem aliqua ratione esse, oportet.
Quare, quot quot caritati laudes tribuun
tur, totidem etiam uiro iusto tribuantur
necesse erit. Et quis non laudet eam uirtu
tem,quæ patiens est, benigna est; quæ nõ
ęmulatur, non agit perperam,nõ inflatur,
1.Cor.13. non est ambitiosa,nõ quęrit quæ sua sunt,
non irritatur,non cogitat malum,non gau
det super iniquitate, congaudet autem
ueritati: quæ omnia suffert,omnia credit,
omnia sperat, omnia sustinet. Quare, uir
quoque iustus,hac illustri uirtute ornatus,
cum sustineat omnia, speret omnia,credat
omnia, sufferat omnia,ueritati cõgaudeat,
super iniquitate tristetur, malum non co-
gitet, non irritetur, sua non quærat, non
sit ambitiosus, non infletur, perperam nõ
agat, non æmuletur, benignus ac patiens
sit, encomiis maximis afficiendus erit.
Iustus tanta est caritate incensus,ut nesciat
non amare,immo sciat ex toto corde ama
re: & ideo nihil cuipiam,nisi amorem,de-
Rom.13. bet; & dum debitum persoluit, ne quan-
do

do non amet, quotidie, magis ac magis, debitum amando, auget. Quo fit, ut nemo infirmetur, quin ipse infirmus fiat; & nemo scandalizetur, quin ipse curatur, & nemo gaudeat, quin ipse gaudeat; & nemo fleat, quin ipse fleat: Siquidem factus est omnia omnibus, ut omnes lucrifaciat. Deum uero, ita amat, ut ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex omnibus uiribus suis, & ex omni mente sua amet: ita amat, ut pro amicitia Dei retinēda odio habeat, non modo fratres, sorores, vxorem, & filios; sed & matrem, & patrem, & seipsum: quia nouit non esse dignum amicitia diuina, eum, qui & alios & se, magis quam Deum amat: ita amat, ut pro honore Dei, zelo exardescat maximo: & dicat: zelus domus tuæ comedit me: zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel. Cuius zeli si uis exempla quędam, in libris Machabęorum legere, lector, poteris. Innumera sunt caritatis erga Deum, & erga proximum, iustorum uirorum exempla, quę si annumerare uellem, dies me deficeret. Tacebo igitur de Abraham, qui ut Deo, quem supra omnia diligebat, placeret, unicum filium suis manibus mactare non recusauit. Nihil dicam de Heli,

2.Cor. 11. *Rom. 12.* *Luc. 10.* *Mar. 12.* *Deu. 6.* *Luc. 14.* *Mat. 10* *Psam.* *3.Reg. 19.* *1.Mach 2* *2.Mach. 3* *1. Reg.*

qui ob dolorem, quem de arca capta sum psit, cecidit, & expirauit. Quid de Dauide narrem? qui ob recuperatam arcam, ita lætatus est, ut regia maiestate posita, coram ea ludere, & saltare quasi unus ex plebe nõ erubuerit? Silentio inuoluam tres pueros, qui in fornacem ignis, ut ignem igni adderent, ingressi sunt; & igne quo ardebant, ab igne seruati fuere. Potuit enim cœlestis ignis, mundanũ ignem impedire, ne dum ipse ardebat, ille quidquam ageret. Diuum quoque Petrum prȩteribo, qui vbi audiuit; Dominus est, caritate impatiens, iniecit se in mare; licet nauis non longe esset a terra: nec petijt, ut alias, facultatem ambulandi super aquas: & ut quidam scripsit, ex amore, sed non dum perfecto, Dominum negauit: quo pfecto, qui ancillæ uerba expauit, crudelissimi Imperatoris supplicia nõ timuit. Pauli quoque summam caritatẽ præteribo, qua, ita Christo hærebat, ut nullo suppliciorum genere, nulla creata vi, se ab eo diuelli posse audacter dixerit. Omitto denique Ioannis, Stephani, Laurentij, Paulini, Bernardini, utriusque Francisci, ac ceterorum Sãctorum Illustria caritatis exempla. Quamobrem, cum tantus sit amor iusti in Deum: cum tantopere diuina caritate ardeat; cum nihil sit præclarius, nihil laudabili-

us,

2. Reg.
Dan. 3.
Cyril.
Mat.
Rom.

us, nihil in humanis actionibus admirabilius, quam Deum amare, ac illi toto corde seruire; non uideo, cur uir iustus, non sit summa laude, & admiratione dignus: cui si quis, quod ipsi debetur, dare uellet, tot laudibus eum ornet, quot hanc supremam virtutem sancti patres celebrarunt. Postea proximi causa, quid non agit? In egestate ei subuenit: quia iustus nouit causam pauperum: oculos uiduæ non facit expectare: *Pro. 14.* non comedit buccellam solus: est oculus *Iob 31.* cœco, pes claudo: retrahit a peccato: quia *31.* vt scriptum est, excogitat de domo impij, *Pro. 21.* vt detrahat ĩpios a malo. Si eos peccare viderit, vehemẽter tristatur, & ait: Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuã: Vidi præuaricantes, & tabescebam. *Ps. 118.* Denique, uitam pro proximo exponere nõ dubitat. Optabam dicebat Paulus, ego ipse anathema esse a Christo pro *Rom. 9.* fratribus meis. Et Moyses quadraginta diebus, & noctibus iacuit coram Domino supliciter deprecans, ne deleret populum: & *Deut. 9.* Deo dixit: Aut dimitte eis hanc noxiam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem *Exho. 32.* scripsisti. Et, vt paucis multa perstringam, *Mat. 22.* iustus amplissima sua caritatẽ, totum Deũ, totis animi sui viribus complectitur; & creaturas omnes a supremis vsque ad infimas

&ab infimis vſque ad ſupremas propter Deum diligit; ut tandem hic amor, eo, unde defluxit redeat. Quamobrem, vellet iuſtus omnes homines Dei nomen ſanctificare, omnibus Dei regnum aduenire, omnes uoluntatem Dei facere, ita, ut nullus eſſet idololatra, nullus Iudæus, nullus Hæreticus, nullus ſchiſmaticus, nullus malus Chriſtianus; & denique, nullum in mundo reperiri peccatum deſiderat: & cum cõtrariũ uideat, pro impiorum conuerſione, continue Deum orat; pro ingratis Deo optimo maximo a quo quotidie in homines innumera proficiſcuntur beneficia, gratias agit, & ad Deum laudandum omnes populos inuitat, & dicit: Laudate Dominum omnes gentes; Laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Quis ergo uirum iuſtum omni laudum genere non exornet? quis eius uitam non æmuletur? cum ſit tali, ac tanta virtute ornatus; quæ eſt oleum quod penetrat; ſymbolum, quod diſtinguit; aurum, quod ditat; ignis, qui inflammat; torques, qui ligat; ſtola, quæ exornat, mater demum, quæ diligit, & nutrit. Hæc, quæ breuiter hoc capite diximus, ſi quis non tam legerit, quam meditatus

Mat. 6.

tatus

tatus fuerit, maiorem viri iusti præstantiã esse intelliget, quam quæ uerbis explicari, aut cogitatione complecti possit. Et, vt lector, hanc præclarissimam operationem, & omnium humanarum actionum multo nobilissimam, Deum amãdo, exercere queat, quas breuiter amantis condiciones numerabo, has diligenter attendat. Is ergo qui amat, unum amet: eum infelicem putet, qui idem quod ipse, non amat: omnia, etiam mortem, pro amato perpeti velit: ornet se, vt illi placeat: cum eo esse, uel pręsentia, vel cogitatione curet: amet omnia, quę illius sunt, laudet, & laudari ab omnibus cupiat, & eum ignominia affici non patiatur: optet pro eo pati aliquod incommodum, & illud dulce existimet: ipsius causa ploret, in præsentia ob lætitiam, in absentia ob desiderium: semper eius desiderio langueat, & ardeat: denique, ei nihil de pręmio cogitando, inseruiat.

Vir iustos inimicos amat, iniuriasque aquo animo fert, easdemque libenter condonat. Cap. XXXXVII.

CVm viri iusti caritas ex ea caritate, cuius proprium est misereri, & parcere, & pluere super iustos, & iniustos, fluat;

tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Nouit enim eſſe iniuſtitiæ genus uelle uindicare, cum Deus ſibi vindictam reſeruauerit. Non modo iuſtus nocenti non nocet; ſed nec de ipſius ruina delectatur; immo in caput eius carbones ignis congerit; hoc eſt, eum beneficijs afficit: dum ipſius bouem reducit, aſinum lapſum ſubleuat; dum inimicum eſurientem cibat, ſitiẽtem potu refrigerat, maledicenti benedicit, & pro perſequente orat; & ait: Domine, ne ſtatuas illi hoc peccatum: ignoſce illi, quia neſcit, quid faciat. Itaque non modo vir iuſtus inimico non nocet; ſed, nec ſibi ab eo noceri ſinit: quia ex illata iniuria, occaſionem ſumit, ut & ſibi, & inimico proſit: ex quo, eas vtilitates capit; quas alij, nec etiam ex amicis caperent. O igitur ſingularem uiri iuſti caritatem: quæ ex amaro dulce, ex nociuo utilitatem, ex ueneno medicamẽtum, ex uitio uirtutem, ex morte uitam, educis. O diuini caloris uim: quæ etiam ferrum digeris, & in ſuccum, ſanguinemque conuertis, & rebus naturę contrarijs, te paſcis: quæ frigidiſſimum inimici cor calefacis: quæ ſtannum in aurum mutas. Sed quod nunc docemus, aliquibus illuſtremus exẽplis. Ioſeph, fratres, a quibus inique tractatus

Deut. 32. Rom. 12.

Exo. 23. Deu. 22.

Act. 7.

De pacif. c. 54.

Gen. 37. tus fuerat,benigne excepit, germane oſcula
43. 45. tus eſt,Eis omnem iniuriam remiſit,& ſum
mis eoſdem beneficijs ornauit. Moyſes ꝓ
ſorore, a qua iniuria affectus, & pro popu-
lo,a quo ſæpe non leuiter læſus fuerat,quã
Num. 12. ta cum contentione Deum orauit? & priua
tim pro populo, quid a Deo precum vi,nõ
impetrauit? Dauid,qui mille iniurias a Sa
ule acceperat, non modo non uindicauit,
licet id ſæpius facere potuiſſet; ſed potius,
1.*Reg.* 18. nouis officijs eum cumulauit, & eius mor-
24.26. tẽ grauiter eluxit;& eum, qui mortem ei ac
2.*Reg.* 16 celerauit, graui afflixit pœna. Idem, in-
iuriam ſibi a Semei illatam, nec ultus eſt,
nec alios ulciſci ſiuit. Stephanus,dum lapi
Act. 7. dibus impetebatur, pro lapidantibus ora-
bat; & proinde cœlos apertos uidere meru
it. Ioannes Damaſcenus,pro eo, cuius calũ
nijs manu priuatus fuerat, ne capite pu
niretur,apud Imperatorem ita egit, ut gra
tiam obtinuerit. Iſaac Abbas, eum, a quo
colapho ictus fuerat, a dęmonio, qui eum
uexabat, liberauit. Agnes, hominem vio-
lentiam ipſi inferre uolentem, a Dæmone
necatum,ad uitam reuocauit. Quędam ma
trona diuo Athanaſio gratias egit, quod ſi-
bi fœminam quandam alendam, & inſti-
tuendam dediſſet,a qua uariis iniuriis affi-
ciebatur. Iuſti itaque a ſuo magiſtro uer-

bo,

bo & exemplo edocti, inimicis nō nocent; ſed proſunt, eos non odio habēt, ſed amāt; non ulciſcuntur, ſed ne puniantur contendunt; non repellunt, ſed amplexantur: quę res quo factu eſt difficilior, eo iuſti laudem illuſtriorem reddit; & cum naturam ſuperet, laudibus quoque ſupernaturalibus celebranda eſſet. Iniuſtus autem, non modo non relinquit uindictam Deo, ſed præripit: non modo non patitur iniuriam, ſed infert: non modo prouocatus lædit, ſed etiam non laceſſitus offendit: non modo afficientem afficit, ſed etiam innocentem iniuſte inuadit. Circumueniamus, inquiunt impij, iuſtum, quoniā inutilis eſt nobis & cōtrarius eſt operibus noſtris, & īproperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ: grauis eſt nobis etiam ad uidendum, &c. O iniquitatem ſingularem, & impietatem inſignem! Quid fecit? quid commeruit? quid in te peccauit iuſtus; dic impie? quod eum uidere nequis. Num fortaſſe peccat, quia pro te orat? quia pro tua ſalute eſt ſolicitus? quia te corrigit? Neſcis miſer, neſcis quantum iuſti, quos, non minus crudeliter, quam ſtulte perdere tentas, tibi utilitatis afferant. En igitur quam diſpares ſunt bonorum, & malorum mores. Illi contumelias perferunt;

S. Nilus ora. 18

Sap. 2.

runt; hi ferre nequeunt: illi humaniter inimicos excipiunt, hi etiam amicos crudeliter tractant: illi bonum pro malo reddunt, hi malum pro bono rependunt: illi nulla etiam grauiſſima cõtumelia commouentur; hi etiam uerbulo concutiuntur: illi ob animi firmitudinem nulla ratione lædi poſſunt, hi ob animi mollitiem quauis paruula iniuriola offenduntur: illi iniurias memoria retinent, hi obliuione conterunt: illi mali malis, & bonis; hi boni bonis, & malis. Tanta ergo eſt firmitudo, ac altitudo, &, ut ita dixerim, granditas animi uiri iuſti, ut nullis iniurijs poſſit attingi, & nullis offenſionibus lædi: non ſecus, ac is, qui in altiſſima turri collocatus, nullis lapidũ, aut ſagittarum ictibus, offendi poteſt: quia vir
Pſalm. 90. iuſtus altum poſuit refugium ſuum: & ideo nõ accedit ad eum malum. Cur ergo hunc hominẽ ob tam egregium facinus, ob tam inſignem caritatem non comẽdemus? non celebremus? Gaudeant, & exultent iuſti, qui dum inimicos amant, dum eis benefaciunt, chriſtianæ perfectionis illuſtrem ſignificationem præbent; Chriſti diſcipulos reipſa ſe eſſe demonſtrant; & Deum pa
Mat. 5. trem ſuum, tanquam boni filij, in egregio facinore imitantur; cum Dei proprium ſit miſereri, & parcere.

A ſim-

A simplicitate: & quę sit Christiana simplicitas docetur. Cap. XXXXVIII.

INter alias perfectiones, quibus Christus Dominus perfectus magister suos informare discipulos priuatim uoluit, numeratur simplicitas: ideo ab eo dictum fuisse legimus: Estote simplices, ut columbæ. Volebat enim, quantum fieri potest, eos ad similitudinem Dei, cuius proprium est esse simplicem, ac proinde perfectum, *Mat. 10* reformare. Nam, cum perfectio habeatur *D.Tho.* a forma, & Deus sit totus forma, cum nihil potentię, & imperfectionis habeat, erit vtique Deus simplicissimus, & perfectissimus. Ad quam etiam perfectionem imitandam, idem Dominus suos discipulos hortatus est, cum dixit: Estote perfecti, ut Pater uester pfectus est. Et, ut qua in repo sita sit Christiana simplicitas intelligatur; animaduertendum est; simplex, in primis, *Mat. 5* in his rebus, quas natura procreat, id esse, & dici, quod est ab omni multiplicitate & compositione remotum. Et ideo elementa dicuntur corpora simplicia, & Angeli substantiæ simplices, quod maiore compositione carent. Deinde, in re morali, siue in genere morum, simplex, is nominatur, qui duplicitate uacat; qua uacant, qui sunt du

duplicitas, quæ est graue uitium, nec Deo similis, nec simplex esset. Etenim scriptum est, Spiritum effugere fictum; hoc est, non simplicē, sincerumque. Et quāuis in iusto, leuiores interdū reperiantur culpæ: tamen cum eum a summo simplici non diuellant, idest cum diuina gratia, eum non priuent, simplicitatis substantiam non amittit. Tunc autem hanc simplicitatem aliquis perfecte adeptus est, cum nihil cogitat, nihil sapit, nihil vult, nihil gustat, præter Deum. Quamobrem, cum aliquis per gratiam unitus est Deo, ac unus spiritus est cū eo, euadit simplex, & proxime accedit ad naturā Dei: & idcirco, quod cogitat, quod contemplatur, uel est Deus, uel refertur ad Deum: omnia quæ desiderat, quæ amat, quæ sperat, sunt Deus, uel Dei: quæ memoria complectitur, sunt Deus, uel quæ ad Deum pertinent: quę phantasia fingit, pari ratione uel sunt Deus, uel Dei, ut sunt mysteria fidei, & quatuor nouissima: & in summa, in omnibus rebus, quę sub sensum cadunt, dum audit, uidet, olfacit, gustat, & attrectat, Deū recognoscit, & ex rebus omnibus laudandi, & amandi Deum occasionem sumit. Quo fit, ut continenter cum Deo uersetur, & loquatur. Siquidem cum simplicibus est sermocinatio eius. Et ne ab Sap. 1.

hac

hac ſimplicitate, & ſimilitudine a ſenſibus, qui offendendi occaſionem præbere ſolent, remoueatur, oculos a uanitatibus auertit: aures detractionibus, & obſcœnis ſermonibus claudit: nares in laſciuis odoribus non occupat: guſtat ut uiuat, non uiuit ut guſtet: & demum tactum ab omni impura tactione continet: ita ut in omni ſua operatione, quantum per ipſum fieri poteſt, nihil efficiat, quod cum ſimplicitate pugnet. Iuſtitia nanque ſimplicis dirigit uiam eius. Quamobrē, omnes uiri huius facultates, ſenſus omnes, & membra omnia, iuſtitiæ inſeruiunt in ſanctificatione, cum quidquid facit, ſiue oret, ſiue manducet, ſiue bibat, in gloriam, & honorem Dei faciat: et ideo quotidie ſimplicitatē acquirit maiorem. Ex quibus naſcitur uirum iuſtum, eſſe omni ex parte ſimplicem: tum quia eſt ab omni grauiore culpa alienus, & ideo ab omni duplicitate, & ab omni fictione, & fraude remotus, ita ut & re, & uerbo, et facto ſit ſimplex: tum etiā, quod ad ſummum ſimplex, per gratiā, ita accedit, ut ſit cum eo unitus, & unus ſpiritus effectus. Hæc Chriſtiana ſimplicitas ſummopere placet Deo, qui eſt ſimpliciſſimus, & ab omni fictione, & multiplicitate alienus: & propterea legimus: Scio Deus

Pro. 9.

Ps. 39. 118

Prou. 11.

Rom. 6.

1. Cor. 6.

meus

meus, quod probes corda, & simplicitatē diligas: unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli uniuersa hæc, &c. Et cum omne simile, diligat simile; non poterit Deus simplicissimus, non amare eum, qui simplicitate, a similitudine cum Deo, manante, erit ornatus. Quo etiam fiet, ut qui simpliciter ambulat, saluus fiat: cum Deus, vt non porrigit manus malignis, ita non proiiciat simplicem. Impiis uero, cum simplices nō sint, quia a summo simplici, quā longissime distant, & neque corde, neque ore, neque opere simplicitatem colant, tanquam sibi contrariis, & dissimilibus, & a se remotissimis, Deus manus suas non porriget: & ideo in simulatione, & fictione, & impietate sua corruet impius.

1.Par. 29. Eccl. 13. Iob. 8. Prou. 11.

Vir iustus est perfectus homo: & quæ ad Christianam perfectionem requirantur. Cap. XXXXIX.

EX his, quæ hactenus de uiri iusti uirtutibus disputata sunt, colligere licet, virum iustum esse hominem perfectum: ea tamen perfectione, quæ in hac uita haberi potest: quæ ex omnium uirtutum cumulo, consurgit: quas omnes in viro iusto esse, satis ex iam dictis constat. Verum, alia po-

test reperiri ratio, qua quis perfectus nominetur, quam paucis hoc capite exponã. Id perfectum esse dicimus, quod omni ex parte est perfecte factum, & suis numeris vndique absolutũ: ut is dicatur perfectus homo, cuius omnes animi, & corporis partes, ac uiuendi rationes completæ, & absolutæ sunt. In homine igitur futuro perfecto, hæc fere sunt, quæ requiruntur. Primum, requiritur substantia Christianæ perfectionis, & spiritualis uitę, quę in gratia, qua anima fit diuina, consistit. Deinde, ratione intellectus, debet homo scire ea omnia, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria, ut sunt legis diuinæ, & Ecclesiæ præcepta, nec non etiam fidei articuli, & quæ ad statum, seu professionem suam conuenienter exercendam, pertinent.

Deut. 6. Præterea, ratione uoluntatis, debet amare Deum supra omnia, & proximum ut seipsum; & denique omnia propter Deum: ita ut omnia seruet mandata, quorum custodia ab uno pēdet dilectionis præcepto.

Mat. 7 Hac postea recta mandatorum custodia nixus, sperare debet, eum se finem adepturũ esse, ad quem creatus, factusque est; qui bene beateque uiuentes sine ulla dubitatione manet. Ratione uero sentientis partis, qua, uel concupiscimus, uel irascimur, ita

fit affectus, & ita se gerat, ut omnes huius partis motus rationi subiiciat, & quantum fieri potest, frænet, & in officio contineat: vt nunquam quidquam cócupiscat, quod cum recta ratione pugnet: ita ut pars inferior, tanquam ancilla, superiori parti, veluti dominę, sine repugnantia obediat. Ratione corporis: ita corpus tractet, & curet, ut ipsius causa, animæ nocere uelit nũquã: in & omni corporis motione, & operatione, modestiam, conuenientiam, pudicitiam, urbanitatem, & decorum seruet; vt nihil efficiat, quod intuentium oculos, vlla ratione offendat: immo se suiipsius pudeat, seque non minus, quam alios, reuereatur. De actionibus vero externis, ad diuinum cultũ pertinẽtibus, omni superstitioso cultu reiecto, eo pacto externa religione, & cæremoniis Deum colat, ut eum mater Ecclesia, apostolicę traditiones; & sancti patres docent. De bonis externis: his, ad gloriam Dei, ad proximi utilitatẽ, ad salutem animæ, & ad uitæ sustentationem, quantum necessitas postulat, cum ratione utatur, existimetq; data esse in usum, tanquam instrumẽta uirtutis acquirendæ, & exercendę. Non secus igitur his bonis, ac ægrotus medicinis utetur; qui eatenus medicamentis utitur, quatenus, uel ad va-

letudinem recuperandam, uel conseruandam conferunt. Denique, id, ad perfectionem uiri Christiani pertinet, ut stabili, firmoque proposito, uelit hanc uiuendi rationem, & hanc perfectionem ita conseruare, & retinere, ut potius uellet millies mori, quam ab hac præscripta recte uitæ formula, aliqua grauiore culpa discedere. Hæc si quis tenuerit, & seruauerit, Christianus erit intus, forisque perfectus, & suis numeris absolutus. Verum, cum hęc omnia in uiro reperiantur iusto, siquidem omnia credit; omnia necessaria nouit; Deum, & propter Deum omnia amat; de salute propter bona opera sperat; sensus omnes in officio continet; totum corpus cum ratione gubernat; pie & religiose uiuit; nulla re abutitur, & nulla ratione a iustitia recedere propositum habet, proculdubio perfectus Christianus erit: cui, si quid ex his deesset, nec perfectus, nec iustus nominari posset. Quis ergo tanta huius uiri perfectione cognita, eum non amet? non veneretur? ac tantæ perfectionis amore, ad iuste uiuendum non excitetur? Quod si contraria fere omnia de impio dixeris, quam sit uituperandus, & damnandus facile cognosces.

Solus vir iustus vera pace fruitur. Cap. 1.

QVidquid mortales in hac mortali agunt uita, ea de causa agunt, ut tandem aliquando, quietem capiant, & iucunde uiuant. Huc mercatorum labores, huc nauigantium sudores, huc militum uigiliç, huc demum artificum omnium curæ omnes spectare uidentur. Verum, horum omnium laborum finis, est dolor, & angustia; cum nunquam sine iustitia, & timore Dei inueniant, quod tanto cum labore perquirunt. Hanc quietẽ, hanc animi tranquillitatem, & pacem, solus uir iustus, & quidem minore labore, inuenit, & possidet, tantoque bono, qui est maximus Christianæ iustitiæ fructus, utitur. Quantum bonum sit pax, & animi tranquillitas, atque concordia, quam quis nõ modo cum aliis, sed etiam secum habet, hac pulcherrima pacis descriptione, quæ apud Augustinum legitur, cognoscere licet. Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, uinculum amoris, consortium caritatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat; cunctis est placida, nescit Eccl. 1.

extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit, teneat, qui perdidit, repetat, qui amisit, requirat: quoniam qui in eadem non erit inuentus, a Patre abdicatur, a Filio exhæredatur, a Spiritu sancto alienus efficitur.

1.Thes. 2. Quanti etiam facienda sit pax, is demonstrauit, qui ab una pace, Rex pacificus, &

2.Thes. 2. Deus pacis est appellatus: qui, ut eam e mundo pulsam, in mundum reuocaret, de cœlo descendit, & sanguinem, cum Dæmone discordiæ auctore pugnando, profudit:

Luc. 2. qui uictoriam assecutus hominum pedes per uiam pacis direxit, & ad locum pacis, vnde aberrauerant, reduxit: & e mundo discessurus, eam quasi testamento discipulis suis reliquit, & ut aliis impertirent, præ-

Ioa. 14. 20 cepit. Nec ad hæreditatem Domini poterit peruenire, qui testamentum pacis noluerit seruare. Tale, ac tantum bonum est

Phil. 4. hæc pax, quã Deus suis donat, ut Paulus de ea dixerit, exuperare omnem sensum:

Heb. 12. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum custodiat corda uestra, & intelligentias uestras, in Christo. Perpende Lector horum verborum uim: pax ista exuperat omnem sensum: hoc est, tanta est huius pacis uis, & potestas, ut omnes uoluptates, quę sensu percipiuntur, superet: aut tanta est, quã tam humana mens explicaret, aut caperet

nun-

nunquam. Quare, si ullum est in hoc mundo bonum, si ulla est felicitas; in concordia, in tranquillitate, & pace animi reperitur: cum hoc bonum, ęternæ beatitudinis sit participatio quædam; cum per ipsum homines diuinam uiuēdi rationem ab omni perturbatione, & commotione alienam uiuant: dum rebus secundis non insolescunt, neque aduersis deiiciuntur, sed ęquabilitate in omni euentu utuntur: dum non modo cum aliis sunt concordes, sed etiam secum; cum omnes sui partes inter se, & cum recta rationis regula conueniant, & vnum spectent, in unumque ferantur omnes. Quod autem hoc tantum bonum in solis reperiatur iustis, id primum diuinæ paginæ testimonio facile demonstrari potest. Pax multa, inquit scriptura, diligentibus legem tuam: atqui soli iusti legem Dei, dum eam custodiunt, diligunt, & ideo non est illis scandalum: soli ergo iusti, pacem, & quidem multam, possidebunt. Deinde, eadem testante scriptura, impiis non est pax: iustis igitur. Siquidem contrariis, contraria attributa tribuere oportet. Præterea, ibi erit pax, ubi Deus pacis auctor habitat: quia factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, & in Ierusalem; idest in uisione pacis, & in cœlis.

De contem. frat. cap. ult.

Psal. 118.

Is. 48.

Psalm. 75.

1. Cor. 3. At iusti anima est templum, tabernaculum ciuitas, sedes, & cœlum, in quo Deus habitat, & residet. Cur ergo uir iustus pace non perfruetur maxima? cum in se Deum auctorem pacis, & pacem ipsam habeat? qui
Isa. 66. aliquando pacis fluuium super Ierusalem
Luc. 2. se declinaturum esse dixit. Ad hęc Angeli, rege, & instauratore pacis nato, quibus nã felicem pacis nuntium attulere? nonne pastoribus, uiris pacificis? non ne hominibus bonæ uoluntatis? Et qui nam sunt bonæ uoluntatis homines, nisi iusti? qui cum per iustitiam sint bene affecti, bonæ uoluntatis esse dicuntur: in qua bona affectione, vt quidam sapienter scripsit, posita est substantia boni. Amplius, instaurator pacis,
Phil. 4. Christus dominus, ob quam causam pax nostra dicitur, cum testamentum e uita discessurus fecit, quibus nam hanc pacis hęreditatem reliquit, nisi Apostolis suis, uiris iustis? qui hæreditario quodam iure semper hactenus pacis patrimonium possederunt, & possident, ac in perpetuum possidebunt. Iustis ergo, tanquam filiis dictum est:
Ioan. 20. Pacem, relinquo uobis: pacem meam do
Ope. Afr. uobis: non quomodo mundus dat, ego do
Lib. 1. uobis. Denique, iusti, non modo cum aliis pacem habent, dum cum omnibus concorditer uiuunt, sed etiam secum; cum omnes

ani-

animi ipſorum partes in unum Deum au ctorem pacis ferantur,& hoc unum ipſi co gnoſcant, & uelint, & huc omnia ſua ſtudia,& opera referant. Propterea anima iuſti, Ieruſalē uocatur; hoc eſt, uiſio pacis: quia, eſt ueluti ciuitas ędificata in idipſum; ideſt, quæ ſibiipſi coniuncta eſt, & pacatiſſime uiuit. Hunc uiri iuſti ſtatum, his uerbis, Iſaias eleganter deſcripſit: Et erit opus iuſtitiæ pax,& cultus iuſtitiæ ſilētium,& ſecuritas uſque in ſempiternum:& ſedebit populus meus in pulchritudine pacis,& in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Tale, itaque, ac tantum bonum eſt pax, ut in his rebus humanis nihil gratius audiri,nihil delectabilius concupiſci, nihil utilius,& commodius poſſit haberi. Huius boni utilitatem, & iucunditatem cū Spiritus ſanctus exponere uellet,dixit, eſſe iuge conuiuium: Secura mens,iuge conuiuium. Cum ergo homines,nunquam magis curis uacent,quam tempore conuiuij; nunquā maioribus uoluptatibus perfruantur,quam cum conuiuio interſunt, & nullibi libentius ſint,quam ibi,ubi corpus,et animum reficiunt, & exhilarant; quanta, dic, oblectatio,quanta ſuauitas erit in eo, qui mentem ſecuram, trāquillam, et pacatam habet? cum conuiuio ſuauiſſimis, &

Pſal. 126 *Iſa. 32* *Prou. 15.*

opti-

optimis cibis instructo, & referto, ei vbi uis locorum accumbere semper liceat. Et sapientes, huic paci, quæ ex recta conscientia nascitur, tantum tribuerunt, ut dixerint, esse mille testes: non esse miserum, qui bona conscientia se sustentare potest: conscientiam bene actæ uitæ esse iucundissimã: uacare culpa esse solatium maximũ: substantiam bonitatis in recta conscientia esse positam. Quis igitur uirum iustum felicem non appellet, cum tanto perfruatur bono, cuius magnitudo explicari nequit? quis ad iustitiam acquirendam non excitetur, cum id per eam solam, quod omnes, diu, & multum, frustra laborando, quærunt, omnibus facile obtinere liceat? Beati
Mat. 5. ergo pacifici, quoniam filij Dei uocari possunt, cum in hæreditatem Christi, quæ est
Isa. 59. pax, uenerint. Contra uero infelices impij, qui, cum uiam pacis ignorent, hoc tam
2. Par. 20. grandi bono carent: Et quamuis dicant: Pax, pax: tamen non est pax impiis, dicit Dominus. Et quo modo erit pax inter eos, qui in seipsos conuersi, mutuis se concidũt uulneribus? qui secum pugnant? qui seminant discordias? qui suas animi partes inter se diffidentes, ac disiunctas habent? qui pacis auctorem repellunt? Is scilicet, fructum gustabit pacis, quem miseriæ premunt,

muunt, ærumnę angunt, libidines torquent, cupiditates uariæ distrahunt, iudiciorum metus terret: is, qui quo se cunque uertit, furias sentit ultrices: is demum, quem sua conscientia stimulat, rodit, & excruciat. Quod si interdum quietem quandam impius præ se fert, breuis est quies, fucata est pax. Et quid prodest foris pacis speciem ostendere, & intus ardere bello? Solus igitur iustus delectatur in multitudine pacis. *Psal. 36.* O te felicem, & te beatum iustum! cum tibi dicere liceat: In pace in idipsum dormiam, & requiescam. *Psalm. 4.*

Vir iustus veris gaudijs, verisque voluptatibus perfruitur. *Cap.* LI.

EOs, qui pacis ineunt cõsilia, sequitur, vt scriptura docet, gaudium: nec contristat iustum quidquid acciderit: impij *Pro. 12.* autem replebuntur malo. Siquidem, lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. *Ps. 96.* Inter alios igitur fructus, quos ex arbore iustitię suæ decerpit iustus, est uerum gaudium, vtraque lętitia, *2. Cor. 11* qua perpetuo perfunditur, etiam quando re aliqua contraria premitur; ex qua, ob suam sapientiam, lætitiam percipere nouit. Quo fit, ut vehementer quidam errent, cum uiros iustos, nullo gau-

dio recreari, nulla lætitia perfundi, sed sem
per in dolore, & mæstitia versari, putent:
quam ob causam in viam iustitiæ ingredi
nolunt: quæ existimatio est omnino falsa,
& a recta ratione prorsus aliena. Etenim,
quid est, quod hominem uera lætitia ma-
gis priuet, quam peccatum? cum mentem
cæcet, omnibus spiritualibus bonis priuet;
Deum inimicum reddat, ad æternas penas
obliget, cõscientiã excruciet, & vt uno ver
bo dicam, omnis doloris, omnem causam
afferat. At, cum vir iustus immunis sit ab
omni peccato; cur non etiam erit ab om-
ni mæstitia liber? Insuper, unde uerum ori
tur gaudium, nisi ex uera pace, & animi
tranquillitate? hæc ubi nam reperiuntur,
nisi in iusto? Quid igitur eum gaudio, &
2. Cor. 1. lętitia priuare uolunt? Pręterea, Deus qui
est totius cõsolationis auctor, in viro iusto
habitat. Si ergo, & pacis, & consolationis
auctorem in se habet; cur veris gaudijs
eum spoliare contendunt? Et hoc est regnũ
Gal. 5. Dei, quod in iustis reperitur, pax videlicet,
Isa. 51. & gaudium. Consolatur itaque Deus Siõ,
idest animam iustam, & eam quasi delicias
& hortos suos efficit. Et ideo gaudium, &
Isa. 61. lętitia reperiuntur in ea, & gratiarum a-
ctio, & vox laudis: gaudium, & lætitiam te
nebit; fugiet dolor, & gemitus. Ego ego
ipse

ipſe conſolabor vos,ait Dominus. Dat er- *Ps. 50. 34*
go Deus gaudium iuſtis, & lętitiam ſaluta
ris ſui, & ideo exultant oſſa humiliata, &
abſtergit omnem lachrymam ab oculis eo *Ap. 3.*
rum. Iam vero, quid eſt, quod hęc humana
gaudia non ſatiant? An quia, non ſunt per
fecta? &, quod nam eſt perfectum gaudi-
um? illud ſane, quod cum habetur ho-
minis appetitio ſatiatur; torrens nimirum
ille uoluptatis, ex quo Deus potum dabit *Pſalm. 35.*
ſuis. Et qui nam hoc gaudium in hac vita
prægustant? niſi ij, quiguſtabunt in alia?
iuſti videlicet. Viri igitur iuſti ueris afficiũ
tur gaudijs. Pręguſtauit hoc gaudium Moy *Exo. 33.*
ſes, cum uidit Deum: & qui ad exploran-
dam terram promiſſionis profecti ſunt: &
Petrus, qui Dominum transfiguratum vi- *Iudic. 18.*
dit: quo gaudio perfuſus, dixit: Domine *Mat. 16.*
faciamus hic tria tabernacula: & Paulus *2. Cor. 12*
qui raptus fuit ad tertium cœlum. Prægu-
ſtãt etiam, qui cum feruore inſeruiunt Deo,
& uoluptates cœleſtes meditantur: & vbi
guſtarunt, ob ſummam, qua perfunduntur
delectationem, alios inuitantes, dicunt: *Pſalm. 33.*
Guſtate, & videte quam ſuauis eſt Domi- *Can. 1.*
nus: cuius ubera ſunt meliora uino: volup
tates uidelicet diuinæ, humanis ſunt longe
maiores. Et dulcedinis magnitudine, exci-
tati, & impulſi, exclamant: Quam magna *Ps. 30.*
multitu-

Cant. 15. multitudo dulcedinis tuæ Domine; quam abscondisti timentibus te! Ad has dulcedines spirituales gustandas, suos amicos
Cant. 1. 5 inuitat sponsus, ubi eos in cellam uinariã introduxit, cum dicit: Bibite, & inebriamini carissimi. Ad eadem gaudia percipiẽda, Paulus, Philippenses, his uerbis hortabatur:
Phil. 4. Gaudete in Domino semper: iterum
Ps. 31. 69 96. dico gaudete: Et Dauid: Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Ad quod faciendum etiam exemplo
2. Reg. 6. excitauit, cum cœlesti, & uero gaudio plenus, ante arcam Domini saltauit, & alibi cum cecinit: cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Postremo, cum uir iustus ex uirtute uiuat, & omnes uirtutum omnium pro opportunitate operationes exerceat, quæ, ex se, ut docti scribunt, sunt delectabiles; cur uitam quandam uoluptatis plenam, cum semper honeste agat, non uiuet? præsertim cum, ut (uiri spirituales scribunt) pluris ualeat uel minima viri iusti delectatio, quam uoluptates omnes, quas impij capere in hac uita possunt. Et hinc est, quod cernimus uiros iustos semper esse hilari fronte, & lętitiam quandam præ se ferre: vt uidere licet in ijs religionibus, in

quibus

quibus, diligenter seruitur Deo, qui hilares seruos diligit. De qua vera, & honesta animi hilaritate, non defuerunt, qui tractationes integras confecerint. Quare, bonus Christianus eam beatitudinem in hac uita nanciscitur, dum nulla re angitur, dum semper hilari est animo, & perpetuo ueris gaudijs perfunditur, quam in falsa uoluptate quærebat Epicurus. Siquidē, quidqd acciderit, non contristat iustum. At uero uir impius, cum peccatis sit infectus, cum pacis, & consolationis auctorem a se repellat, cum inhoneste uiuat, quas delectationes percipiet? quod si quas capit, parum ab illis afficitur, cum sint externæ, breues, & fucatæ. Et quæ potest esse uera in impio lætitia, cum tunc lętetur, ubi male fecerit? Quare, merito uir iustus diceret: Gaudēs gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia uestimentis salutis, & indumento iustitiæ circūdabit me. Quis ergo ueras delectationes capit? uir iustus: quis suaues gustat uoluptates? uir iustus; quis maximis perfunditur gaudijs? uir iustus. Valeant igitur, qui iustos ueris delectationibus priuant: gustent prius, deinde sententiam ferant: quam ferre nequit, qui rem non dum gustauit ipsam. Valeant etiam momentaneæ lętitiæ, exiguę delectationes, uana

2. Cor. 9.
De interiore hom. Cap. 62.
Pro. 12.
Pro. 2.
Isa. 61.

na, & inania impiorum ſolatia, quę tandē
Pr. 13. ſemper extremus luctus occupat. Lætabitur itaque iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Vir iuſtus ſine vlla grauiore cura, & ſolicitudine uiuit. Cap. LII.

EA ſæpe de cauſa homines in hac uita, nec pace perfruuntur, nec gaudijs afficiuntur, quod uarijs occupātur, ac diſtrahuntur curis. Verum, cum vir iuſtus nulla maiore de rebus ad uitam traducendā pertinentibus diſtineatur cura, nullaque grauiore ſolicitudine laboret, nihil eſt, quod ipſius pacem, & gaudium multum impediat, minuatue. Viuit ergo hic homo, cum
1. Pet. 5. totus a procuratione cœleſtis Patris pendeat, ſine ulla maiore, ac grauiore cura: quæ res, ipſius condicionem multum felicem, ac illuſtrem reddit. Quod ſi huic Patri ſe totum non traderet, ac nimiam de rebus externis ſolicitudinem habere uellet; iam, nō iuſtorum, ſed ethnicorum more uitam
Mat. 6. degeret. Hoc in primis mandatum, ſiue cōſilium, a ſuo præceptore accepit Chriſto; qui dixit: Nolite ſoliciti eſſe, dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus,

aut

aut quo operiemur? hæc.n. omnia gentes inquirunt Sci.n. Pater uester, quia his omnibus indigetis. Et, ut id facilius persuaderet, exemplo a floribus, & animalibus, quę Deus uestit, & pascit, sumpto, confirmauit. Quin etiam, nec de his, quæ locuturi sunt, uult Christus suos esse solicitos: quia ipse suggerit, quod dicendum est: cum Spiritus in ipsis loquatur. Paulus quoque uolebat Corinthios sine solicitudine esse: idem etiã Petrus Apostolus, his uerbis monebat: Omnem solicitudinem uestram proijciẽtes in eum: quoniam ipsi cura est de uobis. Vnã ergo uir iustus curam habet, de probitate, & perfectione, ac regno acquirendo; cetera prouidenti, atque benigno Patri curanda relinquit. Et quis sanæ mẽtis filius, sub tali, ac tanto Patre constitutus, ob indigentiæ timorem solicitus esse uolet? sub Patre, inquam, ditissimo, optimo sapientissimo, qui nouit bona dare filijs suis, qui pascit pullos coruorum, qui implet omne animal benedictione, qui lilia ita elegantissime uestit, ut Salomonis gloriam superent, qui filiorum miseretur, nec secundum peccata eorum facit eis, qui tãdem filijs suis antequam essent, ab omni æternitate omnia necessaria parauit. Hic hic Pater, filios Israel, iustorum typum, in deserto cœle-

Luc. 12. Mat. 10. Luc. 21. Ex. 3. 1. Cor. 7. 1. Pet. 5. Ps. 33. Ps. 102. Ex. 16. Deut. 8.

Exo. 16. sti cibo pauit; aquam eis ex petra eduxit;
Deu. 9. uestes integras per quadraginta annos con
Esdr. 9. seruauit; & tandem eos in terram, lacte, &
Ex. 3. melle fluentem introduxit. Huius Patris
3. Reg. 19 cura, Eliæ panis, Danieli cibus, Ionæ vm
Dan. 14. bra sub qua quiesceret, non defuit. Hanc
Ion. 4. curam se suscepturum filijs Israel pollici-
Leu. 26. tus est, si mandata seruassent, cum dixit:
Dabo uobis pluuiam temporibus suis, & terra gignet semen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura uindemiã, & uindemia occupabit sementem, & comedetis panem uestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in ter-
Deu 8. ra uestra, &c. Quis ergo post talem, ac tantam tanti Patris promissionem nimiam de rebus externis curam, quæ multum secum laboris, & molestiæ affert, non reijciat? cum præsertim id a nobis ipse omnino requirat; & quodam honesto ocio, a curis humanis seiuncto, non perfruatur? Reuelat
Ps. 39. Psalm. itaque iustus Domino uiam suam, & spe-
Mat. 5. rat in eo, & sinit eum facere; Iactat cogitatum suum in Dominum, a quo enutritur: Scit se pluris esse passeribus: scit ante
Mat. 6. lucem surgere, & tarde ire cubitum, uanũ
esse: hoc est, intelligit omnem humanam
Psalm. prouidentiam sine Dei auxilio esse inanẽ; & Deum dare somnum, idest quietam, &

tran-

tranquillam uitam, statumque solicitudinis expertem dilectis suis, qui magis prouidentia paterna, quam sua nitũtur. Et ita, dum hæc uir iustus cogitat, dum bonitatẽ facit, pascitur in diuitiis Dei. Quamobrẽ, animaduertens se esse Dei filium, totum se huic Patri tradit; omnem de se curam Patri suo relinquit; quod facere bonorum filiorum esse nouimus. Vnam tamen habet curam, in quam diligenter incumbit, vt Patri obediat, & placeat: & non secus se habet oculis suis ad Patrem suum, ac ancilla ad manus dominæ suæ. Præterea, cum uir iustus, quæ ad se proxime, & maxime pertineant, cogitet, bona nimirum uera, solida, & æterna; de fucatis inanibus, & momentaneis bonis maiorem curam habere, suo statu indignum esse existimat: cum his de rebus, filij huius sęculi, & ethnici soliciti sint. Non possum hoc loco, non vehementer uiri iusti felicitatem admirari, cum uideam Deum opt. max. eum, a terrenarũ & infimarum rerum cura liberare, eamq; in se suscipere: quę res, est diligenti meditatione digna. Hanc uiuendi uiri iusti rationem omnino felicissimam iudico, cum ab innumeris molestiis, curis, & laboribus, per eam liberetur: quibus omnibus malis, impius, dum solum sua industria

Ps. 36.

Luc. 12.

Ps. 122.

Mat. 6.

fidit; dum prudentia carnis utitur; dum à Deo non expectat auxilium sibi, mirum in modum grauatur. Angitur itaque, ac varijs curis premitur impius; dum in operibus duris, luti, & lateris, omnique famula-
Exo. 1. tu in terræ operibus in Ægypto sub crude-
Mar. 8. lissimo rege opprimitur. Et quamuis sua
Lu. 9. humana prouidētia, & solicitudine impius mundum lucraretur, quod ei proderit, cū animæ suæ detrimentum patiatur? Viuite igitur læti, & felices iusti, qui dum de crastino non estis soliciti, dum curam rerum infimarum Patri vestro relinquitis, vosipsos maximis curis liberatis, & in opera præclara, & æternæ vitæ digna, dum regnum
Mat. 6. Dei quæritis, toto pectore incumbitis.

Vir iustus est omni honorum genere dignus. Cap. LIII.

QVantum pro honore acquirendo, ac retinendo mortales in hac vita laborent, qui quotidie non videat, est nemo. Cuius causa, lites excitantur, turbæ edūtur, inimicitiæ nascuntur, & sæpenumero domus, ciuitates, & regna euertuntur. Plurimi igitur æstimatur honor, & homines honore digni, magni fiunt: & ideo, qui pluribus de causis honorandi sunt, plurimi fieri

& ma-

& maximis honoribus affici debent: in quorum numero uiros iustos ponendos esse omnino arbitror. Primum, si honor, qui nihil aliud est, quam signum reuerentiæ, quę cuipiam ob cognitam in eo excellentiam exhibetur, vera virtute ornatis, ut sapientes docent, potissime debetur; cur uir iustus, qui omni uirtutum genere est expolitus, vt ex iam dictis constat, omni quoque honorum ratione afficiendus non erit? Deinde, quos nam honoribus prosequuntur homines? nonne eos, quorum præclara & illustria extant facinora? At non uideo, ut, præter dicta, paulo post docebimus, qui pluribus & maioribus rebus fortiter, & sapienter factis eniteat, quam uir iustus; qui tanquam Dux fortissimus de suis potentissimis hostibus, & de seipso amplissimas uictorias refert: qui scientia, & sapientia sua ignaros docet: qui prudentia & consilio, sibi & alijs uidet: qui pudicitia, & moderatione omnes animi cupiditates, frangit, & bene agendi exempla alijs præbet: qui perfecta indutus iustitia Deo, & hominibus, quod debet hilari animo persoluit: qui in omnes homines beneficentiam cumulatissime exercet; cui virtuti potissimum honor exhiberi solet. Quis ergo non ueneretur eum, qui liberalitate, ij apud homines, plu-

De pacis. cap. 11.

De pacis. c.

ne apud Deum est notus; iustitia conspicuus, prudentia, & sapientia clarus, rebus denique multis fortiter & honeste gestis illustris? Praeterea, quos nam homines honorare mundus consueuit, nisi eos, qui aliquo illustri titulo insigniti sunt? qui titulus quo maior est, eo maiore etiam honore hominem dignum reddit. At, quis pluribus, & amplioribus titulis uiro iusto est ornatior? cum sit Doctor, & sapiēs egregius, Dux inuictus, Rex quidam, Dei templū, Spiritus sancti sacrarium, seruator mundi, eiusdem Monarcha, filius Dei, & tandem, participatione Deus. Ad hęc, quis non honoret eum, quem Deus multum honorat? Honorauit Deus olim antiquos patres uiros iustos, Abraham, Iacob, Ioseph, Moysen, Aaron, Gedeonem, Dauidem, Iob, & multos alios, quos recensere longum esset. Honorauit postea, omni honorum genere eam, quę ob insignes honores, quibus
Luc. 1. affecta fuit, uere dicere potuit: Beatam me dicent omnes generationes: in cuius honorem ubique locorum, tabulae, signa, monumenta, arae, sacella, & templa innumera exaedificata sunt: quam nemo est, qui non laudet, non celebret, non inuocet, non colat, ac colere debeat. Et quis non honoret eam, quam ita Deus honorauit, ut eam eū-
dem

dem Filium habere, uoluerit, quem ipse habuit? ita ut eum, quem Deus Filium vocat, ipsa quoque uocare possit: quam, inquam, ita honore affecit, ut ex ea nasci, eique tanquam matri subiectus esse uoluerit. Honorauit insuper omnes Apostolos, quos regendi potestate, absoluendi, & ligandi facultate, consecrandi ui, donauit: quos à piscatu piscium ad piscatum homi num traduxit: quos principes super omnẽ terram constituit: quos denique tot supernaturalibus donis muniuit, ut omnia mira cula, & maiora ijs, quæ Christus fecit, possent efficere. Et ne longius quam uellem excurrat oratio, ita Deus, diuos, diuasque omnes honorauit, vt non solum eos in vita summis honoribus affecerit, sed etiam ipsorum corpora, membra, ossa, capillos, pulueres, uestes, & uestium minimas parti culas, & quæ ista aliqua ratione tetigerũt, post mortem honorari uoluerit: immo, vt quotidie, cernimus his rebus maxima miracula fiunt: ut etiam earum tactu, Dæmones fugentur; & sanctorum pulueribus, is superetur, qui ob suam potentiam, & magnitudinem Deo se æquare ausus fuit. Mirabilis ergo Deus in Sanctis suis; sed mirabilior in ipsorum reliquijs. Nam licet Deus sit magnus in magnis; non est tamẽ

Luc. Io. 20. Mat. 4. Ps. 44. Io. 14. Berengar.

paruus in minimis: cui non satis fuit sanctorum animas in cœlis collocare; sed & eorum reliquias in mundo summopere uo-
Luc. 43. luit honorare. Et quid nã sunt sanctorum reliquiæ? Sunt piorum arma, ciuitatũ propugnacula, gentium solatia, perpetua sanctorum laus, æternæ retributionis signa, resurrectionis pignora, sanctitatis instrumenta, preciosa aromata, poma odorifera, & locorum lumina. Et quid efficiunt iustorum reliquiæ? ægrotos sanant, leprosos mũdant, cœcos illuminant, surdis auditum restituunt, claudos dirigunt, mortuos excitãt, Dæmones tandem fugant. De iniustis uero
Ps. 36. legimus: Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum interibunt. Mirabilis
Ps. 67. ergo Deus in sanctis suis: qui in mortuis facit mirabilia: quæ etiam in tenebris co-
Ps. 87. gnoscuntur: quia uoluit, eos mundum honorare, quos aliquando despexerat: eos pro sapientibus habere, quos stultos nomi-
1 Cor. 4. nauit: eos complecti, quos tanquam perip-
2. Cor. 4. sema eiecit: eos reuocare, & quærere mortuos, quos uiuos fuerat prosecutus: eos inuocare, & ab eis gratias petere, in quos fuit ingratus. Contemplare quæso, Christiane lector, & mentis oculis cerne, Diuum Franciscum olim à suo parente pulsum, uestibus exutum, & à plebe uarijs modis irri-

sum : nunc uero, (ne de honoribus quib. et dum uixit ab inimicis longeque remotissimis nationibus honoratus fuit, dicam) animaduerte, quot templis, quot signis, quot tabulis, quot locis, honoretur, & ad finem mundi vsque, vt credere par est, honorabitur, & qua ratione Deus sanctos suos honoret, intelliges. Non modo Deus viros iustos honorat; sed etiam ipsorum honorem, cum sui honoris iactura defendit. Nanque cum primus homo honorem; in quo constitutus fuit, amisisset; pro eo recuperando, Dei filius, exinaniuit semetipsum, formam serui accepit, & fabri filius; immo, non homo, sed vermis, non iustus, vt erat, sed iniquus haberi passus est. Vt materno consuleret honori, matrē, virūdu cere voluit. Ioannem plusquam prophetā appellauit: Magdalenam à calumnijs defendit: iniurias suis illatas, sibi inferri affirmauit, cum dixit: Saule Saule, cur me persequeris? Qui vos spernit, me spernit: Nolite tāgere Christos meos; iustos nimirum, qui sunt gratia Dei inuncti: Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit. Non solum à Deo, sed etiam ab hominibus uiri iusti honorari solent. Ioseph honoratus fuit à Pharaone, Mardochęus ab Assuero, Dauid ab Achis, Ionathas ab Alexandro, Daniel con-

Ps. 48.
Mar. 6.
Ps. 21.
Isa 53.
Mar. 15.
Lu. 7.
Act. 9.
Luc. 10.
Zac. 2.
Gen.
Esther 9.
1 Reg. 29.
1. Mac. 10.

conuiua Regis Babylonis erat, & honoratus super omnes amicos eius. Quamobrē, cum tot de causis uiri iusti sint honore digni, cum Deus tantum eos honorauerit, vt eis suam deitatem largitus fuerit; omni honore, semper, & ubique ab omnibus afficiantur, omni obseruantia colantur; omni denique reuerentia obseruentur: & ut quisque in eos hęc exerceat officia, diligenter eos inuestiget, & inueniat: vt cum Dauide dicere quisque possit: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Psal. 138.

Vir iustus ob maiestatem, quam præ se fert, est omni reuerentia, & veneratione dignus. Cap. LIIII.

EA etiam viri iusti condicio me mirum in modum afficit, ac in magnam admirationem rapit; cum uideo, id uirum iustum uitæ suę integritate atque iustitia assecutum fuisse, quod homines opibus abundantes, dignitatum gradibus illustres, & potestate armati, sua auctoritate, sua dominandi facultate, suis minis & pœnis, cū id tamen magnopere desiderent, & studeant, non assequuntur; id nempe, ut ab aliis & maxime ab iis, quibus præsunt, timean

tur

tur, reuerentia quadam colantur, ac in ueneratione habeantur. Hoc igitur honoris genus, quod maximi fieri ab hominibus solet; quoniam nescio quid diuini redolet, sine ulla arte, sine ulla cura, sine ullis opibus, & uiribus uir iustus adipiscitur. Hoc priuilegio uiros iustos gaudere, quotidiana experientia docet. Etenim, passim videre licet homines fortunæ bonis abundantes, dignitatum splendore illustres, & uiribus potentes uiros bonos timere, reuereri, coram eis nil minus honestum dicere, aut facere audere, ac eis assurgere: istos uero, si facinorosi sint a nemine, nisi fortasse ab improbis ob suspicionem pœnæ timeri; immo potius contemni cernimus. Id, quod hoc loco docemus, nemo est homo, si recte meminerit, qui in seipso aliquando non sit expertus, dum cum aliquo viro iusto, aut uersatus est, aut sermonem habuit:, cum quo agens, si omnino improbus non erat, quadam reuerentia, ac timore, afficiebatur. Neque, quod dicimus cuipiam mirum uideri debet; cum uir iustus quodam modo Dei personam referat, & Deus in ipso habitet, & sit quasi numen quoddam. Ideo in sacris literis legimus: 1.Cor.3.
& timuit Saul Dauid; eo quod Dominus esset cum eo, & a se recessisset. Sed rem ma- 1.Reg. 18.

gnam

gnã cõsideratione digna aliis illustremus exemplis. De censoribus apud Romanos, ut hanc ueritatem etiam ethnicorum gestis demonstremus, legitur, eos tanta reuerentia, ac ueneratione fuisse a populo affectos, ut ceteri, coram eis, nihil turpe agere, aut dicere ob opinionem uirtutis, & integritatis uitæ, quam de eis habebant, auderent. Ob eandem causam Romani graui pœna puniebant iuuenes, qui cano capiti non assurgerent. Prædones quidam, Scipionis Africani maiestatem ita reueriti sunt, ac si numen quoddam spectassent. Sedente Porcio Catone in theatro, populus ut mimę nudarentur postulare erubuit: quo abeunte, (recessit enim ne ludos impediret) ludorum mos seruatus fuit. Qua re, populus plus maiestati unius Catonis, quã sibi uniuerso se tribuere indicauit, ut merito quidam, hoc factum admiratus, scripserit. Quibus opibus, quibus imperiis, quibus triumphis hoc datum est, nisi omnibus numeris perfectæ uirtuti? Philosophus quidam interrogatus a suis discipulis, qua ratione possent se a peccato abstinere: respondit: Si existimaueritis me semper coram uobis esse. En quantum poterat preiudicata de magistri integritate opinio. Et de muliere quadam impudica legitur, ab

S. Max.

Greg. Naz. Syn. 7.

ab ingressu domus impudici iuenis, a quo vocata fuerat, abstinuisse, quod Palæmonis grauissimi Philosophi signum supra ianuá positum conspexerit. Quod si mulier impudica, ad libidinem prouocata, philosophi signum reuerita est; quantum homines non omnino improbos, eundem uiuũ reueritos fuisse censendum est? Possem ex sacris literis, & ecclesiasticis historiis plura ex nostris afferre exempla, quæ breuitatis studio missa facio: sed, id tantum uniuerse dixerim, ideo bonos Christianos homines sacros, & religiosos ut plurimum reuereri solere, quod quandam maiorem de eorum integritate, & iustitia opinionem habent. Immo, non solum homines iustorum maiestatem reuerentur, sed etiam bruta animalia, & quæ sensu carent eosdem veneratione affecisse, & eorum præsentiá timuisse legimus. Possumus itaque de uiris iustis dicere, quod de Iudæorum populo reperimus scriptum: Grãdis enim cunctos populos Iudaici nominis terror inuaserat; nullusq; ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrauerat. O magnam iustitiæ, & probitatis uim! o efficaciam! quia, quod opibus, quod honoribus, quod metu, vir impius assequi non potest, ipsa iusto, dum Esther. 8. 9

hono-

honore, timore, reuerentia, & ueneratione dignum apud omnes efficit, præstat.

Vir iustus est omni laude, atque gloria dignus. Cap. LV.

VBi alicuius hominis per honestas actiones cognita est virtus; eam qui norunt quodam honestatis iure, non modo uirtute ornatum honorare, ac revereri, sed etiam laudibus celebrare debent: & ut quod uirtuti debent, persoluant, & uirtus laudata crescat, & alij ad uirtutem exciten-
Mat. 5. tur, ac tandem, ut Pater, qui est in cœlis, laudetur. Est autem nil aliud laus, quam manifestatio uirtutis, & præstātiæ alicuius per uerba, ex uoluntatis studio profici-
De pacif. c. 13. scēs. Quo fit, ut semper laus maximi facta fuerit, & presertim ea, quę a laudato tribuitur uiro. Siquidem, laudati uiri, uirtutem ipsam, & causas omnes, ob quas quispiam laudandus est, optime norunt: & idcirco in laudando non errant. Cum autē, uiros iustos non modo a laudatis uiris, sed etiam a Deo ipso laudari animaduerto; in eam opinionē deuenio, ut nihil uiris iustis laudabilius esse, putem. Finge aliquam tantum gratiæ apud homines adeptum fuisse, ut ab uniuerso hominum genere, summis laudi-

laudibus celebraretur, immo ab omnibus Angelorum choris, & ordinibus; ut de eo nullus locus, nulla ætas conticesceret: quis tantam gloriam, tantumq; splendorem nõ admiraretur? nemo sane homo. Verum, tota hęc laus, si cum ea, qua Deus uiros iustos amicos suos laudat, conferatur, minima, uel nulla existimanda erit. Quod autẽ Deus uiros iustos laudet, non uno in loco sacra testantur oracula. De Dauide dixit, *1. Reg.*
se inuenisse hominẽ iuxta cor suum: quibus uerbis, si quis ea animo tractaret, maximam quandam contineri laudem facile cognosceret: quę uerba, de quolibet uiro iusto, dicere Deus posset. Et alibi: Et non fecisti (loquitur cum Ieroboam) sicut ser- *3. Reg. 14.*
uus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod est placitum in conspectu meo. Laudauit etiam Iob coram beatis spiritibus, & eius aduersario Satan, cum eum his pręclarissimis uerbis descripsit: Nunquid cõsiderasti seruum meum Iob, quod *Iob. 1.*
non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Christus etiam suos laudare solitus fuit: & Ioannem Baptistam summopere commendauit, cum dixit: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioãne Baptista. *Mat. 11.*

Idem

Idem, sponsi persona indutus, animam iu sti, sponsam suam, summis laudibus prosecutus est; quæ res piorum mentes in maximam admirationem adducere deberet: quas laudes, paucis hoc loco complectar, *Cant. 1. 4. 6. 7.* Statura tua assimilata est palmę: caput tuũ vt Carmelus: comæ, ut purpura regis iuncta canalibus: capilli tui, ut greges caprarum: facies tua decora: oculi tui columbarum, & sicut piscinæ in Hesebon: nasus tuus, ut turris Libani, quæ respicit contra Damascum: genę tuæ pulchræ, sicut turturis; & ut fragmen mali punici: dentes, vt tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. *Cant. 7.* labia tua, sicut vitta coccinea: eloquium tuum dulce: collum tuum sicut turris eburnea: guttur tuum, sicut uinum optimum: vbera tua, ut hinnuli capreæ gemelli, & *Cant. 5.* pulchriora uino: manus stillant myrrhã: *Cant. 7.* digiti pleni sunt myrrha probatissima: uenter aceruus tritici uallatus liliis: umbilicus vt crater tornatilis, non indigens poculis: iuncturæ sicut monilia, quæ fabricata sunt per manum artificis: gressus pul*Cant. 4.* chri in calceamentis: odor vestimẽtorum, sicut odor thuris: & ne singula consecter, pulchram inter mulieres, & totam pulchrã esse affirmat; & tandem exclamat: Quam pulchra es, & quam decora carissima in deli-

delicijs. Et, quod est omnino admiratione dignum; Deus, non modo uiros iustos laudat, sed etiam de eis quodam modo gloriatur: vt ex uerbis, quibus laudauit Iob, aperte colligere licet: Nunquid, ait Deus Satanę, considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? &cæ. Reperies præterea uiros iustos passim laudatos fuisse in scriptura. De Noe legitur: Noe uir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. De Moyse: Fuit itaque uir magnus ualde in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo: De Saule, dũ iustus fuit: Electus & bonus, & non erat de filiis Israel melior illo. Suis etiã laudibus fortissima illa mulier Iudith celebrata fuit. Nec Tobias silentio inuolutus est; sed maximo encomio, sicuti etiam Onias celebratus fuit. Postremo, spiritus diuinus ex professo multorum iustorum laudes in Ecclesiastico prosecutus est; quo etiã spiritu excitatus Paulus, epistola ad Hebręos multos uiros iustos prædicauit. Cur autem iusti laudandi sint, quid est quod pluribus in præsentiarum probem? Cum in eis omnes uirtutes, quibus laus priuate debetur reperiri, & eos, vt paulo post planius exponetur, prǫclara edere facinora exploratum sit. Quare, potius dubitandum

Iob. 1. *Gen. 6.* *Exho. 11.* *1. Reg. 9.* *Iudith c. 8. 16.* *2. Mac. 15.* *Ecc. 45.* *Heb.*

P est,

est,ne pro dignitate laudentur,quam quod vel non iure, aut plus æquo laudentur, idque ego dubito: Etenim,quamuis omnia, quæ tota hac tractatione dicuntur, ad laudes iusti referantur,nullo tamen pacto,vel scriptione,vel dictione,uel cogitatione iustorum laudes me assequi posse fateor: sed id fortasse hoc meo conatu efficiã, vt alijs de laudibus bonorum, ornatius, ac fusius disserendi occasionem præbeam. Quare, nemo id sibi arroget, se eos pro dignitate laudare posse,quos,ut censeo, uix Angelorum lingua plene laudaret. Itaque, si mihi hominem humili loco natum, sordidũ, & abiectum,quem mundus,fæcem,appellaret, ac proinde pedibus conculcaret, ante oculos sisteres, de eo si esset in gratia cõstitutus, si iustus esset, dicerem: Is, quem nullius esse precij stultus mundus putat, ita excellit, ita pręstat, talis, ac tantus est, vt in eo laudando,in eius dignitate amplificanda,angelica facultas initium inuenire possit,finem vero nequaquam. Etenim,quę tanta vis ingenij,tanta dicendi copia,tantumque eloquentię flumen eum pro dignitate laudet,qui omnibus virtutibus est præditus,qui operationes exercet diuinas;qui
Ro.8. tanti a Deo factus est,vt pro ipso Filium suum dederit,& Filius humanam carnem uoluerit

luerit assumere, & mori, qui tandem Filius Dei factus, & diuinitate donatus est? Tamen, vtcunque possumus, una cum Deo, & sanctis viris, viros iustos laudemus: quorum memoria erit cum laudibus: & nomē impiorum putrescet. Quapropter uerum est illud, quod in sacris legimus literis; A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti. Quod si pij homines debitis laudibus ornari non possunt; homines quoque impii pro merito vituperari minime poterunt.

Eccl. 44. Pro. 10.

Isa. 24.

Vir iustus fama celebris, atque gloriosus existit. *Cap.* LVI.

SOlent ij, qui famæ, & gloriæ desiderio flagrant, quātum per ipsos fieri potest, id vehementer curare, vt suum ipsorum nomen ad externas, longeque remotas nationes penetret, & apud omnem posteritatem viuat: & ideo nihil non agūt, vt, quod summopere desiderant, assequantur. Quare tabulis, signis, literis, alijsque monumētis, suam famam, ac memoriam immortalem reddere contendunt: vt hac ratione apud posteros æterna recordatione uigeāt. Cæteri uero, qui hoc famę, & gloriæ splendore istos illustres esse uident, per beatos

eos uocãt,& tantã eis felicitatem inuident.
Ps. 9. Verũ, totus hic humanus rumor, tota hęc gloria,uel gloriæ umbra,una cum ipsis statim euanescent.
Gloria qd. Quare, solũ uiri iusti hoc tam magno potiuntur bono;cum ipsorum clara notitia;cum laude per uaria tempora, & loca sit diffusa; & quæ de ipsorum probitate habetur opinio,diuersis sit manifestata signis.
Laus qd. Nanque,ut diuinus cecinit uates,in memoria ęterna erit iustus, ab auditione mala non timebit:
Ps. 111. quia nemo, quibuscunque eum prosequatur maledictis, ipsius unquam infuscabit nomen. De quo uate,cum uir iustus esset,legimus. Diuulgatumque est nomen Dauid in uniuersis regionibus,& Dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.
1. Par. 14. Et mulier illa,quæ cõfusionẽ fecit in domo Regis Nabuchodonosor, quantam gloriam apud omnes posteros adepta est? de qua totus populus una uoce dixit:Tu gloria Ierusalem:tu lætitia Israel: tu honorificentia populi nostri: quia fecisti uiriliter,& confortatum est cor tuum, &c.
Iudith 15. Quæ mulier fuit figura alterius mulieris,Beatissimæ nimirum Virginis,cuius fama ad omnes promanauit nationes, quæ eam beatam dicunt, cuius nullo tempore emorietur gloria.
Luc. 2. Et qui fieri potest, ut memoria iusti pereat,cum eius fama,& gloria

gloria in Dei memoria conſeruetur æter- *Ps.111.*
na? & a uera oriantur uirtute, quæ cadere
minime poteſt? Quid memorem famam,
& gloriam, quam Tobias cum tota ſua co-
gnatione eſt adeptus? De quo legitur: Om *Tob.14.*
nis autem cognatio eius, & omnis genera-
tio eius in uita boná, & in ſancta conuerſa
tione permanſit; ita ut accepti eſſent, tam
Deo, quam hominibus, & cunctis habitan- *Ioſ.6.*
tibus in terra. Quid de Ioſue dicam cuius
nomen uulgatum fuit in omni terra? Quid
de omnibus Apoſtolis, quorum ſonus in
omnem terram exiuit? Omnes, ut breui di
cam, iuſti in generationibus gentis ſuę glo
riam adepti ſunt, & in diebus ſuis haben-
tur in laudibus. Corpora ipſorum in pace *Ecc.44.*
ſepulta ſunt, & nomen eorum uiuit in gene
ratione, & generationem. Sapientiam ip-
ſorum narrent populi, & laudem eorum
nunciet Eccleſia. Sed, ut quanta ſit iuſto-
rum laus, & gloria facilius percipi poſſit,
conferamus glorioſum quendam Impera
torem, cum uno uiro iuſto, Cęſaris nomen,
cum Diui Franciſci gloria. Ille, nunc uix
notus eſt; hic ualde celebris, & famoſus: il-
le in quibuſdam locis, & a quibuſdam co-
gnitus; hic in regnis, in ciuitatibus, in oppi
dis, in uillis, in ſingulis familijs, etiã in ijs
mundi partibus, ad quas nunquam Cæſa-
 ris

ris penetrauit fama clarus. Vbi nunc ſunt Cæſaris tabulæ? ubi ſigna? ubi trophæa? Omnia rerum edax conſumpſit tempus: ut non ſit uerum illud, quod de Cæſaris gloria quidam dixit: Cuius laudes nulla delebit obliuio. At uero, iam per tot annos ubi non fuerunt, & nunc non ſunt, & poſthac ad finem mundi, uſque, ut credere par eſt, non erunt tabulæ, ſimulacra, aræ, ædes, & ingentia, ornatiſſimaque ædificia in gloriã Diui Franciſci extructa? Vbi terrarum nõ reperies Diuum Franciſcum pictum, ſculptum, & uarijs monumentis ornatum? Cuius ſane gloriam nulla unquam delebit obliuio. Cæſarem uiuentem milites ſecuti ſunt: Franciſcum non modo uiuum, ſed etiam mortuũ uiri nobiles, primarij, principes, duces, & reges, eum amando, laudando, honorando, colendo, ſectantur. At pudet me uirum iuſtum cum Cæſare comparare. Finge, ſi uis amplius iuſtorum gloriã, & famam intelligere, te uidere Petrum pauperem, ignobilem, abiectum, & omnino ignotum, piſcatu ſibi uictum quærentem: eundem poſtea cerne Apoſtolum, & Apoſtolorum principem, reipublicæ chriſtianæ caput, Chriſti uicarium, & totius Eccleſiæ ſummum, & uniuerſalem paſtorem. Idẽ de Maria ſemper uirgine cogita. Contemplare

plare prius puellam, pauperem, & inco-
gnitam: uide postea eandem, tot titulis illu
stratam, tot monumentis exornatam, tot
insignibus insignitam, & supra Angelorũ
Choros euectam. Et ne longum faciam, idẽ
de alijs innumeris iustis cogitare poteris.
Quod si in omnibus tantam famam, glo-
riamque externam non reperies; remoue
mentis oculos ab hac rerum caligine, atq;
eos ad eam famam, & gloriam conuerte,
qua, quiuis iustus apud Deum gloriosus
existit: quæ fama, quę gloria pluris fa-
ciẽda est, quam quidquid potest esse nomi
nis, gloriæ, & splendoris in hac mortali ui
ta. Quandoquidem tanti facienda est, ut
huic gloriæ tribuenda sint omnia, quæ di
cuntur; & fiunt in omnium iustorum glo- *D. Thom.*
riam: cum hæc notitia, & gloria sit origo, *p.2.q.2.*
& fons omnium perfectionum, quæ in
quouis reperiuntur iusto. Erit igitur uiri iu
sti memoria perpetua. At impiorum gloria *Iac.1.*
est ueluti quidam uapor, qui statim euane-
scit, & ueluti flos, qui cito arescit, & deci-
dit. Clama igitur ait scriptura: & quid? Om *Isa.40.*
nis caro fœnum. & omnis gloria eius quasi
flos agri: exiccatum est fœnum, & cecidit
flos agri: exiccatum est fœnum, & cecidit
flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. *Ps.36.*
Vidi, inquit psalmographus, impium su-
 perexal-

perexaltatum,& eleuatum ſicut cedros Libani,& tranſiui ,& ecce non erat : quęſiui
Iob. 18. eum,& non eſt inuentus locus eius. Nonne lux impij extinguetur,nec ſplendebit flamma ignis eius ? Lux obtenebreſcet in tabernaculo eius,& lucerna, quæ ſuper eum eſt extinguetur.Memoria illius pereat de terra , & non celebretur nomen eius in plateis. Expellet eum de luce in tenebras , & de orbe transferet eum. Impij igitur cõtra omnem naturæ propenſionem , dum peruerſe agunt , ſuę famæ, & gloriæ non conſulunt : ſe ipſos uituperant ; ſua pudenda
Gen. 18. oſtendunt : dum ueluti ſodomitæ publice
Iſa. 3. peccant , & quaſi aquam, peccatum bibũt;
Iob. 34. & lætantur cum male fecerint , & de ſua ignominia , & infamia gloriantur ; dum ſua peccata,cum quadam oſtentatione coram alijs recenſent. At uero iuſti , dum famam & gloriam fugiunt, gloria & fama eos ſequuntur,ueluti umbra corpus,& quaſi crocodilus , qui ſe fugientes ſequitur,
Luc. 8. & ſequentes fugit.Iuſti,dum ſe humiliant, à Deo exaltantur : dum ſe occultant,à Deo in claram lucem educuntur ; dum bene agunt, licet gloriam propoſitam non habeant,gloriæ ſuæ maxime conſulunt:dum denique ſolam Dei gloriã quærunt, Deus illos ſummopere glorificat . Sed quoniam

plura

plura de iustorum gloria inferius dicemus, hæc in præsenti dixisse sufficiat.

A magnitudine rerum gestarum, dum demonstratur quantus sit, etiam minimi operis uiri iusti, ualor. Cap. LVII.

CVm honor, laus, fama, & gloria tribuantur ijs, qui rebus præclare gestis, & operibus illustribus enitent; placet ad confirmanda ea, quæ de honore & gloria iustorum dicta sunt, quantum, vel minimum huius viri opus valeat, paucis exponere: ex quo aperte intelligetur, cur quæ dixi omnia, viro iusto, quasi suæ virtutis præmia, iuste tribuantur. Laude igitur, & gloria ij censentur digni, qui multas res fortiter, ac sapienter gesserunt; qui summos census, amplissimos titulos, præcipuos dignitatis gradus, suis laboribus suaque sapientia sibi acquisiuerunt: & denique, qui rerum bene gestarum. exempla posteris reliquerunt. Et ideo Alexandri, Annibales, Marcellis, Crassi, Pompei, & Cæsares gloria celebres fuere; quorum tamen opes iam euenuerunt, monumenta non amplius extant, nomen uix remanet. At vero vir iustus non terrenas opes, non vanos honores, non labentia regna

rebus a se constāter, ac religiose gestis, sed æternas diuitias, diuinos honores, gloriam eam, quam nulla vnquam absumet, vel obscurabit ætas, acquirit. Et totus hic honor, tota hæc gloria, totum hoc prę̄miū, ex vi atque pondere, meritoque suorum operum ipsi debetur. Itaque, si quispiá vellet, pro ope vel minimo, quidquid est diuitiarum, honorum, dignitatum, & præmiorum in hoc mundo viro iusto retribuere, ei pro dignitate minime satisfaceret. Non secus ac si Duci pro innumeris laboribus, & partis uictoriis, numulum Imperator daret. Etenim, quid valet totus hic mundus, comparatus cum minimo gradu gratiæ, & gloriæ, quæ vel vna operatione vir
2. Cor. 4. iustus sibi acquirit? Hanc operum viri iusti uim, & efficaciam Paulus apostolus exprimere conatus est, cum dixit, opus ex iustitia factū, æternum gloriæ pondus operari. Pondera hæc verba, & quid ponderis viri iusti opera habeant, melius intelliges. Gloriæ, æternæ, pondus, operatur. Ac si diceres, ingentem quandam felicitatem, & bonorum omnium cumulum, nunquam cessaturum bene agendo vir iustus promeretur: quæ bona, ex ui operum ipsi
2. Timi. 4. debentur. Hanc bonorum operum mercedem, & hoc præmium, alibi idem apostolus

lus, coronam iustitiæ, nominauit, quam reddet Dominus in illa die iustus iudex. Ex quibus verbis, quæ sunt omni conside ratione digna, clare cognoscitur, illũ bono rum cumulum, & illa præmia, ex iustitia, vere operibus deberi iustis: quia, ea coro nam iustitiæ vocat; quam reddet iustus iu dex. Ex iustitia igitur, ex merito, & ex cõ digno. Quid itaque iustis efficit, cum aliquid boni agit? supernaturale & diuinum opus operatur. Et quibus nam hoc opus gratum, carumque existit? beatis spiritibus, & sanctissimæ Trinitati, quæ eum be ne agentem spectat, & cum delectatione obse ruat, vt ei digna præmia persoluat. Et quod nam bonum vir iustus sua operatio- ne promeretur? tale bonum, cuiusmodi nec oculus unquã vidit, nec auris audiuit, aut humana mens excogitauit, aut excogi tare potest; id videlicet in quo æterna bea titudo posita est. Et quid est beatitudo? Status omnium bonorum aggregatione perfectus. Non ergo, vnum vel alterum bonum; non has, vel illas diuitias; non hunc, vel illum honorem; non has, vel illas delectationes, non hoc, vel illud regnũ, vir iustus bene agendo acquirit; sed diuitias omnes, honores omnes, gaudia, & regna omnia. Et quamdiu duraturus est hic

Isa 64.
1. Cor. 2.

status

ſtatus? in perpetuum. Perpende, amice le ctor, omnia bona; perpende ſtatum perfectum: perpende ęternitatem: et tunc quã tam vim, & quantam efficientiam, viri iuſti opera habeant aliqua ex parte cognoſces; & eis, omnem honorem, omnem lau dem, omnem gloriam iure deberi intelliges. Animaduerte obſecro: Cedo mihi egregium quendam Imperatorem, non Alexandrum, non Anibalem, non Pompeium, non Cæſarem, ſed alium quempiam, qui plura & maiora ediderit facinora: immo confer in hunc unum omnia illuſtra, & egregia, quæ cẽſentur facta ab omnibus hominibus totius mũdi, q̃ ſi ex iuſtitia nõ fluxerunt, non ſunt ita præclara & illuſtria, ut eſt unum, uel minimum iuſti opus, ex iuſtitia factum, & tantum illa omnia, ab hoc uno diſtant, ut illa nullius, hoc infiniti ualoris eſſe exiſtimandum ſit. Quoniã,
Iſaiæ 41. ut ea docet ſcriptura, quæ mentiri non poteſt, impiorum vana ſunt opera: at uero uiri iuſti opus æternum gloriæ pondus operatur. Et, ut paucis multa complectar, omnes uiri iuſti operationes, & uita omnis miraculoſa exiſtit. Quare, ſicuti non poteſt cogitatione percipi, quid ſit æterna uita; ita non poteſt cognoſci, quanti ualoris, quantęq; dignitatis, ſit opus illud, quod æter-

æternam gloriam, iure promeretur. Viri itaque iusti opus maximi est ponderis, efficitque maxima. Siquidem, culpam delet, debita persoluit, portas inferni claudit, paradisi ianuam aperit, cœlis uim infert, uirtutes auget, beatos lætificat, amicitiam Dei conciliat, & denique, ut cum Apostolo breui complectar omnia, ęternum gloriæ pondus operatur. Bonorum igitur laborum gloriosus est fructus. At vero impiorum labores, sunt sine fructu, & inutilia opera eorum. Vt merito in sacris literis, labor, dolor, uanitas, afflictio, contritio, infelicitas, uastitas, inquietudo, & uiæ difficiles, nominentur. Opus ergo iusti ad vitam, fructus autem impiorum ad prę mium. 2. Cor. 4. Sap. 3. Prou. 10.

Ad recta, altaque statura, ac præstanti figura. Cap. LVIII.

NIhil est, quod aliqua ratione ad homines pertineat, ex quo laudem non quærant, ac ob id ab omnibus laudari nolint. Inter alia autem, sunt corporis bona; quæ cum sint naturę dona, nullá ex se laudem hominibus deberent afferre. Verum tanta est hominum leuitas, ut ob bonam corporis constitutionem, & elegantem staturam De Int lib. cap. 33.

turam, pulchramque figuram, non parum glorientur, ac etiam ab alijs laudentur. Propterea solẽt quadam summa solicitudine, & affectata cura capillos tingere, cutem perpolire, nitorem cõseruare, & fucis augere, & ne corpus inflectatur, recti incedere: & si fortasse breue fuerit, illud (o rem ridiculam) altius, subiecto altiore ligno, efficere conantur: cum tamen, ut Christus docuit, tãta sit humana imbecillitas, ut nec digitum staturę addere, nec capillum albedine afficere possit. Gloriaris, o humana uanitas, de alta statura: sed cum hęc gloria non sit tua, eam ligno, uel crepidis redde. Gloriaris de flauo crispatoque capillo; Sed gloria hæc, coloribus & calamistro restituenda est. Gloriaris de pictis genis: Fucata est gloria, & fuco unde sumitur te eam reddere oportet. Fecit quidem Deus, tanquam optimus artifex hominem altum, & rectũ, altitudine & rectitudine corporis, & animi propositi, & operis, sed de rectitudine, & altitudine, recta animi constitutione nos priuãte, hoc loco, uerba facturi, & ab ea, hominem iustum laudaturi sumus. Hominis ergo rectitudo, & statura, est ueluti statura palmæ; quæ, eo maior & firmior existit, quo altius crescit, & nullo finit se pondere flecti. Nanque, quo quis in iustitia maio

Luc. 12.

Ecc. 7.

res

res facit progressus, eo solidior, & firmior euadit. Hanc rectitudinem cum Dauid ob peccatum, a quo deflexus fuerat, se amisisse sentiret, a Deo huius rectitudinis auctore repetebat, cum dixit: Spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Hanc eandem rectitudinem primus homo, quem Deus rectissimum formauit, ita ut ad cœlos oculos conuertere, & celestia diuinaque spectare posset, amisit; cum ad terrarum pomum manus porrexit: quo facto, totam naturam humanam deflexit, & incuruauit. Propterea legimus sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Ad hanc rectitudinem instaurandam, Filius Dei se deflexit, & naturam humanam sibijpsi uniuit, ut ab eodem, a quo recta creata fuerat, ad rectitudinem redigeretur pristinã. Placet itaque Deo, qui rectissimus est, hæc animi rectitudo, & qui eà ornati sunt, recti: & proinde legimus: Quam bonus Deus his, qui recto sunt corde ; lux orta est iusto. & rectis corde lętitia: Exortum est in tenebris lumen rectis: Generatio rectorum benedicetur. Viro ergo iusto, tanquam homini recto, ob suam rectitudinem, rectamque staturam sua debetur laus: cũ sit procerus, rectus, elegans, integer, & omni ex parte perfectus:

Cant. 7.
Psal. 50.
Gen. 1.
Gen. 8.
Ps. 91.
Ps. 72.
Ps. 114.
96. 111.

ctus: cum nulla curuitate, nulla distortione, membrorumque prauitate, vitioue laboret: cuius spiritalia membra concinne compacta, & suis locis collocata, atque suaui roseoque colore sunt tincta. Hanc staturam, & rectitudinem laudabat sponsus
Iob. 1. in sponsa: & hanc respicit Deus, eaque delectatur: non autem eam, quę in corpore cernitur. Ideo dixit Samueli, quem ad ui-
Cant. 7. rum iustum, & rectum in regem inungendum mittebat: Non respicias vultū eius,
1 Reg. 16. neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim uidet ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor. Est vir iustus rectus, quia iustitia ipsa rectitudo quędam est: est vir iustus rectus, quia recedit
Prou. 3. a malo, & per uiam rectam incedens, bonū operatur: est vir iustus rectus, quia ad terram non flectit se, sed oculos, & vultum in
Psalm. cœlum tollit: est vir iustus rectus, quia a nulla lege diuina, uel humana recedit, nec
Prou. 4. declinat ad dexteram, uel sinistram, sed via vtitur, qua recta ad cœlum tenditur, nec se immiscet quæstionib. multis: est uir iustus rectus, quia omnia dirigit in Deum, omnia recta intentione facit, & veluti erecta palma, nulla re graui se deprimi sinit, & quotidie magis, magisque firmus euadit.
Quæ

quę rectitudo, si oculis cerneretur, mirũ in modum delectatione afficeret. Eiusdẽ hominis figura, vt de ea quoque aliquid dicamus, est rotunda, siue teres, & perpolita; globosa inquam, & perfecte rotundata. ideo, quidam, uirum bonum, per hanc figuram, quæ est omnium perfectissima, describentes, dixerunt; Totus est teres, atque rotundus: nulla uidelicet asperitate iniquus. Quo fit, ut quam minime potest, mundo hæreat, sed totus sit sibi unitus atque in se collectus, & ueluti globus, a rebus terrenis segregatus. Etenim manus Dei fecerunt eũ, & plasmauerunt eum totum in circuitu. At impius peccando, a recta constitutione recedit, se se inflectit, & iniquum, ac incõcinnum reddit. Est itaque claudus, gibber, plancus, labeo, balbus, lusciosus; & ulceribus, uermibusq; undiq; scatet; atq; ex omni parte sordes fundit: cuius nulla pars alteri cohæret: & denique, a planta pedis vsque ad uerticem capitis non est in eo sanitas: ita ut si seipsum uideret, seipsum fugeret, sibique ipsi odio esset.

De inter. homine c. 33.

Iob. 10.

Is. 1.

A supernaturali pulchritudine. Cap. LIX.

VT ex recta membrorum corporis cõstitutione, & ex quadam colorum sua

De inter. homine ca. 38. uitate, pulchritudo corporalis consurgit; ita, ex concinnitate partium animi, quæ ex concursu, & efficientia uirtutum omnium oritur, spiritualis nascitur decor: qui si oculis cerneretur, mirifice nos amore inflammaret. Hanc uiri sapientes pulchritudinẽ laudarunt, hanc amandam, & excolendam esse dixerunt, hanc petebat ille, qui hunc in modum orabat: O numen da, obsecro, ut intus pulcher fiam. *Boet.* Quare, si corporis species, quæ cum animi pulchritudine comparata, nihil est, & ab ijs, qui ea sunt ornati tanti fit, ut in ea conseruanda, & augenda totos ipsos dies consumant, & ab alijs, qui ea capiuntur, tãtum laudatur; quanti fieri, & quantum laudari animi pulchritudo, quę in solis reperitur iustis, debet? Etenim si quæ existat fœmina, quæ uulgo pulchritudinis fama nota sit, eam huius sęculi homines hymnis, odis, epigrammatis, integrisque uoluminibus laudant, & tabulis pictam circumferunt, & uelut quoddam numen adorãt: & interdum, ita perdite amãt, ut nimio amore insaniãt, seque ipsos perimant. Et tamen, hæc extrinseca corporis species, et si quidquid vnquam fuit uenustatis in mundo, in unam conferres, & cum minima uenustate animæ iustæ comparãres, esset umbra quędam. Siquidem, quid

habet

habet caro cum anima? quid color in cute, cum virtutibus? quem colorem, non modo ægritudo, & ætas, sed & leuis timor delere potest. Quid igitur corporis decor, cum animi formositate habebit? Quare, merito a sapientibus ista corporis forma, ob ea, quæ solet parere incommoda, parum probata, & parui facta; immo apud eosdẽ semper suspecta fuit. Si ergo tanta laude, tanto honore, tot encomijs ornari solet iniusta interdum fœmina, ob eum pulchritudinis florem, qui statim deflorescet, & marcescet, ob eam speciem, quam ex se non acquisiuit, sed a natura accepit; ob eam inquam rem, quæ sæpe maximorum malorum causa extitit; quibus laudibus exornanda erit anima iusti, ob eam formam, quæ, si quis uelit, nunquam delebitur, quæ oĩum bonorum est origo, quam & ipsa per se acquisiuit, & ipsum pulchrum ei donauit, qua, ita eam excoluit, & expoliuit, vt sibi similem reddiderit, eiq; dicere potuerit: Tota pulchra es amica mea. Pulchrum est corpus animę hospitium; sed longe pulchrior debet esse hospes. Pulchram domum Deus parauit animo; sed multo pulchriorem fecisse inquilinum censendum est. Deus, est ipsum pulchrum: anima iusta est ipsius pulchri similitudo: cogita quã- *Cant. 4.*

ta ſit per ſe pulchri, ſpecies, & quantus ſit animæ ipſius pulchri ſimilis decor, aliqua
1. Ioan. ex parte intelliges. Et cum hæc pulchritudo potiſſimum naſcatur ex caritate, per quam anima iuſta eſt in Deo pulchro, & pulcher Deus in ipſa, quam pulchra erit, quæ eſt in ipſo pulchro, & ipſum pulchrũ in ipſa? Quare, merito ſponſus hanc ani-
Cant. 1. mam pulchram inter mulieres appellauit:
Eze. 16. & Deus per Ezechielem dixit: Decora facta es uehemẽter nimis: Item, perfecta eras in decore meo, quẽ poſueram ſuper te. Hęc pulchritudo, in eo ſpeciatim corporis pulchritudinem ſuperat, quod non modo, ut illa, ætate non decreſcit, ſed quotidie, magis magiſque augetur; dum anima iuſta cũ ipſo pulchro tractat, uerſatur, loquitur, & unitur: ut ſit magis pulchra veſperi, quam erat mane. Hic eſt decor ille, per quem anima eſt Dei ſimilis: hęc eſt pulchritudo illa, per quã anima eſt deiformis: hoc eſt illud
Gen. 1. ſpiraculum uitæ, quod Deus in Adam in-
Ps. 103. ſpirauit: hic eſt ille ſpiritus, quem Deus emittens, recreat omnia, & innouat faciem terræ. Cur igitur non erit pulchra ea anima, quæ ſupernaturalem pulchritudinem a ſummo pulchro accipit, & cum ſummo pulchro eſt coniuncta? quam ipſum pulchrum quotidie pulchriorem reddit? Itaque,

que,cum non solū hęc anima seipsam quo tidie bene agendo, ueluti Iudith exornet, *Iudith.10*
sed etiam Deus eam decoret, eique splendorem cōferat,multo pulcherrima procul dubio erit. Cui etiam, inquit scriptura de Iudith,Dominus contulit splendorē: quoniam omnis ista compositio non ex libidine,sed ex uirtute pendebat: Et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, ut in comparabili decore omniū oculis appareret. Quod si Deus tantum corporis pulchritudinem in illa sancta fœmina ad decipiendos & vincendos hostes corporales auxit; quantum eundem Deum animæ pulchritudinem, modo ipsa vna cum Deo se exornare studeat,ad uincendos spirituales hostes augere existimandum est? Pulchri flores, pulchræ arbores, pulchra prata,pulcherrima sidera: at uiri iusti anima multo pulcherrima: cum sit floribus uirtutum ornata, supernaturalibus coloribus picta, & diuino splendore illustrata. Tanta denique est hæc pulchritudo, ut Rex, Deus uidelicet, & pulchrum ipsum, eam (o rem admiratione dignam!) concupiscat, ab eaque capiatur: scriptura id docet. Audi filia, & uide, & inclina aurem tuam;& obliuiscere populum tuum, & domum patris tui:& concupiscet rex decorē *Ps.44*

tuum. Profer nũc mihi fœminam pulcher
rimam,Helenam,aut uenerem aliquam,in qua formanda, & pingenda omnes uires natura & ars posuerint, quæ tamen iustitia careat. Et ego tibi proferam uetulam aliquam,ętate confectam, & detritam, rugis deformatam,& ut uno uerbo dicã, Æthyopia oriundam,sed iustam,&,gratia ornatã. Cõferamus nunc inter se ambas hasce mulieres,& uideamus, utra sit speciosior, & pulchritudine admirabilior, ac proinde laudibus dignior: quod facile intelligetur, si unius pulchritudo, cum alterius forma cõparabitur. Illa pulchritudo est in carne, hæc in anima: illa à natura naturaliter; hęc ab auctore naturæ supranaturaliter: illa sine uirtute & labore habetur; hæc non sine uirtute,& labore acquiritur: illa corruptibilis,& momentanea;hęc ex se incorruptibilis,& perpetua: illa sępe peccandi occasionem præbet: hęc a peccato pręseruat, & ad bene agendum iuuat: illa est quędam umbra pulchritudinis: hæc est pulchritudo uera: illa homines delectat,& capit;hæc etiam ipsum Deũ afficit. Quare,ut quidã, & recte quidem,scripserunt, Deus animæ iustę pulchritudinem latere uoluit; ne tanta formositate homo captus, superbia, ut
Cant. 1. Lucifer fecit,peccaret. Licet ergo interdũ,
sol

ſol iuſtum decoloret: tamen intus ſemper eſt formoſus. Iniuſtus uero quamuis exterius niteſcat; intus tamē ſordet. Et ideo de anima iuſta dicitur: Tota pulchra es amica mea: at de iniuſta: Denigrata eſt ſuper carbones facies eius; & non eſt cognita in plateis. Et quid eſt aliud illa pulchritudo, quæ in corpore peccato ſubiecto cernitur, ſi quid facienda eſt, quam circulus aureus in naribus ſuis? Laudemus ergo, ac amemus pulchritudinem eam, quam Deus laudat, & uehementer amat: & cum animam iuſtam cognouerimus, ei dicamus: Tota pulchra es amica mea.

Can. 4. Thr. 4. Pro. 11. Can. 4.

A veſtimentorum ſpiritualium pulchritudine *Cap.* L X.

NOn mediocrem laudem indumentorum precio, ac ſplendore, vani homines ſibi acquirere poſſe putant, ac acquirere ſtudent, dum magna cura, magnoque ſtudio precioſis veſtibus, ac uariis ornamentis alios ſuperare cōtendunt. Quantum vero in hoc genere uanitatis ſit, non eſt huius loci latius exponere. Hoc unum ergo affirmabo, atque contendam, uiri iuſti ueſtimēta multo precioſiora, & ornatiora eſſe, quā cuiuſuis impij ornatiſſimas & elaboratiſſi-

mas ueſtes;immo,impiorum veſtes nullius eſſe precij;iuſtorum uero, maximi:nec de extrinſecis ueſtimentis, me ſermonem habere exiſtimes uelim. Nam,ſi externas hominis ueſtes ſpectes; quid quæſo præclari habent, unde homines gloriari poſſint? cum quidquid in eis reperitur,vel naturæ, vel artis ſit. Siquidem, totum quod in eis eſt, uel ab animalibus ſumitur, uel ab arte additur:ut,ſi quæ laus ex ueſtibus naſcitur, partim naturę,partim arti tribuenda ſit. Is qui ueſtimentorum ſplendore gloriatur,uideat obſecro; an dum ueſtibus eſt exutus, aliqua ratione, ob eas gloriari poſſit, aut aliquid ab eis capiat:nihil profecto: Sicuti non poterat, cum lana erat in pecude,& ſericum in bombyce.Deinde,perpēdat,quid ſibi addatur cum veſtes propius accedunt, & corpus contingunt, & intelliget, ſe nihil de nouo acquirere: cum is prorſus ſit, iam ueſtibus indutus,ac prius erat. Mittamus igitur externa ueſtimenta,& conſideremus interna; ac de ueſtimentis impiorũ prius uerba faciamus.Impius,in primis,in

Apo.3. conſpectu Dei,& Angelorum, cum iuſtitia exutus ſit,nudus apparet;& omnia ſua pudenda oſtendit: & ideo ſi ſeipſum cerneret, ſuimet mirum in modum puderet; & ſe omnino miſerum, ac infelicem appellaret.

ret. Hoc, cum intelligeret Dauid, beatos no
minauit eos (eo modo, quo patres intelli- Ps. 31.
gunt) quorum tecta sunt peccata. Deinde,
si quid uestimenti habet, id est imperfectũ
& fragile. Etenim impius, folijs ficus, hoc
est peccatorum excusationibus, quæ facile
franguntur tegere se conatur. Præterea, im
pij indumentum, est tunica pellicea, qua
ueluti pecus, uestitus incedit. Habet etiam
nescio quæ uestimenta, sed sordida, lace-
ra, pannosa, dissuta, & vetustate corrosa; o-
pera videlicet quædam imperfecta, quę nu
dũ corpus cooperire nõ queunt: q̃ coram
Deo sunt ueluti pãnus mẽstruatæ. At uero,
uir iustus, p̃ciosissimis vestibus est indutus,
& omni ex parte exornatus: tunica nempe
linea puritatis, torace fortitudinis, ueste nu Isa. 11.
ptiali caritatis, stola innocentiæ, femorali- Ecc. 25.
bus continentię, cingulo iustitiæ, calceis hu
militatis, pallio diuini timoris, talari tuni-
ca perfectionis, & denique polymita ueste
justitiæ & uirtutum omnium. Cedo mihi
rusticum quendam laceris, & sordidis, cras
sisque uestibus indutum, iustum tamen, &
uestibus spiritualibus tectum; is, in quem
uix oculos conuerteres, coram Deo, & An-
gelis speciosissimus, & ornatissimus appa-
rebit, & eos ad amorem sui, suo decore, & Ps. 44.
uestimentorum splẽdore, uestitu, inquam,

ca-

caritate deaurato, & uirtutum uarietate exornato, excitabit: Quoniam multo ornatior is est, quam non fuit Salomõ, quando
Mat. 6. omni gloria sua erat circundatus. At uero, si impium, auro, ostro, & preciosissimis gẽmis ornatum proferas; is Deo, & Angelis ita turpis, & sordidus uidebitur, ut ab eo oculos omnino sint auersuri. Quamobrẽ, cum uir iustus preciosis & splendidis uestimẽtis decoratus sit, iure gloriari, ac gaudere, dicereque potest: Gaudens gaudebo
Isa. 61. in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me uestimentis salutis: & indumento iustitiæ circundedit me: quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Iustitia, magis quam omnia dona gratis data, hominem perfectum, ac maioribus laudibus dignum reddit.
Cap. LXI.

DIuinam bonitatem decebat, ut hominem, quem ad ostendendas diuitias gloriæ suæ creauerat, uariis donis, & dotibus ornaret, ac illustrem redderet. Inter alia autem dona homini a Deo concessa, sunt ea, quas gratias gratis datas, sacri scriptores appellant: quæ sunt: Fides, scien-

tia, sapientia, prophetia, miraculorum facultas, gratia sanitatis, discretio spirituũ, donum linguarum, interpretatio sermonum: quæ dona in utilitatem aliorum, ad ædificandam Ecclesiam potissimum data fuere. Finge nunc esse quempiam omnibus his donis summopere ornatum; ita ut omnes, in omni facultate scriptos libros interpretari sciat: ut Aristotelis, Galeni, Euclidis, Ptolomæi, & denique omnium scriptorum, tum humanorum, tum diuinorum sensa, statim, sine ullo studio optime explanet: qui noscat omnem linguarũ uarietatem, vt omnibus linguis loqui, et omne sermonum genus, ut olim Apostoli, intelligere valeat: qui omnium hominum tacitas, & intimas cogitationes intueri, & aperire queat: ut non minus cuiuspiam mens, quam facies sit ei nota: qui omnia morborum genera solo uerbo, uel sola umbra sanet: qui omnia miracula, etiam quę Christus fecit, & maiora, sine ullo negocio patret: qui præterita, instantia, & futura inspiciat, & aperiat: qui fide certissime, & indubitanter omnia teneat: qui sapientia sua omnium quæ credit causas noscat, penitusque uideat: qui demum omnia quæ nouit elegantissime, & clarissime exponat. Si quis ergo hominem his dotibus, non

1. Cor. 12.

Act.

dico

dico omnibus, sed aliquibus, aut una uel altera, non dico perfecte, sed aliqua ratio ne ornatum uideret; non ne admiraretur? nonne ob stupesceret? sane quidem. Vt, si aliquem ita eloquentem audires, qui sua dicendi ui, atque copia angelicam superaret eloquentiam. Fingamus nunc ista omnia perfectissime in aliquo gratia expoliato reperiri, & istum, cum uiro iusto, omnibus illis donis orbato, conferamus: audebo una cum Paulo dicere, istum, quem tot præstantissimis donis ornatum esse finximus, cum viro iusto comparatum, esse
1.Cor.13. nihil. Hoc Paulus expresse significasse uidetur, cum dixit: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, factus sum sicuti æs sonans, aut cymbalum tinniens, nihil sum. Siste quæso pedem hoc loco, christiane lector, & diligenter animo considera, quanta sit uiri iusti dignitas, excellentia, atque præstantia; cum is, qui tot præstantissimis, & maximis donis est excultus, cum uiro iusto comparatus, nihil sit. Ratio autem, cur illa dona non sunt tanti momenti, quanti est iustitia, hæc est: quia, nec singula, nec

om-

omnia ſimul copulata eſſi ciunt hominem Deo gratum; cum ex ſe peccatum non tol lant: & hinc eſt, quod in peccatoribus interdum reperiuntur: quorum aliqui in die iudicij Chriſto dicent: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc Chriſtus confitebitur illis: Quià nun quam nouit illos. Si nunquam nouit, nun quam approbauit: & ideo nunquam ei grati, carique fuerunt; licet miracula, & uirtutes fecerint. Quis igitur ex his non intelligat, atque apertiſſime non uideat, quanta ſit uis iuſtitiæ? Quandoquidem, ſeptem dona, quorum ſingula ſunt per ſe maxima, ita ſuperat, ut cum iuſtitia cópara ta, uocentur, nihil. Gauderet, ac gloriaretur is, qui angelica eſſet eloquentia prædi tus: qui montes ab uno in alium locum transferret: qui ſibi Dæmonia ſubiiceret; & alia id genus faceret miracula: verum, nihil eſſet cur lætari, & gloriari deberet; quia ſolum eſſet, æs ſonans, cymbalum tin niens, & demum nihil. Iuſtus igitur gaudeat, iuſtus glorietur, cum ſit caritate, & iuſtitia ornatus, qua, ex homine, fit Deus. Propterea dicebat Dominus: Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis

Mat. 7.

Luc. 10.

ſubii-

ſubiiciuntur: gaudete autem, quod nomi na veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

Laudatur vir iuſtus a veris diuitiis, & vere diuitem eſſe demonſtratur.
Cap. LXII.

QVamuis ij potiſſimum laudandi ſint, qui uera ſunt uirtute prędíti, cui priuate uera debetur laus: tamen, iam uſu cō paratum eſt, ut ij quoque laudentur, qui diuitiis & opibus abundant. Quod ſi quiſpiam hac de cauſa laudibus afficiēdus eſt, is ſane eſt homo, in quo prædicando, verſamur: cum ſcriptum ſit: Gloria, & diuitiæ, in domo eius. Neque de iis nunc lo- *Pſal. 111.* quimur diuitiis, quibus, quo aliquis plus abundat, eo magis eget: quæ non ſunt per ſe bona, & proinde non uere bona: ſed de bonis, per ſe delectabilibus, utilibus, & honeſtis; quæ ſunt omni ex parte bona; de diuitiis inquam, quibus animus ditatur; quæ ſunt ueræ, & perfectæ diuitiæ. Nam, iis rebus ueræ diuitiæ conſtant, quæ maximi fiunt, quæ plurimi ualent, quæ raræ ſunt, & a paucis habentur, quæ ſuis ſe ſe uiribus ſuſtentant: iis inquam rebus, quibus noceri minus poteſt. Et quæ nam ſunt res iſtæ, niſi uirtutes? Quoniam nulla

la possessio, nulla uis auri pluris quam virtus æstimanda est: qua nihil rarius: rari quippe boni: quæ sola suis uiribus, & rebus se sustentat, nec multa ad se tuendam poscit: quę, nec eripi, nec surripi potest: quæ nunquam, vel incendio, uel naufragio amittitur: quæ nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur. Veræ igitur diuitiæ in sola uirtute consistunt: qua, cum uir iustus sit præditus, erit profecto uere diues. Sed quænam sint in domo huius uiri diuitiæ, adhuc planius exponam. Sunt ergo in iusto, diuitiæ cœlestes, diuina munera, spirituales dotes, gratia, caritas, uirtutes, septem Spiritus sancti dona, eiusdemque fructus duodecim: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: quæ bona, sunt uere maxima & preciosa, uiro iusto a Deo donata. Erit igitur uir iustus, cum domi suæ tot habeat diuitias, uere diues. Præterea, eos uocamus diuites, qui amplissimam hæreditatem habent: cuiusmodi iusti habent. Et quænam est hæreditas hæc? scriptura id ipsa dicat: Dominus enim ipse est hæreditas eorum: & in hæreditate Domini morantur: & Dominus est pars eorũ. Quamobrem, cum uiri iusti diuitiæ in uirtuti-

Gal. 5.

1. Pet. 1.

Deu. 18.

Eccl. 24.

Ps. 15. 72.

rutibus,& cœlestibus donis positæ sint, diues erit bonis iucundis,vtilibus, honestis, & ęternis: bonis,quę secum portat:bonis, quibus Deus huius mundi diuites dimisit inanes, cum esurientes iustitia impleuit.

Luc. 1. Sed vt apertius, qui nam sit uere diues,iustus,an impius videamus, utriusque conferamus diuitias. Diuitiæ impiorum sunt

Phil. 3. stercora: diuitię iustorum sunt bona preciosa: illæ sunt in arca, hę sunt in animo: illæ corrumpuntur; hę sunt incorruptibiles: illæ vsu decrescunt, hæ vsu augentur: illæ habentem cruciant, hæ possidentem lætificant: illę relinquuntur in mundo,

1.Tim. 6. hæ transferuntur in cœlum: Impius dum diues fieri vult, incidit in laqueos diaboli, iustus dum diuitias acquirit,euadit manus diaboli,& fit amicior Deo: impius quo ditior est, eo difficilius in cœlum ingredi po

Mat. 19. test; iustus quo pluribus bonis incedit onustus, eo facilius intrat: impius suis opibus opprimitur; iustus suis diuitiis eleuatur: impius thesaurizat sibi iram Dei; iustus Dei sibi misericordiam conciliat: impius denique, ubi multum laborauerit,nihil in

Psa.75. ueniet in manibus suis,iustus uero labores manuum suarum manducabit.Iustus ergo

Psalm. diues, & uere diues. Et quis non appellet diuitem eum, cuius pater,est Deus; cuius

hære-

hæreditas est beatitudo; quę est status omnium bonorum aggregatione perfectus; cuius domus est paradisus; cuius prata, & cápi, sunt amœna cœlorum loca; cuius opes sunt æterna bona; cuius cibus est de cœlo; cuius potus est sanguis Filij Dei; cuius uestis est iustitia, & Christus ipse; cuius tandem diuitię, tot tantæque sunt, quot, quantasque comprehenderet nemo. Possumus etiam dicere, & uere dicere, uirum iustum esse diuitem bonorũ externorum: qđ facile hunc in modũ demóstrare licet. Is censendus est diues, quē non sermo, nó possessio, sed ratio diuitem iudicat; vt omnes sapientes docent: id, si spectes, solum iustum diuitem appellabis: quia eo est cótentus, quod ad tuendam vitam, & honestè agendũ sufficit: qui nihil quærit, nihil appetit, nihil optat amplius: impius autem nunquã est contentus, cum naturæ terminum semel tráfiuerit. Id autem, quo natura contenta est, & ad honeste uiuendum sufficit, nemo est qui non possideat. Quare si homines prudentes ex eo metiuntur diuitiarum modum, quantum cuique satis est, eoque quispiam contentus est, iustus, qui hunc modũ adeptus est, diues censendus erit. Ad hæc, is existimatur diues, qui nihil sibi deesse putat, qui iam satiatus est: cum non arca, sed

Ps. 77.
Io. 6.
Gal. 3.

animus hominis diues appelletur : & ideo diues dici non poteſt, qui uacuum habet animum;licet arcam oſtentet plenam. At quis eſt,qui ſatiatur,niſi iuſtus? qui,ut diximus,paruo eſt contentus:qui etiam ſi nihil habeat:tamen omnia poſſidet: quia cõtemnendo omnia,posſidet omnia:quo fit, ut ei non ſit opus quęſito:erit igitur diues. Impius uero,cum ſemper ſe egere ſentiat,, cum, nunquam id habeat, quod poſſidet; cum bonis iam partis non utatur,cum plura appetat, a diuitum numero reijciendus erit. Quocirca, cum diuitiarum fructus ſit in cõpia,qua is caret,qui ſe egere ſentit,nemo qui ſatiatus non dum eſt,exiſtet diues. Quamobrem,ſi huius mũdi diuites ob rerum mundanarum,ac caducarum copiam laudantur, ac honorantur; cur uir iuſtus ob cœleſtes, & perpetuas, ueraſque diuitias honore, & laude afficiendus non erit? Beatos appellat mundus eos,qui hiſce fortunæ bonis abundant; quorum filię pulchrę,boues craſſæ, oues fœtoſę, & promptuaria redundant:at nos cum Dauide dicamus: Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.Inquis cum oſtentatione, o peccator:Diues ſum: nullius egeo: At neſcis, quia tu es miſer miſerabilis, & pauper, & cœcus,& nudus: quid tibi prodeſt habere

2.Cor.6. Ps. Apo.3.

diui-

diuitias, cum sapientiam emere non possis? Pro.17.
Agite nunc diuites, plorate ululantes in mi- Iac.5.
serijs uestris, quæ adueniēt uobis: quia the
saurizatis uobis irā in nouissimis diebus.
Quod si quis iustus interdum aliqua re se indigere sentit, his se Tobiæ uerbis, quibus filium suum consolabatur, consolationem capiat. Noli timere fili mi: pauperem quidē vitā gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deū, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Siquidem omnia sunt uanissima, præterquā timere Deum. Sed me iustitiæ uiam ingressurus egestatem timeat, uirum iustū nunquā egere, ac proinde uere diuitem esse, sequenti capite demonstrabimus. Tob.4. Eccs.12.

Viro iusto nihil unquam deesse demonstratur Cap. LXIII.

VIrum iustum egestatem timere non debere, eique nihil unquam deesse, is omnino certum habebit, qui hæc potissimū, quæ nunc diuinarum scripturarum testimonia afferam, animaduertet. Deus, cecinit propheta, regit, hoc est, pascit me, nihil mihi deerit: in loco pascuę, hoc est, herboso, ibi me collocauit: Et alibi: Timete Dominum omnes sancti eius: quoniā non est inopia timentibus eum. Quid clarius? Ps.22. Ps.33.

quid apertius dici potuit? Item: Non affli
Ps. 10. get Dominus fame animam iusti. Pascet
Ps. 146. Deus pullos coruorum a matribus dereli-
Ps. 144. ctos; & iustos filios suos non pascet? Imple
Gen. 1. bit omne animal benedictione; hominem iustum, imaginem, & similitudinem suam, uacuum relinquet? Prouidebit Deus passeribus, qui non seminant: iusto, qui pluris
Mat. est passeribus, non prouidebit? Vestiet lilia, & fœnum agri mox recidendum: uirum iustum filium suum, nudum sinet abire?
Ps. 103. Quærent catuli leonum a Deo escam sibi, iustus, quasi despectus, non quæret? Expectabunt tandem omnia a Deo bonitatem, iustus non expectabit? & si expectabit, eũ expectatio frustrabit? cum nemo sperauerit in Deum, & confusus fuerit.
Ecc. 2. Ad hanc ueritatem demonstrandam non pauca diuinę literæ nobis suppeditant exẽpla. Per
Deu. 29. quadraginta annos in deserto populo Hebræo iustorum typo nec cibus, nec potus, nec uestimenta, Deo per miraculum prouidente, defuerunt. Eliæ uiro iusto cibus ab
Dan. 14. Angelo subministratus fuit: Danieli, Habacuc ex Iudæa prandium Babylonem attulit. Sarepthanæ uiduæ oleum, & farina in maxima rerum omnium caritate non defuerunt. Apostolis nihil defuisse, apertissi-
Lu. 22. me veritas docuit æterna, cum dixit: Quã-

do

do misi uos sine sacculo,& pera,& calceamentis,nunquid aliquid defuit uobis? Nũ quid Antonio tot annos in eremo degenti? num tot religiosis uiris? qui licet nihil possideant; tamen nihil eis deest? immo uero,plura interdum habent,qui nihil habent,quam qui multa possident. Ioseph præmissus fuit in Ægyptũ, ut ipsius pater, & fratres reseruarentur super terram, & escas ad uiuendum haberent:Propterea Iacob uere dicere potuit: Deus qui pascit me ab adolescentia mea, vsque in præsentem diem.Itaque regius propheta cũ hanc ueritatem indubitatam haberet, cecinit: Iunior fui, etenim senui, & non uidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panẽ. Concludamus ergo cum eodem propheta: Diuites eguerunt,& esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono: hoc est: nullo deficientur bono; omnibus abundabunt rebus. Impii igitur famem patiuntur ut canes,& fame pereũt: & si quid manducant, porcorum siliquas manducant: dum serui Dei panibus abundant. Etenim Deus esuriẽtes implet bonis, & diuites dimittit inanes. Quamobrem, si quis semel uideret quanta cura, quantaq; prouidentia Deus,omnia quæ iustis necessaria sunt eis, suppeditet,omnino obstupe

Gen. 45. Gen. 48. Psal. 36. Ps. 33. Lu. 15. Luc. 1.

ſceret. Quod ſi interdum uidemus pecca-
Ps 72. tores abundantes in ſæculo, & obtinere di
uitias, iuſtos uero quaſi derelictos, & egen
tes; nihil eſt quod miremur; quia iuſtus,
quod ſibi pro eo tempore eſt neceſſarium,
proculdubio habet: ijs rebus abundat, pro
Dei prouidentia, quibus eget: Impius uero
ſtatim pe ribit; & eius felicitas ueluti ſom-
nium euaneſcet: at iuſtus non ſine cauſa iu
ſtificabit cor ſuum, & inter innocentes la-
uabit manus ſuas: quia Deus illi manum
porriget, eumq; ſuſcipiet. Quare Deo adhę
rere, & in eo ſpem ſuam ponere, bonũ eſt.
Et quis dicat uiro iuſto aliquid deeſſe, cũ
id totum a Deo obtineat, quod petit? Et
quid nam iuſtus à Deo, ſiue in terra, ſiue in
cœlo uult, niſi ipſum Deum? Etenim ait:
Defecit caro mea, & cor meum; Deus cor-
dis mei, & pars mea Deus in æternum: ac
ſi diceret: unum Deum uolo: hoc unum de
ſidero, ut Deus ſit portio mea. Quærit ergo
Mat. 6. uir iuſtus regnum Dei, & Deum ipſum,
quem proculdubio inuenit, cum Deus præ
ſto ſit omnibus quærentibus eum; & quin
cætera omnia ſibi adijciantur, nihil dubi-
tat. Quandoquidem ſcriptum eſſe nouit.
Primum quęrite regnum Dei, & hæc om-
nia adijcientur uobis. Quid igitur uiro iu
ſto deerit, cum ueritas ipſa dixerit fore, vt

ci (ubi regnum Dei quæsiuerit) quasi ad- *Mat.6.*
ditaméta,& corollaria, reliqua omnia adij
ciantur bona. Timete igitur Deum omnes
sancti eius: quoniam non est inopia timen
tibus eum. Hæc, quæ breuiter hoc loco do *Ps. 33.*
cuimus, piorum mentes maximo gaudio
perfundere, atque omnes ad iustitiam
acquirendam, & conseruandam excitare
oĩo deberent. Audiant igitur hęc mansuę-
ti,& lætentur: quia beatus est, qui sperat in
Deo.

Deus viri iusti causa omnium rerum copiam vrbi, & orbi præbet.
Cap. LXIIII.

QVemadmodum ij, qui abscondunt *Pro.11.*
frumenta, ut ex diuinis literis disci
tur, & experiẽtia quotidiana confirmatur,
maledicuntur in populis: ita qui abundan-
tiæ sunt auctores, & pauperum indigentiæ
consulunt, laudari, commendarique solẽt.
Quo laudis genere, si quis cumulandus
est, is sane est homo, quem laudare cona- *Iac.1.*
mur: qui gratia sua, ab eo, a quo in nos
omnia proficiscuntur commoda, impetrat
omnia. Hoc, quod maximum quid est, hæc
quæ nunc afferam, clare demonstrabunt
exempla, quibus planum fiet uirorum iu-

ſtorum cauſa, quidquid eſt in hac uita commoditatis,& utilitatis, felicitatiſque a Deo omnium bonorum, largitore homini-
Iac. 1. bus concedi. Iuſtitia Iacob, rem auxit La-
Ge. 30.39. ban. Iuſtitia Ioſeph in cauſa fuit, ut Deus
Gen.47. omnem ſubſtantiam Eunuchi domini ſui multiplicauerit. Idem Ioſeph, iuſtitia ſua amplificauit regnum Pharaonis, cui cunctos populos, & omnem terram Aegypti ſubiecit. Male actum eſſet cum Aegypto, niſi tempore famis Ioſeph uirum iuſtum
3.Re. 16. habuiſſet. Eliæ iuſtitia, oleum, & farinam
4.Re. 3. viduæ auxit. Eliſei iuſtitia panem multiplicauit,aquas,& terrã ſanauit. Ob iuſtitiam Ioſaphat, idẽ Eliſeus terrã repleuit aquis. Nimis longum facerem,ſi omnia exempla quæ poſſem,numerare uellem; per quæ demonſtrarem,Deum iuſtorum cauſa, oĩum rerum copiam dare,atque uarias calamitates ab urbe,& ab orbe quotidie remouere. Siquidem Deus ipſorum merito dat bonos principes,bonos prælatos,bonos magiſtros, bonos medicos,bonos ſeruos, &, ut breui dicã,oẽs rectores,& artifices bonos. Itaque,ſi quis locus bonis præſidibus,aliiſque hominibus, qui ad tuendam hominũ communitatem ſunt neceſſarij utitur,id uiris iuſtis acceptum referat. Et quę alia fuit cauſa,vt quædam ciuitates optimos paſto-

res

res diu habuerint, nisi ciuium iustitia? cur aliquot urbes diu Episcopos per miraculū habuerūt, nisi quia in eis uiri iusti reperiebantur? Cur Deus in sacris literis minatur interdum se daturum præsides malos, nisi ob iniustitiam? Quoties iusti uiri pluuias impetrarunt? quoties grandines, & alias cęli iniurias auerterunt? quoties bella extinxerunt? Iusto Sodomę commorante, non est exusta ciuitas: eodem abeunte tota igne conflagrauit. Quo fit, ut omnia quæ in mūdo sunt incommoda, impiorum causa accidant. Verum est ergo, quod scriptum reliquit sapiens: Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum subuertetur. Et, ut rem hanc adhuc apertius demonstremus, luculentum ex diuina scriptura locum afferamus: ex quo luce meridiana clarius cognoscere licebit, iustitiam, seu uiros iustos, omnium rerum in urbem, & orbem importare copiā. Ait ergo Deus: Si in pręceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & facietis ea, dabo uobis pluuiam temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura, uindemiam; & uindemia occupabit semētem: & comedetis panem uestrum in saturitate. Dabo panem in finibus uestris, dormietis,

Ge. 19.

Pro. 11.

Leu. 26.

tis,& nō erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos uestros. Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proijciẽtur. Quid pōt dici apertius? quid clarius? quid magnificentius? Contra vero,omnia incommoda iniustitiam, & iniustos in mũdum inuehere,eodem in loco his uerbis declarauit Deus. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea,&c. visitabo uos velociter in ægestate,& ardore, qui conficiat oculos uestros, & consumat animas uestras. Frustra feretis se mentem,quæ

Deu.10. ab hostib. deuorabitur,&c. Alibi,ait Deus, se clausurum cœlum,ne pluuiæ descendāt,

Deu.11. & ne terra det germen suũ. Benedicit Deus alio loco seruantes legem suam;iustos videlicet. Benedictus in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus uentris tui,& fructus terræ tuæ,iumentorum,gregum,ouiũ: benedicta horrea,benedictæ reliquiæ; benedictus eris ingrediẽs, & egrediẽs. Quod si audire nolueris vocem Dei tui: Maledictus eris in ciuitate, in agro: maledictum horreum,& reliquiæ tuæ, &c. Quare,si uir iustus causa existit,ut rebus omnibus, ciuitas, & totus mundus abundent; si propter iustos mũdus tot diuinis benedictionibus repletur; si ne dum,non abscondit frumen-

ta, verumetiam omnium replet horrea, si commoditates, & vtilitates omnes affert, & incommoda omnia remouet; si demum miseretur, & commodat, dispergit, & dat pauperibus, cur non laudabitur? cur non plurimi fiet? cur in maxima admiratione apud omnes non erit? In multiplicatione ergo iustorum lætabitur vulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus. *Ps. 111.* *Pro. 29.*

Viro iusto nulla creatura nocet.

Cap. LXV.

ID etiam laudabilem, atque felicem viri iusti statum reddere videtur; quod a nulla creatura, nisi quantum Deus permiserit, lęditur: quin potius, vt postea demonstrabo, eum tanquam dominum omnes creaturę audiunt, ac reuerentur: quę res, ut quisque, vel mediocri ingenio ornatus, intelligeret, ad amplificandam iustitiæ vim, atque præstantiam, magnopere pertinet. Et primum, si Adam in iustitia perseuerasset, nulla uel minima lęsione, ut Theologi non indocti tradiderunt, ab ulla creatura fuisset affectus. Sed, vbi iustitiam amisit, & a Deo recessit, ei creaturæ omnes ab ipso recedentes, nec

ut prius eum reuerentes, nocere ceperunt.
Apo. 13. Postea, iustitia, per agnum, qui occisus est ab origine mundi recuperata; aut iustis non nocent, uel, si Deo permittente nocent, id, ad maiorem iustorum gloriam eis permittitur. Quod autem ex se nocere non possint, paucis demonstrabo. Satan, Iob uiro iusto non obfuit nisi cum Deus ei
Iob. 1. facultatem dedit: & eatenus nocuit, (si nocumentum uocari potest, quod maximam peperit gloriam) quatenus ei concessum fuit. Balaam, & si maledictione sua populo Dei nocere conatus fuerit: tamen eius
Nu. 23. 24 conatus uani fuere, cum non modo maledictione nocumentum non attulerit; sed potius, benedictione profuerit. Saulis lancea, Dauidem iustum & innocentem attingere non potuit: nec mirum, quia Deus
1. Reg. 19 erat clypeus eius. Leo, ut in libris Regum legitur, qui permittente Deo uirum iustum necauerat, eundem mortuum, & asi
3. Reg. 13 num eius, non modo non uorauit, sed donec uenirent, qui Dei uirum sepulturæ
Dan. 3. traderent, custodiuit. Fornax etiã si plus
Dan. 14. solito esset incensa tres pueros vrere nõ po
Act. 5. tuit. Daniel intactus in lacu a leonum morsibus permansit. Apostoli uesperi in carcerem conijciebantur, sed mane extra carcerem concionantes inueniebantur. Huc

per-

pertinent, quę, ad consolandos quosdam uiros iustos, qui pro iustitia retinenda uinčti in carcere detinebantur quidam religiose his fere uerbis scripsit: Benedicti, nolite contristare Spiritum Sanctum, qui uobiscum introijt in carcerem: quia, si non introisset, nec uos illic essetis. Domus diaboli est carcer, in qua familiam suam continet; sed ideo uos in carcerem peruenistis, ut illum in domo sua conculcetis Fugiat cōspectum vestrū, & in ima sua delitescat, tanquam coluber excantatus & fumigatus. Si cogitaueritis mundum carcerem esse, potius ex carcere exisse intelligetis. Maiores tenebras habet mundus, quæ præcordia excæcant: grauiores catenas, quæ animas constringunt: peiores immundicias expirant, hominum libidines: plures postremo reos mundus continet, videlicet vniuersum hominum genus: iudicia non Proconsulis, sed Dei sustinet. Carcer habet tenebras, sed lumē estis ipsi: habet uincula; sed vos soluti Deo estis: triste illic expirat; sed vos odor estis: iudex expectatur; sed uos estis de iudicibus iudicaturi: nihil interest vbi sitis in sęculo, quia extra sæculū estis: quoties spiritu ambulaueritis, toties in carcere nō eritis: nihil crus sentit in neruo, cum animus est in cœlo *Tert. ad Martyr.*

cœlo: Totum hominem animus circũfert, & quo uelit transfert. En, vt egregie uiris iustis nihil nocere, uir doctus docuit. Ad hęc, de eis, qui credituri erãt, scriptum legimus: Et si quid mortiferum biberint,
Mar. ul. non eis nocebit. Paulus a vipera veneni plena lædi non potuit: immo ipsius merito, ut dicitur, ab eodem animali cęteri liberãtur.
Act. 28. In prima Ecclesia uiri illi uere iusti a ferro, a flammis, & a bestijs intacti euadebãt: &, ut in Ecclesiasticis legitur historiis, bestiæ, ad quas iusti proijciebantur, in eos sæuire non audebant; sed cum eos timerent, ac reuererentur, pedem referebant: & si periculi faciendi causa impij ad eas proijciebãtur, statim dilaniabantur, ac uorabantur. Ignis Polycarpum ambiebat, sed sua ui uiri iusti corpus attingere non ualebat: quod etiam de Lucia legitur. Ignis qui Anconam inuaserant, Marcellini episcopi autoritate commotus, & præsentiam reueritus, sæuire desijt, & euanuit. Margarita a Dæmone sub serpentis forma deglutita, integra euomitur. Serpentes non Christinam, sed eos qui in Christinam eas irritabant, occiderunt. Et hęc, ad id, quod demonstrare uoluimus satis sit attulisse exempla. Hoc priuilegiũ,
Isa. 43. uiro iusto aliquando tribuendum esse, per Isaiam, his uerbis, prænuntiatum fuit: Noli

timere,

timere,quia redemi te, & uocaui te nomine tuo:meus es tu. Cum trãsieris per aquas tecum ero,& flumina non operiẽt te: cum ambulaueris in igne, non combureris a flã ma,& flamma non ardebit te. Et alibi:& delectabitur infans ab hubere super foramina aspidis,& in cauerna reguli,qui ablactatus fuerit,manum suam mittet. Non nocebunt,non occident in uniuerso monte sancto meo. Quod si interdum, ignis iustos combussit,aqua obruit,ferrum penetrauit, & alię creaturæ aliquo modo lęserunt, id uolente, & permittente Deo, ad maiorem suam gloriam,& iustorum meritum,&, vt Filio suo magis essent similes,factum est. Et ideo regimus, Dęmones,qui desiderio nocendi hominibus ardent, non potuisse intrare in porcos, nisi facultate petita, & ipsis,a Christo concessa. Ex his igitur concludere licet, nullas creaturas lædere iustum, uel quia illum attingere non solent; aut si attingunt maximam illi utilitatem afferũt. Agnoscunt enim in eo diuinitatem quandam; ac proinde eum non offendunt, sed tanquam dominum reuerentur. At uero, quot quot sunt in hoc terrarum orbe creaturæ ad nocendum impijs, si Deus permitteret,paratæ essent. Terra eos absorberet, aqua obrueret,aer inficeret, cœlum opprimeret

Isa. 11. *Tob. 2.* *Luc. 8.* *2. Pet. 3.*

merecet

meret, ac demum cęteræ omnes, ei, tanquam Dei inimico, contrariæ essent: qd ex historia plagarum Aegypti satis aperte colligere licet. Et leones ad uorandos pueros uirum iustum despicientes, parati fuere: & ignis ad cremandos Regis quinquagenarium, ac etiam Dęmon ad decipiendum Achabum. In uastitate igitur, ac famè ridebit iustus, & bestias terrę, cum nihil ipsi nocere possit, non formidabit.

Exho.
4.Re. 2.
4.Re. 1.
4.Re. 22.
Iob. 5.

Viro iusto omnes creaturæ seruiunt. *Cap.* LXVI.

NOn satis suo creaturæ fungerētur munere, si solum ei homini, qui iustitiā recuperauit, & ad Deum, a quo peccando recesserat religiose uiuendo, reuersus est, non nocerent; nisi etiam (honore quem amiserat recuperato) eidem tanquam domino inseruirent, ac parerent: id cum faciant, maximam esse iustitiæ uim, atque iustorum dignitatem, excellentiamque satis aperte declarant. Paruerunt uolente Deo Moysi seruo eius in Aegypto, dum uariis plagis illos impios affecit, elementa omnia: & in transitu maris rubri, & Iordanis fluminis speciatim, aqua. Ideo scriptum est. Mare uidit, & fugit: Iordanis conuersus

Exo.
Ps. 113.

ſus eſt retrorſum. Paruerũt etiam montes, qui loco ſuo moti, exultauerunt ut arietes. Sol, dux ſiderum, paruit Ioſue, & ſtetit in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio unius diei, obediente Domino voci hominis. Samſoni ex aſini maxilla, ſicuti populo in deſerto verſanti ex petra, efluxit aqua. Eliæ inſeruiuit coruus. Eliſei pallio aquæ diuiſæ ſunt huc, atque illuc; eædem eundem ſuſtentarunt. Idem, ſecurim enatare fecit. Piſcis paratus fuit ad excipiendum Ionam, vt eum euomeret in aridam: nec non etiam hedera, vt ei eſſet umbraculum. Alius piſcis, ut Tobię uiro iuſto lucem, qua alia creatura ad amplificandã mirum in modum ipſius gloriam priuauerat, reſtitueret, vt a filio caperetur ad ripã acceſſit. Et quid mirum, ſi animal rationis expers, uiro iuſto ſeruire uoluit, cum Angelus præcinctus, & quaſi paratus ad ambulandum, vt ipſius filium deduceret, præſto fuerit? Sed iam aliquot, ex noſtra lege afferamus exempla. Paulo primo eremitæ coruus quotidie dimidiatum panem afferebat: Et cum Antonius ad eum ueniſſet, vt quod daret hoſpiti haberet, integrum detulit. Idem de Blaſio Sebaſtæ epiſcopo legitur; cui ſilueſtres auiculæ cibum ſuppeditarunt. Leo, vt ſcribitur, Diuo Hieronymo

Ioſ. 10. *Ecc. 46.* *4. Re. 2.* *4. Reg. 6.* *Io. 2.* *Io. 4.* *Tob. 6.* *M. Mart.*

inseruiebat, agasonis officio fungens. Columbano abbati ursi obtemperarunt. Vrsus, qui Marini asinum in uia peremerat, asini vicem gerens, uirum iustum ad cellá vsque, iussus portauit. Cum maxima labe Placentinum agrum padus deuastaret, episcopus ei, per schedulam, siue dicam, præcipi iussit, ut ad alueum suum rediret; cuius mandato obediuit fluuius. Hirundines Diuo Francisco imperanti ut tacerent, & Lupa, ne populo Eugubino noceret, paruerunt. Cicada ab eodem vocata aduolauit; eique canere iubenti, tanquam domino obediuit. Eadmundus Cantuariensis episcopus, nubibus, ne super audientes uerbum Dei pluerent, imperauit, & obediuerunt: licet maxima aquarum vis circa populum audienté defluxerit. Brigida uirgo aprũ, qui in pecudum gregem irruerat, eiusdem gregis pastorem constituit; & qui gregem uorare tentauerat, eundem gregem ne ab aliis feris lęderetur, custodiuit. Sexcenta, ad hanc rem, quam hoc loco tractamus, demonstrandam possemus afferre exempla; sed hęc attulisse sufficiat. Cogita nunc, amice lector, quanta sit iustitiæ uis, cui non tãtum homines rationis capaces, sed etiam animalia rationis expertia, immo etiam creaturæ omni sensu carentes obediunt,

Gregor.

eum-

eumque tanquam numen quoddam reuerentur: cui inquam, non solum homines ad officia nati, sed etiam feræ, nullius cicurationis capaces obtemperant; & quæ naturæ impulsu feruntur contra naturæ propensionem, iustitię cedunt. Si intelligendi uim creaturis ea carentibus dares, se ad in seruiendum seruis Dei promptissimas exhiberent: quibus seruis non modo Angeli, ut paulo ante diximus, & multa exempla docentes, sed etiam, o rem omni admiratione dignam! ipse Dei Filius, cum formam serui accepit tres & triginta ãnos seruiuit: Seruiuit aũt speciatim parẽtib. suis; quia, ut legimus, erat subditus illis. Huc faciunt etiã uerba ex Iosue superius citata: quibus dicitur. Obediente domino uoci eius: Obediuit ergo Deus homini. Quid igitur mirum, si creaturę creatoris exemplo excitatæ, ei inseruiunt, cui ipse creator seruire uoluit? Veruntamen, ipse Deus loquitur, seruire me fecisti in peccatis tuis. Si Deus peccatorum causa, seruiuit, quanto magis iustitiæ ergo, seruiret? At uero, uiro impio nullæ creaturę, si possent, seruire uellent: quia dum id faciunt conditoris sui inimico, ac læsæ maiestatis criminis reo se famulari quodam modo sentiũt; Et ideo terra si posset, impium non susten

Phil. 2.

Luc.

Ios. 10.

Isa. 43.

taret,aer non refrigeraret, ignis non calefaceret, sidera denique ei lumen non præberēt.Itaque singulæ creaturæ, quasi gemētes, expectant manifestationem filiorum

Rom. 10. Dei,ut ab hac inani seruitute, qua impiis, qui ex earum usu, magnitudine, & ordine colēdi Deum occasionem non sumunt frustra inseruiunt,liberentur.

Omnia viri iusti causa facta fuisse,demonstratur. *Cap.* LXVII

Pro. 6. QVamuis Deus ea omnia, quæ sua prępotenti manu fabricauit, in suam gloriam tanquam in ultimum finem fecerit, & ea sit rerum omnium consummata perfectio,ut tandem eo, quo possunt modo, illuc reuertantur,unde defluxerunt : tamē si de eo fine,quem Deus extra se spectat,loqui uelimus,cuncta,quæ in hac rerum uniuersitate continentur,propter ipsum hominem facta a Deo fuisse, cum uiris non uulgari eruditione præditis, asseuerare possumus. At propter quem hominem ? Num

Sap. propter impium,in cuius muscipulam, ut ipsa testatur scriptura, creaturæ factæ dicuntur ? non equidem : propter iustum igitur. Quid enim Deus propter impios creaturas fabricauerit, cum ipsi, creaturis,

ad offendendum omnium conditorem, & proinde creaturas etiam ipſas, abutantur? contra quos, ſuam, & creatoris ſui iniuriã vindicantes, aliquando pugnabunt. Cõtra uero, cum uiri iuſti eo modo creaturis utãtur, quo debent ipſorum cauſa, factas eſſe, dicamus oportet. Pręterea, quis non intelligeret creaturas omnes factas eſſe propter hominem, ſi animaduerteret, quæ in hac rerum vniuerſitate continentur, omnia ei inſeruire? Siquidem, terra eum ſuſtinet, herbæ & arbores ſuis fructibus eum paſcunt: animalia ei potum, & cibum, aque multa aliam commoda ſuppeditant: aqua eum reficit, & ad multos uſus iuuat: aer recreat, & nutrit: ignis calefacit, & fouet: ſidera lumen præbent: cęlum ſua ui motuque conſeruat: Angeli demum dum iugiter cœlorum orbes uerſant, eidem famulãtur. Quare, cum omnia homini inſeruire cernamus; hominis, & boni hoĩs cauſa facta fuiſſe, fateri, neceſſe erit. Quoniam; cum impij in hoc mundo uiuant, vel ut corrigantur, vel ut per eos, id quod quotidie uidemus, boni exerceantur, ipſi quoq; iuſtorum cauſa in hac uita ſeruantur, & ad ipſos, vt creaturæ rationis expertes, referũtur: quæ res, iuſtorum condicionem felicẽ; impiorum uero ſtatum miſerum eſſe, om-
Sap.

nino demonſtrat. Hanc hominis dignitatē
cum regius propheta animaduerteret, ad-
miratione affectus maxima, cum Deo lo-
Ps. 4. quens, in hæc prorupit uerba: Quid eſt hō
mo, quod memor es eius? aut filius homi
nis, quoniam uiſitas eum? Minuiſti eum
paulominus ab Angelis: gloria & honore
coronaſti eum, & cōſtituiſti eum ſuper opē
ra manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub
pedibus eius: oues, & boues uniuerſas, in
ſuper & pecora campi: uolucres cœli, & pi
ſces maris, qui perambulant ſemitas ma-
ris. Et cum cerneret, ſe non poſſe huuc totū
locum, rei magnitudine ſuperatus, proſe-
qui, tandem eadem admiratione, qua cœ-
perat, his uerbis concluſit: Domine Domi
nus noſter, quam admirabile eſt nomen tu
um in uniuerſa terra? At multo magis,
quod in præſentia docemus, uerum eſſe le
ctor cognoſceret, & admiratione longe
maiore afficeretur, ſi altiorem quandam
ſententiam in hoc epiphonemate compre
henſam eſſe intelligeret. Cur, o Dauid, tā
topere admiraris? cur ex abrupto in hanc
admirationem prorumpis, eademque con
cludis? An fortaſſe hanc ob cauſam? quo-
niam eleuata eſt magnificentia Domini ſu
per cœlos: hoc eſt, quia natura humana,
magnificum Dei opus, in perſona Filij
Dei,

Dei, eleuata fuit supra omnes cœlos, cum ad consortium Sanctissimæ Trinitatis uenit? qua re, apertissime indicatum fuit, omnia facta fuisse propter hominem, cum Deus uoluerit fieri homo, ut in Deo homine omnia tandem redirent ad Deum, qui fecit omnia, & propter nostram salutem descendit de cœlo. Lætare letare, hoc loco, uir iuste; exili gaudio: non modo propter te creaturæ factæ sunt omnes; sed etiã Deus te propter hominem se fecit; ut tu tãdem, propter Deum, fieres Deus. Vere igitur dicimus, hominem iustum esse creaturarum finem. Quamobrem si creaturis ratione carentibus mentem tribueres, ita ut iustos ab improbis secernere possent, eis speciatim inseruirent, eis obtemperare omnino contenderent, eos tanquam dominos agnoscerent; impios uero detestarentur, fugerent, & ad eos cruciandos paratissimæ essent. Et ideo, ut etiam supra ex apostolo scripsimus, omnis creatura ingemiscit, expectans manifestationem filiorum Dei, id est iustorum, & iudicij tempus; ut liberentur a uanitate, id est a uana seruitute, cui ob primi parentis peccatum subiecta fuit: in qua uana seruitute perseuerat, dum improbis seruit: quia cum ipsorum uita vana sit, cum Deo non seruiant, & ad Rom. 18.

felicitatē non properent, creaturæ etiā uanis hominib. inseruiētes, uane laborant: cū non id assequantur seruiendo, ad quod factæ sunt; vt videlicet ex ipsarum seruitute, omnium rerū fabricator cognoscatur, ac colatur Deus. Propterea uehementer desiderant, & quasi gementes, & instar parturientis cum dolore expectant, ut aliquando boni secernantur a malis: quod, die iudicij fiet; & tunc mundus pugnabit contra insensatos. Cum itaq; uir iustus sit rerum omnium finis, cum omnes creaturę ei famulentur: quis tanti uiri tantam excellentiam, & maiestatem tantam satis mirari queat? Quare cum admiratione concludere licet: Quam admirabilis est uir iustus super terram!

Rom. 1.

Mundus, & omnia quæ in mundo sunt, uiri iusti causa conseruantur. Cap. LXVIII.

Cum omnia ob eas conseruentur causas, propter quas facta fuere; nemo, qui mundum propter uiros iustos factum fuisse nouerit, ob eosdem etiam conseruari non intelliget: quæ res ad ipsorum laudem amplificandam plurimum confert. Quare, cum mundus iustorum causa, ut de-

demonſtratũ eſt, fabricatus fuerit, eorundẽ quoque cauſa conſeruabitur: & ideo ſi iuſti non eſſent in mundo, non conſeruaretur mundus. Propterea in diuinis literis, legimus, per Noe uirum iuſtum, genus humanum fuiſſe ſeruatum, cum totus terrarũ orbis, ob impiorum ſcelera, aquis coopertus fuit. Cũ eodem iuſto uiro ſtatuit Deus pactum de non interficienda iterum carne, aquis diluuij. Sodomæ, ac Gomorrhæ pepercisset Deus, ſi ſaltem decem uiros iuſtos in eis inueniſſet. Dixit enim Deus: Nõ delebo propter decem: quæ res eſt omnino conſideratione digna. Et dum unus, qui Sodomæ inuentus eſt iuſtus, ibi permãſit, non deſcendit ignis, donec ipſe cum ſua familia, Angelorum opera, egrederetur. Et Angelus, ut in ſacra legitur apocalypſi, voce magna clamauit quatuor Angelis, quibus datum eſt noſcere terræ, & mari; & dixit: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoaduſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in fratribus eorum. Et dies illi, in quibus Antichriſti ſeruebit perſecutio, propter electos, abbreuiabuntur. In Deuteronomio, Deus legem ſeruare nolentibus, multa minatur mala: Augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui; plagas magnas, & perſeuerantes, infirmitates peſſimas,

Gen. 7. Gen. 9. Gen. 18. Gen. 19. 2. Pe. 2. Apo. 7. Deu. 28.

ſimas,& perpetuas:& conuertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuiſti, &c. Quem locum ad hanc rem quam docemus, melius cognoſcendam, omnino conſulendum puto. Ex quo facile intelligere licet, nihil mali eſſe, quo Deus homines ob ipſorum ſcelera non affligat: a quibus malis, ſi iuſtitiam colerent, proculdubio eſſent liberi. Grauiſſimis pœnis Aegyptij impiorum typus cruciabātur, quibus Hebræi

Deu.9. iuſtorum figura minime grauabātur. Quoties Moyſes uir iuſtus, duræ ceruicis popu

2.Re.8.19 lum, ab iuſta Dei ira liberauit? Quoties

20. Deus ob ſeruum ſuum Dauid poſteros ſuos a maximis calamitatibus, & inimicorum manibus ſeruauit? Quoties Deus ob iuſtitiam ueterum patriarcharum populum Hebræum a maximis anguſtijs uēdicauit? quis Aegyptum in longa, atque grauiſſima rerum omnium caritate, niſi

Gen.41. uir iuſtus, ſeruauit? quam ob cauſam, populi illi, uerſo eius nomine, Saluatorē mundi appellarunt. Orante Eliſeo uiro iuſto, ingens inimicorum exercitus, a quo Iſrael ſibi timebat, cæcitate percuſſus eſt, ac popu

4.Reg.6. lus liberatus. Diui Pauli iuſtitia, qui cum ipſo nauigabant, a naufragio ſeruati fuere. Quæ exempla, licet priuata ſint: tamē rem vniuerſe demonſtrant: hoc eſt, iuſtorum

cauſa,

causa, conseruari omnia. Quapropter salubre fuit id consilium, quod Achior Holopherni populo Dei bellum inferre uolenti dedit; ut prius intelligeret, an Deum offendisset; hoc est an ibi essent iusti: quibus inuentis loco, quem expugnaturus uenerat, vt exitus declarauit, nihil damni afferri posse dixit. Et Sophonias cum diem iræ, tribulationis, angustiæ, calamitatis, miseriæ, tenebrarum, caliginis, nebulę, & turbinis, descripsisset, hæc adiecit uerba: Quęrite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati: quærite iustū, quærite mansuetum; si quo modo abscondamini in die furoris Domini. Quid illustrius? quid præclarius in laudem uiri iusti dici potest? & quid ad id, quod in prę sentiarum docemus, demonstrandum apertius? Cum igitur impendent mala, cū extrema imminet ruina, cum Deus contra impios omnes creaturas armat, quis liberabit? quis iram Dei placabit? quis mundum conseruabit, nisi uir iustus? Ad eum igitur, si mundus conseruari uult, confugiat necesse est. Huc facit uox illa, quæ Alexio Romæ defuncto, audita est. Quærite uirum, qui oret pro Roma. Ex quibus intelligi licet, quam stulte, stultus faciat mundus, dum iustos odit, persequitur, & oc-

Iudith. 5.
Soph. 1. 2.
Sap.

occidit: cum eos vehementer amare, atq; diligenter conseruare deberet, propter quos, & factus est, & conseruatur, atque ab omni malorum genere, & interi tu liberatur. Quamobrem ob ea, quæ dicta sunt, his præclarissimis appellationibus uiri iusti nominari possent. Proceres, Heroes, Malorum auerruncatores, Pacis auctores, Patres patriæ, mundi conseruatores, & cũ Hebræis, Raphaim; hoc est, Saluatores. Et, ut huic loco finem faciamus, multa quę ad ipsum amplificandum dicere potuissem, piorum mentibus cogitáda relinquo. Siquidem, in hoc loco, maxima quædam uiri iusti laus latet; quam, & si oculis mentis aliqua ratione cerno: tamen, me uerbis assequi non posse, optime intelligo.

Vir iustus est velut quidam totius mundi Monarcha. Cap. LXIX.

MAgnum quid dicam; sed vere dicã: Vir iustus, est veluti quidam totius mundi Monarcha. Non male, immo rectissime diceret quispiam, si Christum, mundi Monarcham nominaret. Quia, cum sit naturalis Dei Filius, hæreditario iure totius mundi Imperium obtinuit. Domi-
Psal. 2. nus, Filius loquitur, dixit ad me: Filius

meus

meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ, &c. Dedit itaque Pater omnem potestatem filio: qui sanguine suo totum mundum recuperauit, & emit. Regnauit igitur Dominus. Verum, si quis animaduerteret etiã uirum iustum esse Dei filium, non natura, sed gratia; intelligeret quoque, eundem per adoptionem esse mundi Monarcham. Et ideo, vna cum Christo in die iudicij mundum iudicabit. Christum ergo natura, virum iustum adoptione, mundi monarcham, tanquam cohæredem, vere nominare possumus: ad quem titulum, & dignitatem consequendam, tunc facultatem a Deo accepit, cum hominibus, ut filij Dei fierent, Deus potestatem dedit. Præterea, vir iustus, ut inferius latius demonstrabo, est amicus, & domesticus Dei. At amicitiæ lege, amicorum sunt omnia communia: quam legẽ Deum noscere, & seruare, cum eam ipse fecerit, existimandum est. Ergo, ut Deus est rerum omnium dominus & Monarcha (siquidem Domini est terra, & plenitudo eius) vir etiam iustus eodem titulo gaudebit. Sed rem paradoxo similẽ, veram tamen, apertissimo scripturę testimonio comprobemus. Diuus Paulus epi-

Psalm. *Psalm.* *Rom. 8.* *Ioan. 1.* *Psalm.* *Io. Ger ser. de cœn.*

stola

ſtola ad Romanos, capite octauo, hæc ad hunc locum pertinentia uerba, ſcripta reliquit. Qui proprio Filio ſuo nõ pepercit,
Rom. 8.
ſed pro nobis omnibus (pondera verbum, omnibus) tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia (pondera, omnia) nobis donauit? Verba lego; ſed vim pondusque verborum me non ſatis intelligere confiteor: hoc unum ſcio maximũ quid ſonare, ac profundam quandam ſententiam continere; quam ego ob ingenij, & ſpiritus mei imbecillitatem, non capio, nõ guſto. Tu amice lector, melius perpendere poteris. Quę ſane verba, omnibus animi uiribus diligenter penſanda, & ſæpenumero cogitatione accurate eſſent tractanda. Deus. Proprio. Filio. Suo. Non pepercit. Sed pro nobis. Omnibus. Tradidit. Illum. Quomodo non etiam cum illo. Omnia. Nobis. Donauit? Conſidera largitorem: perpende rem donatam: animaduerte eũ, cui donatur: intellige largitionis modum. Talis ac tantus: talem ac tantam, talibus & tantillis, ex ſumma caritate omnia, omnibus, adhuc inimicis exiſtentibus, donauit. Cuius animus ad horum uerborum conſiderationem non exiliat gaudio? cuius ſpes ad beatitudinem certiſſime ſperandam ad tantam largitionem, non erigatur?
cuius

cuius uoluntas ad tãtum ignem tota, amore, non deflagret? cuius cor non eliquescat? Quis ad cogitationem tantæ munificentiæ erga se unum attonitus, ac stupore defixus non remaneat? Quis tandem, cum Deum sibi dedisse omnia intelliget, sua omnia, & se totum, cum se, & omnia Deo debeat, ne ingratus existat, non restituet? & cum uideat se non posse nisi accepta restituere, cur non excruciabitur animi? Commendat itaque Deus caritatem suam in nobis: quoniam, si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis, nũc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus in uita ipsius. Sed, ut eo reuertamur, unde digressi sumus; ideo Christus est mũdi monarcha, quia mundum, & inimicos omnes uincendo, omnia sibi subiecit: Confidite, dicebat Dominus: ego uici mũdum. At idem, Christo tamen adiuuante, facit uir iustus; ut ex his, quæ supra scripta sunt, satis constat: erit ergo ipse quoque mundi monarcha uocandus. Quare, iure optimo uir quidam doctus, & pius hanc ueritatẽ spiritu suo contemplans, & gustans, in hęc uer-

Rom. 5.

uerba admirationis plena, prorupit. Quid admirabilius? quid ad audiendum iucundius? quam ut unusquisque fidelium, instar Christi, Monarcha sit omnium, si placet, & hoc triplici iure. Ius unum dat filialis adoptatio: ius alterum triumphalis debellatio: ius tertium, redamationis vicissitudo. Exurgite omnes dilectissimi, hilarescat facies, serenentur oculi, omnis exurgat affectio, gratiarum resonent actiones: & rursus: quæ tanta nouitas gaudiorum? magna ualde; præclara, insignis, nil supra: quia, iam iam, non uno, sed triplici titulo Christianus Monarcha est. Christiano Deus omnia dedit in manus. Et quidam alius uir uere iustus, cuius ego spiritum ualde mirari soleo, cum hunc uiri iusti titulum, ut arbitror, consideraret, omnia dicebat esse sua; & omnium prouinciarũ totius mundi, quas etiam quadam admirabili, & sapientissima simplicitate numerabat, se dominum esse gloriabatur. Possemus etiam, hoc, quod nunc docemus, confirmare ex his, quæ supra scripta sunt, cum uiri iusti causa mundum fuisse factum, eiusdemque causa conseruari, demonstrauimus. Cum itaque mundus pro iusto conditus sit, & pro eodem conseruetur, & Deus, ut scriptura docet, sub pedibus eius subiecerit omnia;

Heb. 2.
Fra. Iacob

omnia; cum Deus hominem ad imaginẽ, & similitudinem suã fecerit, ut sicuti Deus omnium rerum supremum habet dominium, ita homo præesset omnibus; cũ Paulus iustis dicat omnia uestra sunt, non uideo, cur hominem iustum, rerum omniũ dominum, & Monarcham appellare non liceat. 1. Cor. 3.

Laudatur uir iustus a regno Dei, quod intra se habet, & regem esse ostenditur.

Cap. LXX.

MAgnum sane quid de uiro iusto proximo capite asseruimus; cũ eũ totius mundi monarcham esse diximus: sed quid dã maius profecto esset, si quis, quidquid est ualoris, precij, & splendoris, in omnibus mundi regnis, & in toto hoc terrarũ orbe, in unum regnum conferret; in quo nobilissimo, ac perfectissimo modo regna, & bona continerentur omnia. Longe maximum, & multo præstantissimum esset, si quis hoc regnum ita in manu sua haberet, ita possideret; ut nullus hostis, nulla bellica uis, nulla potentia modo possessor uellet, posset ab eo auferre. Quid? si hoc regnum esset huiusmodi, ut in eo defendendo, & possidendo nulla humana opus es-

ſet potentia à nullo creato pręſidio? Maxi mum profectò quid, & ſumma admiratio ne dignum, id cenſeretur. Tale quiddam de uiro iuſtò affirmare nos poſſe, arbitror.

1. Pe. 2. Cum itaque uir iuſtus in ſacris literis rex nominetur, aliquod regnum habeat neceſ ſe eſt: quod, cuiuſmodi ſit, breui explanare

Pro. 8. tentabo: Omnia huius mundi regna ſunt

Apo. 19. participationes, vel potius vmbræ quædã regni illius regis, per quem omnes reges regnãt, qui Rex regum nominatur: in quo ſummi regis regno, quidquid iucũditatis, utilitatis, dignitatis, & honeſtatis eſt, aut eſ ſe poteſt, reperitur, ac tanquam in fonte cõ tinetur: ſicuti in diuina natura omnium creaturarum perfectiones eminentiſſimo modo, non ſecus ac in ſole quidquid eſt in mũdo ſplendoris, reperiuntur. Hoc Dei regnum, quod, quale quantumque ſit, ne mo explicabit vnquam, in uiro iuſto, ut ſcri ptura docet, inuenitur: ad quod quęrendũ,

Lu. 17. ſuos hortabatur Chriſtus, cum dicebat: Pri mum quærite regnum Dei: & petere ẽt do cuit, cum hanc orandi formam tradidit:

Mat. 5. Adueniat regnum tuum. Ait ergo ſcriptu ra: Ecce enim regnum Dei intra uos eſt. Hoc regnum, quod Chriſtus quærere, & petere homines docuit, in impijs, in qui bus Deus minime regnat; eſſe non poteſt.

Erit

Erit igitur in iustis; siue illud sit una, uel altera, uel utraque piorum Ecclesia, siue uerbi diuini prædicatio, siue sacræ scripturæ intelligentia, siue id quod est præcipuum in uita, et religione Christiana, caritas, & iustitia, siue æternę beatitudinis præmiũ, siue communio sanctorum, in quibus regnat Deus, siue Christus, & Deus: quoniã omnia hęc regna, in uiris reperiuntur iustis: cum Deus in ipsis inhabitet, in cõione sanctorum sint, præmia æterna expectent, & iam gustent, iustitia & caritate sint ornati, intelligentiam scripturarũ habeant, diuinum uerbum libenter audiant, & in corde seruent, & denique sint Ecclesiæ mẽbra, & sanctorum ciues. Regnãt ergo iusti, & regnum intra se habent: regnum quod omnia regna continet: regnum non terrarum, sed cœlorũ; nõ humanũ, sed diuinũ: non externũ, sed internum, non momentaneum, sed æternum: regnum, quod nulla ẽt diabolica ui, si quis uelit, potest expugnari: regnum sine quo alia regna nullius sunt momenti: regnum, quo, q̃ potitus est, uere regnat, & uere rex nuncupatur. Canere igitur quispiam huius regis causa posset. Domine in uirtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit uehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & uo-

Lu.17. *Mat.5.* *Rom.4.* *1.Cor.4.* *Ps.20.*

luntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide precioso,&c. Regnum intra uos est,o iusti: quia regnum Dei nō est esca,& potus,sed iustitia,& pax, & gaudiū in Spiritu sancto; q̄ omnia in uobis sunt. Regnum Dei intra uos est:sonum uerborū audio:uim & pondus non percipio,percipite uos, o iusti: uos ipsos intra uos ipsos quærite: omnia bona uestra, omnia quæ potestis cōcupiscere regna,intra uos sunt. Adhibeatur considerationis trutina,& singula pensentur uerba.Regnum. Dei.Intra. Vos. Est. Ego illud unum dixerim, regno Dei nihil maius esse,& nihil optabilius,nihil suauius,nihil tutius, quam intra se illud habere,reperiri posse. Petamus ergo a Christo Domino edocti, a Rege regum; hoc regnorum regnum; & dicamus: Adueniat regnum tuum. De impio autē quid dicemus? Impius cum Deo non seruiat, cui seruire regnare est,cum Deum in se nō habeat,quia Deus in peccatore non habitat; nec rex erit,nec regnum habebit ullū: sed cum in eo Dæmon regnet, & ipse peccato inseruiat,Diaboli regnum,siue tyrannidem in se habebit, & seruitutem quandam miseram; & calamitosissimam, &

Rom. 14.

Apoc. 19.
Mat. 5.

creatura ratione, & libertate donata indignissimam uiuet. Age ergo, o miser peccator excute regnũ Diaboli, a durissima Pharaonis seruitute te libera: regnum Dei quære, quod si uolueris facile inuenies, si non extra te, sed in te quæres. Quid igitur mortales extra uos terrena regna quæritis, cum intra uos cœleste regnum uobis inuenire liceat? Quid extra uos, intra uos positam felicitatem perquiritis? Quid, o miser homo, in hoc mundo teipso est preciosius, & tibi carius? Igitur teipsum quære, teipsum possi de, & ita posside, vt te nũquã amittas: quod si feceris, regno Dei utiq; potieris.

Viro iusto omnia feliciter succedunt.
Cap. LXXI.

QVo me cunque uerto, tam patens se se mihi ad laudandam felicissimam piorum condicionem, campus offert ut, si ad finem peruenire uoluero, non tam perlustrandus, quam percurrendus mihi sit: quod & hactenus feci, cum multos penitus intactos reliquerim locos, alios uero leuiter attigerim; quod, ob rei amplitudinem posthac etiam mihi faciendum erit. Et quis hanc materiam propemodum infinitam esse non iudicet? cum nihil omnino

ſit,ex quo, hic piorum ſtatus laudari non queat? cum eis omnia feliciter ſuccedant. O fortunatum! o beatum eum! diceret mundus,cui omnia ſub manu ſuccedunt, cui omnia ex uoto contingunt, cui ſemper fortuna arridet;eum inquam,qui de numero eſt eorum, quos regius propheta his fere uerbis deſcripſit:Filii eorum ſicut nouel-
Ps.143. lę plantatę: filię ornatæ quaſi templa quædam: promptuaria ita plena, vt unum in aliud diffundatur: oues ita fœcundæ, ut multos pariant fœtus: boues craſſæ,& robuſtæ, ac ad omnes labores ſuſtinendos aptæ:maceriæ nullum uitium faciunt:per eorum agros,nemo tranſit: tanta demum felicitate, & quiete fruuntur, ut ex platea rumorem exaudiant nullum.O igitur beatum eum, cui hæc contingunt! exclamat mundus. Verum, ut in omni alia re, ita in hac ſtultus errat uulgus:cum nemo ſit infelicior eo, cui omnia, quæ ad hanc mortalem uitam degendam pertinent, proſpere ſuccedunt. A ias,felicem, immo feliciſſimum Turcarum regem appellemus, cui per tot iam annos feliciter multa contigerunt: cum tot populos debellauerit: cum ſummo potiatur imperio: cum multis populis formidabilis exiſtat: cumque omni deliciarum genere affluat: quo tamen homine,

mine, si recte iudicare uolumus, neminem infeliciorem, neminem miserabiliorem facile inuenies. Propterea sancti uiri, nullo unquam tempore, ita timent, atque cum humanæ res eis omnino prospere succedunt. Ideo legimus, uirum sanctum noluisse ingredi in domum quandam, quę semper prospera usa fuerat fortuna. Non est ergo in eo secunda fortuna posita, ut humana pro uoto semper eueniant negocia; sed in hoc, ut tam ex aduersis, quam ex secundis rebus, honestus aliquis colligatur fructus: quod impijs contingere minime solet. Solus ergo iustus hac felici utitur cõdicione, vt ei omnia feliciter cadant; quod, non uno in loco ea docet scriptura, quæ mentiri nequit. Diligentibus Deum, inquit Apostolus, omnia cooperantur in bonum: & qui hunc locum declarando, dixit; etiam ipse casus, id est error, & lapsus in aliquam culpam, non male dixit. Quandoquidem, uiri iusti, non solum ex malo pœnæ, sed etiam ex malo culpæ utilitatem aliquam percipiunt: qua in re, quod est omnino animaduertendum, similes sunt Deo, qui ex quouis malo bonum aliquod colligit: & ideo mala fieri patitur, ut inde maiora, sapientia sua, colligat bona. Idcirco, doctissime Angelicus doctor scripsit, le

Ambr o.

Rom. 8.

D. Tho.

niores in uiris probis imperfectiones, non esse dānandas, neque eis obesse; cum ex illis, prudentia, & sapientia sua, maximos fructus hauriant; & plus per illos fortiter, ac prudenter se corrigendo, acquirant, quam per easdem, ob naturæ cōdicionem, amiserint. Huc facit ea viri iusti descriptio, quam psalmo primo attulit propheta; ubi de finibus bonorum, & malorum
Ps. 1. disputat. Et erit tanquam lignum, quod plātatum est secus decursus aquarū, quod fructum suum dabit in tempore suo; & folium eius non defluet, & oīa quæcunq; faciet, prosperabuntur. Quid sibi uult illud; folium eius non defluere? nisi, nihil agere, unde aliquid peccetur, aut detrimēti capiatur: nisi tam in prosperis, quam in aduersis ita se gerere, ut nihil præter rationem agatur, & ita in utraque fortuna uersari, ut nec prospera efferat, nec aduersa frangat. Quid etiam significat illud; omnia prosperabuntur? nisi omnia quæ euenerint, aliquid utilitatis allatura? Et quid
Gen. 21. Gen. 39. Gen. 50. mirum, si uir iustus semper secunda utitur fortuna? cum Deus sit cum ipso in cūctis, quæ facit: ex quo nascitur, ut cuncta prospere, & sapienter agat. Ideo Ioseph uir iustus Fratribus suis dixit: Vos cogitastis de me malum; sed Deus uertit illud in bonū,

ut

vt exaltaret me, sicuti impręsentiarum cer nitis. Bene cessit iusto Iob tantus calamita tum cumulus; cum ipsi reddita fuerint du plicia: Bene ceciderunt omnia Samueli uiro iusto; quia Dominus erat cum eo, & nō cecidit, ut ait scriptura, ex omnibus uerbis eius, in terram. Huc facit luculenta illa sacrę paginę sententia, qua dicitur: Melior est enim iniquitas uiri, quam mulier bene faciens. quia, uir, sua prudentia ex perpetrato delicto, dum ab eo surgit, & in posterum cautior fit, utilitatem magnam percipit: at uero mulier, hoc est, uir impius, qui tanquam mulier, est stultus, & mollis, in ipsis etiam actionibus, quas bene excere videtur, offendit. Huc denique spęctat illud: quidquid acciderit, non contristabit iustum. quia nihil unquam ab honesta, beataque uiuendi ratione, eum remouere potest. Siquidem, cum certam habeat de diuina rerum creatarum procuratione sententiam, omnia sibi Dei uoluntate euenire putat: ac proinde, ex omni re, sibi utilitatem capiendam censet. Quamobrem uir iustus, ex quacunque re, siue bona, siue mala, siue prospera, siue aduersa, quocūque tempore, & loco, cum neque sol per diem, neque luna per noctem eum urat, maximos fructus capit. Denique, propterea

Iob. ult.
1. Reg. 3.
Ecl. 42.
Pro. 12.
Ps. 120. 12.

rea uiro iusto oĩa cooperari dicũtur in bonum; quia ex omni re, quam, aut uidet, aut audit, aut contingit, aut quouis alio sensu percipit, rationeue attingit, laudandi Deum, ac proficiendi in spiritu, occasionẽ sumit; & tanquam spiritualis, omnia ad spiritum traducit. Laudemus ergo uiros iustos; quia cum sint boni, non minus ex malis, quam ex bonis norunt colligere bona.

Aduersas res uiri iusti statum felicissimum reddere ostenditur.

Cap. LXXII.

DIceret fortasse quispiam, nos huius hominis felicitatem hactenus nimium amplificasse, nec omni ex parte vera dixisse; cum viros iustos uarijs angustijs oppressos, impios vero ab omni molestiarum genere liberos, & secundis rebus florentes sępenumero uidere contingat. Quę res, aliquando, sapientissimorum hominum animos aliqua ratione turbauit: cum
Ps. 36. impios florere, & pios in sordibus iacere viderent. Demonstrabimus ergo, ne quid esse uideatur, quod hunc felicem uiri iusti statum minus beatum reddat, ijs ipsis rebus feliciores esse iustos, quibus, mundus

eos miseros esse putat; & impios, ijs rebus esse miseros, obquas felicissimi habentur. Id autem faciemus demonstrando huius vitæ miserias, & angustias, nullam in partem virorum iustorum obscurare fortunam. Angustiæ igitur, & miseriæ, non modo piorum statum non obscurant, sed illustriorem, & feliciorem reddunt: quod, & si in schola mundi paradoxum esse uidetur: tamen, in Christiana disciplina res est exploratissima. Id si uerum non esset, nunquam diuus Iacobus dixisset: Omne, id est perfectum gaudium, existimate fratres mei, cum in uarias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. Quis ergo eum statum, qui secum omne gaudium affert, qui homines probat, qui patientiam operatur, qui perfectum opus habet, qui homines perfectos, & integros, & in nulla re deficientes reddit, imperfectum, & miserum esse putabit? Id si uerum non esset, nunquã Apostoli iuissent gaudentes a conspectu concilij, quod digni facti essent pro nomine Christi contumeliam pati. Si hic status prudentes homines gaudio perfundit; cur miser appellatur? & qui in eo ver-

Iac. 1.

Rom. 5.

Act. 5.

versantur miseri ? Si ad tãtam dignitatem euehit, ut pro gloria Christi homines libenter patiantur, quo nihil melius, nihil maius in hac uita reperiri potest; cur amplissimus, & felicissimus non reputatur ?
Rom. 5. Id si uerum non esset, nunquam Paulus dixisset: sed & gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem; probatio uero spem; spes autem non confundit. Capiemus scilicet ignominiam ex eo, ex quo Paulus gloriam capit: eam rem appellabimus miseram, quæ maximos fructus affert: in desperationem nos is status adducet; qui spem reddit certissimam; is status calamitosus censebitur, qui homines per miseriarum perpessionem Dei Filio similem reddit; cui, quos preuidit Deus fore conformes, eos predestinat, uocat, iustificat, & tandem æterna gloria coronat.
Rom. 8. Id si verum non esset, nunquam Apostolorum princeps dixisset: sed, & si quid patimini propter iustitiam, Beati: Efficiet hic status homines beatos, gloriam afferet æternam, & negligendus erit? & miser appellabitur? Id si uerum non esset, quo modo Deus amicos suos domesticos suos filios suos; bonos uidelicet & iustos viros, varijs, ac grauissimis angustijs agitari, &
1. Pet. 3.
premi

premi uoluisset, & de hac suorum perpes-
sione aliquando gauisus, ac gloriatus fuis-
set? Nunquid bonus Pater ignorauit, aut
nō potuit, aut noluit bona dona dare filijs
suis? cū patres mali nō dēt dona mala suis. *Mat. 7.*
Merito igitur beatificamus eos qui susti- *Iac. 5.*
nuerunt; Abraham, Iosephum, Dauidem,
Tobiam, Iob, Ioannem, Paulum, & ce-
teros sanctos, sanctasque omnes; qui ad
summum uirtutis gradum, ad diuinos ho
nores, ad æternam beatitudinem hac una
uia peruenerunt: & Christo domino non
est dictum; sede a dextris meis; nisi quia, *Ps. 109.*
De torrēte in uia bibit: hoc est, nisi quia va
rias, grauissimasq; perpessus est miserias.
Quis igitur nō existimet eū statū esse feli-
cē, in quo Deus optimus maximus Filiū su
um uiuere uoluit? qui uerbis irrisus, pro-
bris despectus, colaphis percussus, sputis *Mat.*
fœdatus, uirgis cœsus, cruci affixus, & to
to denique corpore ita affectus fuit; vt
eius ossa numerari potuerint, & nulla in *Ps. 21.*
eo inueniretur forma? Quamobrem, cum
in hoc uocati sint iusti, ut sequantur vesti
gia, Christi, qui eis huius felicissimi sta- *1. Pet. 2.*
tus reliquit exemplum; quis eos, quod,
in miserijs, & angustijs interdum uersen-
tur, miseros esse dicat? quis infelices eos
appellare audeat, qui Christi uitam uiuūt?

qui

qui Christi vestigia imitantur? qui sumpta cruce, crucifixum sequuntur? quem qui non sequitur ambulat in tenebris. Qui hanc uiuendi piorum condicionem reijciunt, qui miseram appellant, id etiam vitæ genus, quod sancti uiri, beati Apostoli, & Christus Dominus Dei filius uixit, miserum iudicent, & reijciant. Quis eos ærũnosos, & miseros existimet, qui eam vitã degunt, per quam Deum secum habent? per quam gloriam cõsequuntur æternam?
Ps. 90. Cum ipso sum, (Deus loquitur) in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Est igitur Deus cum ijs, qui in miserijs versantur: quos fortiter pugnantes non sine delectatione spectat, eosq; eripit, & gloria afficit. Qui ergo fieri potest, ut hic status calamitosus sit, cum Deus totius cõsolationis auctorem secum habeat, et uicto-
2. Cor. 1. riæ palmam secum afferat? Existimemus igitur esse perfectum gaudium, in uariis uersari miseriis: quia ubi abundat tribulationum perpessio, uera quoque abundat consolatio. Si aurum sensum haberet, nõ conquereretur de igne, a quo purgatur, nec lignum de ferro, à quo rotundatur, nec lapis de scalpello, a quo perpolitur. Perpoliet, rotundabit, purgabit, tribulatio hominem, & lamentabitur? tribu-

latio quæ fæcem remouet, quæ superflua resecat, quæ aspera ęquat, quæ dat intellectum, quæ secum innumera bona affert, lamentationis causa existet? Et quid *Isa 28.*
quæso sunt aliud huius uitæ miseriæ, quã via ad patriam, uehiculum ad beatitudinem, eximia Dei dona, amoris diuini signa, æternæ fælicitatis pignora, lapilli de cœlo delapsi, nuncij, quibus Deus sibi caros inuisit, crux denique Christi omni ue *Heb. 12.*
neratione colenda? O igitur felicem, ac feliciſſimum illum seruum, quem Dominus tã amice inuisit, tabulis donis afficit, & Filio suo similem reddit: quem eripit, & coronat. O rem admirabilem! Dominus, dum eripit uictoriam acquirit, & seruus *Ps. 90.*
coronatur. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quis ergo nolit in tribulatione uersari, ut Deum secum habeat, & palmam acquirat? Quid ergo stulti homines, uariis miserijs (si miserię vocari possunt, quæ homines illustrant, perficiunt, & per beatos reddunt) non dicam oppressos, sed erectos, non obscuratos, sed illustratos, non sordidatos, sed purgatos miseros appellant? cum tribulationes a peccatis præseruent, in bono confirment, virtutes augeant, certitudinẽ *Rom. 5.*
quandam sanctitatis præbeant, & spem æ-
ternæ

ternæ felicitatis afferant. At uero, proſperi tas, uel ut rectius loquar, miſeria impij, quid ei emolumenti; quid gloriæ affert? Intellectu priuat, a uia uirtutis reuocat, ad peccandum allicit, merita extinguit, irã Dei theſaurizat, uiam ad beatitudinem intercludit, iter ad infernum patefacit, atque ſternit. Impiorum proſperitas non liberat a curis, ſed curis obruit; non explicat, ſed implicat; non leuat, ſed deprimit; non delectat, ſed contriſtat; non beat, ſed damnat. Quapropter, ſi uir iuſtus uiderit impium ſecundis rebus utentem, & omni ex parte florentem, & tanquam cedrum libani exal
Ps. 53. tatum, nihil commoueatur; quia, adhuc pusillum, & non erit, quæret locum eius, & non inueniet: nanque iniuſti punientur, & ſemen eorum peribit: & reliquię eorũ exterminabuntur: at manſueti, & humiles hæreditabunt terram, delectabuntur in multitudine pacis; non confundentur in tempora malo ſed eorum hæreditas erit æterna. Expectet ergo iuſtus Dominum, & cuſtodiat uias eius; & exaltabit eum, ut hæreditate capiat terram: & cũ perierint peccatores, uidebit non æmuletur in mali gnantibus, neque zelet facientes iniquitatem; quoniam tanquam fœnum ueloci
Ps. 36. ter areſcent, &c. Videbunt iuſti, & timebut,
&

& ſuper eum ridebunt, & dicent. Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. Non igitur, o miſeri homines miſeriarum ſpectanda eſt cutis, ſed ſedulo ĩtroſpicere, & meditari rem oportet: quia, licet anima iuſti tribulationum calore decoloretur: dicere tamẽ poteſt, Nigra ſum, ſed formoſa. Concludamus ergo: Beatus *Can. 1.* uir, qui ſuffert tentationem; quoniam cũ *Iac. 1.* probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Deus eſt protector, cuſtos, & vindex viri iuſti. Cap. LXXIII.

INficias non eo, immo ingenue fateor, multas eſſe tribulationes iuſtorum: ſed *Ps. 33.* illud etiam audacter affirmo, quo plures ſunt, eo illuſtriorem, ac feliciorem uirum iuſtum reddere: ſicuti maior ignis, aurum magis purgatum reddit; & plures ictus politiorem efficiunt lapidem. Præterea, licet tribulationes iuſtorum multæ ſint: tamen de his omnibus eos liberabit Dominus. Ex quo maxima quædam uiri iuſti exoritur laus, & gloria; cum Deum liberatorem, & uindicem habeat: quoniam non relinquet Dominus virgã impiorum ſuper ſortem iuſtorum. Quantum gloriaretur is *Ps. 124.*

qui, vel principem vel ducem, uel regem,
pro patrono, & uindice haberet; qui ipsi-
us ab alijs acceptas diligenter ulcisceretur
iniurias, qui ipsum præcipua quadam cu
ra perpetuo custodiret, ac defenderet; qui
tandem in omni re aduersa, ei præsto esset?
Talis est Deus, Rex regum, & Dominus
dominantium erga uirum iustum; cui in-
quit: Mihi vindictam, & ego retribuam:
Rom. 12. Id, cum regius propheta optime intellige
Ps. 139. ret, cecinit: Cognoui, quia faciet Domi-
nus iudicium inopis, & uindictam paupe
rum; ac proinde, experientia edoctus, sæ
Psal. 17. pissime Deum, fortitudinem, salutem, suf
ceptorem, protectorem, liberatorem, ad-
iutorem, salutare, clypeum, refugium, fir
mamentum, cornu denique salutis suæ ap
pellabat: cum Deo loquens, dicebat: Deus
qui das uindictas mihi, & subdis popu-
los subtus me, liberator meus de inimicis
meis iracundis: Respice in me, & misere-
Psalm. 24. re mei: quia unicus, & pauper sum ego,
&c. Huc pertinet etiam illud: Et factus est
Psalm. 9. Dominus refugium pauperi, adiutor in
opportunitatibus in tribulatione. Hinc est,
quod, uir iustus, cum tanto auxiliatore,
& vindice, se fulctum esse intelligat; li-
cet vndequaque inimicis se septum vi-
deat, qui dicunt, non est salus ei in Deo
eius,

eius, audacter dicit: Non timebo millia po puli circundantis me: Et scitote, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eũ. Et alibi: In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ; Transmigra in montẽ sicut passer? Et ab insurgẽtibus in me, exaltabis me; a viro iniquo eripies me: & comminuam eos ut puluerem ante faciem uenti: ut lutum platearum delebo eos. Quod autem Deus sit iustorum uindex, innumera ex scriptura sumpta demõstrare possunt exempla. Vindicauit Deus iniuriam Abel, contra Cain: Eliæ & Naboth, contra Iezabel: cuius sanguinem linxerunt canes; de qua prætereuntes dixerũt: Hæcine est illa Iezabel: Micheę, contra Achabum; ita, ut de domo eius reliquiæ non remanserint: & qui minister huius vindictę fuit, præmium a Deo, maximum accepit: Mardochæi, contra Aman, qui in patibulo Mardochæo parato suspensus fuit: Iudæorum, contra Antiochum; qui insanabili, & inuisibili plaga percussus est: Ioannis contra Herodem, & Christi, atq; iusti Iacobi contra Iudæos: Et denique, ne omnia diuinæ scripturę numerem exempla; quoties Christus Ecclesiæ sponsæ suę iniurias contra iniquos homines vindicauit? contra Neronem, con-

Psalm. 3. *Psal. 4.* *Psalm.* *Gen. 4.* *4. Reg. 9.* *2. Par. 24.* *3. Reg. 21.* *4. Reg. 10.* *Esther. 7.* *2. Mach. 9.*

tra Decium, contra Dioclitianum, contra Iulianum apoſtatam, contra Arrium, & alios hęreticos, qui omnes miſerabiliter extincti ſunt. Quod ſi qui iuſtorum offenſores, in hac vita non puniuntur: ijs in futurum grauius iudicium reſeruatur. Nouit ergo Dominus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iudicij reſeruare iudicandos. Liberauit Deus Ioſeph a fratribus, & adomina, atque ex obſcuro carcere in claram lucem eduxit, & per eum Aegyptum a fame: Liberauit populum Iſrael a crudeliſſima Pharaonis ſeruitute, quem uarijs affecit plagis: Liberauit Dauidem ab inſidijs Saulis, & a coniuratione filij: Liberauit Suſannam a falſa accuſatione: Liberauit Danielem a morſibus Leonum: Liberauit Oniam ab Heliodoro; liberauit Machabęos auxilio illorum quinque, qui e cœlo delapſi ſunt: Iidem manu pugnantes, ſed Deum corde orantes, licet eſſent pauci numero, uim hoſtiũ maximam proſtrarunt. Eſt igitur Deus iuſtorum liberator, & uindex. Iudex ille, qui non timebat Deum, & hominem non reuerebatur, inſtigantẽ uiduã uindicauit: Deus electos ſuos ad ſe die ac nocte clamantes, non uindicabit? & patientiam in illis habebit? Immittet utique Angelus Domi-

ni

2. Pet. 2.
Gen.
Exo.
2. Reg. 18.
Dan. 13.
Dan. 14.
2. Mach. 3
2. Mach. 10. 11. 12 15.
Luc. 18.
Apo. 6.

ni in circuitu timentium eum, & eripiet eos: hoc eſt, circum eos caſtrametabitur, acie, ualloque cinget. Dicat ergo iuſtus: Ipſe pauper clamaui, & Dominus exaudiuit me, & de omnibus tribulationibus meis ſaluauit me: & tanto beneficio affectus, ad alios ſe conuertat, eoſque ad gratias ſecum Deo agendas, his uerbis hortetur. Magnificate Dominũ mecum, & exultemus nomen eius in idipſum; hoc eſt, unanimiter. Quod ſi interdum Deus auxilio ſuo non ſtatim adeſt, nec ſtatim uindicat: iuſtus uiriliter agit, & expectat Dominum: qui non moram faciet, non tardabit: etenim eſt bonus, & confortans in die tribulationis: & ſciens ſperantes in ſe. Quod ſi, ne ab inimicis uincatur, timet, ad precationem confugiat, & Deo dicat: Iudica, ſeu uindica nocentes me: expugna impugnantes me: apprehende arma & ſcutũ, & exurge in adiutorium mihi, &c. Nec quidquã eſt, cur iuſtus de diuino auxilio dubitet: quia oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum. Itaque ſtatim aderit, & anima eius delectabitur ſuper ſalutari ſuo: & omnia oſſa ſua dicent: Domine Domine, quis ſimilis tibi? Licet ergo multæ ſint iuſtorum tribulationes; de omnibus tamen liberabit eos Dominus. Quo

Pſalm. 33.
Pſal.
Habach. 2
Nahum. 1.
Pſalm. 34.
Pſalm. 33.

fit,ut cauere quisq; debeat, ne uiros iustos
Zach.2. lædat; quoniam eos uindicabit Deus: siquidem,qui eos tangit, pupillam oculorũ Dei tangit: & ne quis tangat, aliquando præmonuit, cum dixit: Nolite tangere Christos meos:& qui sunt Christi Dei,nisi iusti diuina gratia inuncti? Et cum quis iu
Act. 9. stum persequitur; non secus ac si ipse iniuria afficeretur, inquit: Saule Saule,cur me persequeris? O egregiam, & singularem uiri iusti conditionem, cum Deum sui defensorem, liberatorem,ac uindicẽ habeat: cum Deus ipsi semper presto sit:cum Deus iniurias ipsi illatas, sibi inferri dicat,& ne quis eum tangat,præcaueat, & denique eũ tanquam oculi sui pupillam custodiat, carumque habeat. Q uis erit tam impudẽs, tam perditus,qui pu[illegible] oculorum Dei uel minimum lædere u[illegible]gere audeat? Estote igitur securi,o iusti,nullum uos periculi genus terreat, uiuite læti, quandoquidem defensorem, ac uindicem, præpotentem habetis Deum. Vt merito uir iustus ce
Ps.53. cinerit: Lætabitur iustus cum uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, & dicet homo: si utique est fructus iusto: utique est Deus iudicans eos in terra.

Deum priuatam, ac præcipuam uiri iusti curam habere demonstratur. Cap. LXXIIII.

SI quiſpiam illuſtrem, ac potentem nactus eſſet patronum, qui eius ſingularem curam, & protectionem haberet, is ſe felicē eſſe arbitraretur, ac pro felici ab omnibus haberetur. Verum, cum ex ſacris literis Deum, qui licet rerum omnium procurationem habeat, ſingulari tamē prouidentia uiros iuſtos regere, eoſque priuata ratione, dirigere, & ipſorum utilitatibus conſulere, intelligo; infelicem, aliorum omnium, qui ſub hac præcipua gubernatione, in quorum numero ſunt omnes impij, non continentur, uitam iudico: Deus igitur non ſolum iuſtum contra impugnātes defendit, & vindicat: ſed etiam ſingulari, & priuata cura perpetuo regit, eique, tā quam optimus pater filio, conſulit, & pro uidet. Hoc egregio uiros iuſtos gaudere priuilegio, nullibi apertiſsime nos ſacra non docent eloquia. Huc pertinent hæ ſen tentiæ: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum; oculi Domini ad timentes eum: apud Dominū greſſus hominis dirigetur, & uiam eius uolet, cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus

Ps. 33.
Pro. 15.
Ps. 36.

supponit manus suas, non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui
Psal. 120. custodit Israel: Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam: Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet, & uiam pec-
Psal. 145. catorum disperdet: qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: quæ omnes auctoritates speciatim de uiro iusto in-
Psal. 146. telligendæ sunt. Hanc præcipuam Dei erga pios uiros curam, totus psalmus nonagesimus eleganter demonstrat: ex quo lo-
Psal. 90. co, hic, adscribam aliqua. Iustus in protectione, seu vmbra Dei, commoratur: Deus iustum liberat a laqueo uenantium: & scapulis suis ei umbram facit: & ideo sub pēnis eius sperat: sua ueritate, quasi scuto, circundat, & propterea non timet a sagitta uolante, a negocio perambulante in tenebris, & a Dæmonio meridiano: quia nō accedit malum ad eum: flagellum non appropinquat tabernaculo eius. Rursus, ut alio scribatur psalmo, in die mala Domi-
Psalm. 40. nus iustum liberat: conseruat eum, & uiuificat eum: & beatum facit eum in terra; & non tradit eum in animam inimicorum eius: Dominus fert illi opem super lectū doloris eius, & vniuersum stratum eius; o rem admirabilem! in infirmitate eius
ver-

versat: Dominus iustum dormientem cu- *Cant. 3.*
stodit; & ne quis eum suscitet, præcauet.
Singularis, ac luculentus de hac Dei erga
iustos cura locus est in ecclesiastico, vbi
hęc leguntur: Oculi Domini super timen *Eccl. 34.*
tes eum, protector potentiæ, firmamentũ
virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum
meridiani, deprecatio offensionis, & adiu
torium, exaltans animam, & illuminans o-
culos, dans sanitatem & uitam, & benedi-
ctionem. Perficit itaque Deus eis, qui spe *Psal. 30.*
rant in eo, in conspectu filiorum hominũ:
abscondit eos in abscondito faciei suæ a
conturbatione hominum: protegit eos in
tabernaculo suo a cõtradictione linguarũ.
Tantam denique Deus suorum curam ha-
bet, vt omnes ipsorum capillos numeratos *Mat.*
habeat. Et ne quis de hac priuata Dei pro- *Luc. 12.*
uidentia unquam dubitet, quid ipse Deus
dicat, diligenter attendat. Nunquid obli- *Isa. 49.*
uisci potest mulier infantem suum, ut nõ
misereatur filio uteri sui? & si illa oblita
fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: ecce
in manibus meis descripsi te. Sed iam ali-
quot huius singularis prouidentiæ affera-
mus exempla. Quanta cura Deus Noe,
Loth, Abraham, gubernauit, & rexit? Noli *Gen. 15.*
timere, dixit Abraham; ego protector tuus *Exho.*
sum, & merces tua magna nimis. Qua-
li,

li, ac quanta prouidentia populum, e
Ex. 16. manibus Pharaonis liberauit, & per de-
Nu. 20. sertum quadraginta annos duxit, & su-
stentauit? dando de cœlo manna, de pe-
Deu. 29. tra aquam, uestimenta conseruãdo, de die
1. Reg. 8. nubis, de nocte ignis columna, iter indicã
do. Quanta procuratione Eliam, Eliseum,
3. Reg. 17. & Danielem pauit? Qua ratione Susa-
nam liberauit, Hamam sanauit, Magos ad
Mat. 2. Christum duxit, & in patriã reduxit? Cor-
nelium, Centurionem, & Eunuchum bap
tizauit, & denique gẽtes omnes ad veram
cognitionem traduxit? Quare ita Deus
Deu. 33. iustos regit, & dirigit, vt in manibus ipsi-
us existere, & scripti esse dicantur. Non
solum Deus per seipsum iustos uiros pri-
uatim curat, sed etiam per Angelos, qui
Heb. 1. sunt in ministerium missi propter eos qui
Ps. 90. hæreditatem capiunt salutis: quibus man-
dauit de uiro iusto, ut custodiant eum in
omnibus uijs suis; & portent eum in mani
bus suis; ne forte offendat ad lapidem pe
dem suum. Huc pertinet tota Tobiæ histo
ria: qui cum socium itineris inuenire vel-
Tob. 5. *Tob. 12.* let, Angelum Dei paratum ad ambulan-
dum inuenit: a quo quibus officijs To-
bias filius, in suo itinere affectus fuerit, his
verbis testatum reliquit. Pater, quam mer
cedem dabimus ei? aut quid dignum po-

terit

terit esse beneficijs eius? Me duxit,& redu xit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum a deuoratione piscis eripuit,te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. In qua historia, illud priuatim animaduersione dignum mihi uidetur, quod puer ille, vsus fuerit Angelo tanquam suo famulo, vel negociorum actore; cum eum ad exigendas pecunias misit: ubi & prouidentiã erga pios homines, & ipsorũ dignitatẽ admirari oportet. Alius Angelus, una cum tribus pueris in ardentem fornacem ingressus est,& eos ab incendio liberauit. Illa quoque iustissima fœmina Iudith, huius rei fidem fecit,cum dixit: Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem me custodiuit. Quamobrem, si quis eam curam, quã perpetuo beati illi spiritus de uiris iustis habent semel corporis oculis cerneret,omnino obstupesceret; ac quodã modo cum a tãto custode se tueri videret, erubesceret, eique quas posset maximas, gratias ageret. Denique, vt hunc latissimũ campum breui excurram, uiri iusti priuatam curam, ac tutelam, tanquam mater, habet

Dan. 3.
Iudith. 13.

habet beatissima semper uirgo Maria: cuius in nos miseros mortales protectio tanta est, ut dixerit Anselmus, Non posse perire eum, quem ipsa receperit. Et, ut arbitror, neminem inter Fideles reperies, qui
Ecc. 24. aliquãdo hanc beatæ Virginis custodiam, non sit expertus, & aliquam singularem gratiam a matre pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, non acceperit: quinimo etiam aliqui infideles ab ea se iuuari posse putant, & ad eam confugiunt. Testantur hanc Deiparę in homines curam, innumeræ vbique locorum affixæ tabulæ: testãtur magnifica passim in eius honorẽ extructa sacella: testãtur ingentia tẽpla testãtur in toto orbe terrarum singulares erga eã cultus: testãtur denique omniũ hominũ voces, qui ubi aliquo auxilio se egere sentiunt, statim, Mariã, inuocant; qui cum patrem iratum timãt, ad matrem confugiunt. Quare, merito dicere ipsa po
Pro. 8. test: Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei: qui me ĩuenerit inueniet vitã, & hauriet salutem a Domino. O feli
Sap. 11. ces eos qui sub tali, ac tãta tutela, talis ac tãtę matris uiuunt! Impij autem a Deo (licet nihil eorum quæ fecit oderit, & velit omnes saluos fieri) hac singulari, & præcipua
cura

cura non custodiuntur; sed interdum solum iustorum causa in vita conseruantur. Ideo in sacra pagina legimus, Deum ab eis oculos auertere, ab eis recedere, eos non exaudire, & tanquam non suos a se reijcere. Quare, si in tempore afflictionis impij Deo dicent, surge, & libera nos; respondebit Deus: Vbi sunt Dij vestri, quos fecistis uobis? surgant, & liberent uos in tempore aflictionis uestræ. Ab Angelis quoq; Deo permittente, non ita diligenter custodiuntur, vt iusti: & ea quæ est peccatorum refugium, ait: Qui in me peccauerint, lædent animam suam: omnes qui me oderunt diligunt mortem. Lætentur igitur, & exultēt iusti; quoniā in manu Dei existunt & scripti sunt: Deus eos dormientes custodit, eorum capillos numerat, uniuersum stratum versat, læuam sub capite ponit, & omnipotenti dextera sua amplexatur: vt dicere uere possint: In ipso viuimus, mouemur, & sumus.

Iere. 8.

Pro. 8.

Act. 17.

Laudatur a rep. Christiana in qua natus, & educatus est, atque prę alijs excellit.
Cap. LXXV.

IS etiam locus ab ijs, qui aliorum prosequuntur laudes diligenter tractari solet; qui a patria, & repub. in qua oriuntur,

sumitur,

ſumitur: cum patria, ſit uelut altem quædam mater. Qua propter, cum uir iuſtus in ea republica, & ciuitate natus ſit, qua nulla clarior, nulla magnificentior, nulla illuſtrior unquam fuit, aut eſſe poteſt, in Eccleſia uidelicet catholica, de qua dictum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei; & in rep. Chriſtiana omnium rerump. præſtantiſſima, maximis ex hoc ẽt loco laudibus cumulandus erit. Res igitur Chriſtianorum publica, multis rationibus omnes alias, quam longiſſime antecellit. Nanque, ſi eius antiquitatem ſpectes, ad quæ nam tempora referes? num ad Chriſtum natum? num ad urbem conditam? nũ ad Olympiades? num ad euerſam Troiam? minime: ſed ad Abel iuſtum, & ad mundum conditum. Si huius reip. auctorẽ perquires, non ad mortalem Iouem, non ad iniuſtum Martem, non ad fictam Mineruam, non ad iracundam Iunonem, non ad impudicam Venerem, non denique ad aliquem eorum Deorum, quę ſunt Dęmonia; ſed ad Deum Deorum, ad uerum præpotentem, & æternum Deum: quia ipſe Altiſſimus fundauit eam. Aliæ ergo reſp. ab hominibus, uel a falſis Diis, & poſt mundi exordium inſtitutæ ſunt, & ceſſarunt, aut certe aliquando ceſſabunt; hæc a Deo cum

Ps. 86.

Buſe lib. 1. hiſt. c. 2.

Ps. 95.

ipſo

ipſo mundo initium habuit, & nunquam deſitura eſt: immo, mundus huius reipu. cauſa factus eſt,& conſeruatur: & ideo portę inferi non præualebunt aduerſus eam. *Mat. 16.*
Ad hęc, aliæ reſp. certis in locis regnarunt, præfinitum dominium habuerunt: hæc vero in omnibus mundi partibus uiguit; In Aſia, in Africa, in Europa,& noſtris temporibus in nouo mundo floret. Quod ſi quibuſdam in locis ceſſauit, id eorum culpa factum eſt, qui ex ipſius legibus ſanctiſſimis viuere noluerunt. Eſt itaque certiſſimum, nullam remp. tandiu duraſſe, ac in tot regionibus regnaſſe, ſicuti reſp. Chriſtiana, quæ ad omnes etiam remotiſſimas, & hactenus incognitas promanauit nationes; ut verum ſit illud: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum; illorum nimirum, qui hanc remp. propagarunt, eiuſque leges promulgarũt. *Ps. 18.*
Habet preterea hęc reſp. optimam gubernationis formam, per monarchiam, & optimum monarcham; qui, in hac rep. gubernanda, errare nequit: cum nihil contra fidem, quæ eſt huius reip. fundamentum, & contra bonos mores, quibus perficitur, & ſuſtinetur, ſtatuere queat. Proferant, ſi quid tale habent aliæ reſp. Amplius, ſuperat Chriſtiana reſp. ceteras omnes, uirorũ,

toga,

toga, & armis illustrium multitudine. Si de doctrina loquamur, innumeros habet, quorum singuli singulos, & omnes simul aliarum rerump. doctos viros superarunt: Moyses, Salomones, Esdras, Paulos, Clementes, Iustinos, Origenes, Tertullianos, Cyrillos, Athanasios, Eusebios, Maximos, Gregorios, Basilios, Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, & denique, cum innumeros numerare nequeam, innumeros alios. Si de fortibus viris loquamur, ut missos faciamus eos, qui bellicis rebus fuerunt illustres, Gedeones, Samsones, Dauides, Iudas, Constantinos, & Carolos; qui animi fortitudine excelluerunt, nullo numero cõtinentur. Dicam igitur generatim, viros Christianos mundum, carnem, & Dæmonẽ ipsum vincere: ęquissimo animo vtranque fortunam pati, illatas iniurias patienter ferre, & condonare, ac demum seipsos vincere. Quid dicam de duodecim alijs ignobilibus, & pauperibus hominibus, qui sine armis, sine humana eloquentia, totum mundum a voluptuoso, & profligato viuendi genere, per stultam prædicationem, ad vitam cum ratione degendam, & ad veram religionem, spretis voluptatibus, relictis diuitiis, conculcatis honoribus, traduxerunt? Quid dicã de innumeris martyribus, qui il-

illhari, & erecto animo pro huius reipub. constitutione, & conseruatione atrocissimos cruciatus perpessi sunt? Quid de innumeris uirginibus, & fœmellis, quas nullæ propositæ uoluptates, nulla imminentia pericula, non carceres, non laminę, nõ enses, non ignes vincere aut perterrere potuerunt? Cõticescant igitur aliæ resp. nec ãplius suorum ciuium deuotiones iactent. Quid enim habent Decij, Curtij, Coclites, Sceuolæ, Codri, Lysiæ, cum infinita nostrorum martyrum multitudine? cum Paulis inquã Ignatijs, Polycarpis, Dionysijs, Laurentijs, Venantijs, & alijs innumeris; ex quibus vel minimus, ita singulos illos, & omnes simul superat, vt omnes nostri, simul vnumquemque ex illis. De hominibus autem, qui sanctitate & integritate vitæ floruerunt, nihil prorsus dicam; cum extra hanc remp. nulla sit vera sanctitas, aut perfecta virtus. Iactent nunc alij suam remp. & patriam: Athenas, Spartam, Carthaginem, Romam, & Venetias; & vir iustus quoque iactabit suam: eam videlicet, de qua gloriosa dicta sunt, quæ fundata est in montibus sanctis, quam Deus diligit super omnes alias, in qua homo & homo, idest Filius Dei, vel perfecti homines nati sunt; quæ pace fruitur maxima, cuius se- Ps. 86. Ps. 86.

ræ corroboratæ sunt, quæ abundantiam op-
Ps. 147. timi frumenti habet; in qua uerus Deus
uera religione colitur, in qua sedent iudi-
ces, potestatem dimittendi peccata, & lar-
Mat. 18. giendi diuina dona, habentes, in qua ca-
ro filij Dei ad manducandum, & sanguis
ad bibendum proponitur, quam Angeli
Ps. 121. defendunt, & Dominus custodit: quia ele-
git eam in habitationem sibi. Quamobrē,
cum nulla unquam fuerit resp. nobilior,
magnificentior, atque illustrior, quam
Christiana, in qua natus est uir iustus, non
mediocris laus, ei, ex hoc loco tribuenda
erit: cum nobiles, magnifici, ac illustres
habeantur, qui ex aliqua illustriore patria
oriundi sunt: inter quos, ij nobiliores cen-
sentur, qui amplissimos dignitatis gradus
adepti sunt, & ex legibus illius reip. uiuūt,
& ij sunt, quos legislator esse uoluit: cuius
modi in rep. Christiana sunt omnes viri
iusti; qui non modo nomine, & signo, sed
etiam re, & operibus sunt Christiani.

Quare, uiri iusti, in nobilissima
& præstantissima republica
erunt omnium nobilissi-
mi, & præstan-
tissimi.

Ab institutoribus, & preceptoribus, quibus institutus, edoctusque fuit. Cap. LXXVI.

NOn paruam laudem ex ea re homines se capere posse putant, quod doctos, ac probos uiros pro institutoribus, & magistris, aliquando habuerint. Etenim, ad reliquam uitam cum honestate, & probitate degendam, recta a pueritia institutio, ualet plurimũ: quo fit, vt sæpenumero homines, de suis præceptoribus se iactare soleant. Quod si quis unquam, ex hoc loco laudari debuit, ac potuit, is certe, est uir iustus; qui Deo, & Christo, tanquam alumno, & pedagogo, præceptoreque utitur. Id uerum esse, sacra nobis satis aperte non uno in loco scriptura demonstrat; in qua, Deus ipse, hunc in modum loquitur: Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel: qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea uulua: usque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo. Et alibi: Ad vbera portabimini, & super genua blandietur uobis. Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor uos. Et rursus: Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in bra-

Clem. Ale. lib. ped.

Isa. 46.

Isa. 66.

Ose. 11.

chijs meis. Item: Portauit te Dominus De us tuus, ut solet homo gestare paruulum filium suum in omni uia per quam ambulastis, donec ueniretis ad locũ istum. Hãc curam, & educationem uir iustus agnoscens, ait: In te confirmatus sum ex vtero;
Ps. 70. de uentre matris meæ, tu es protector me
Cant. us: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et tandem, huc facit etiam illud: Deduxisti sicut oues popu
Ps. 76. 79. lum tuum: qui deducis uelut ouẽ Ioseph. Hæc si quis loca diligenter animaduertet; id probare, quod uolumus, facile cognoscet: quod, cum cognouerit, quin admiretur, facere non poterit; cum viderit Deum erga hominem, & alumni, & pedagogi & pastoris munera exercentem, dum ei blanditur, dum eum portat, dum defendit,
Ps. 85. dum deducit, dum ambulare docet, dum tandem ueluti aquila, eum ad uolandum
Deut. 32. prouocat, & super eum volitans expandit alas suas, assumitque eum in humeris suis. Hinc est, quod vir iustus Deo inquit: Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in
Ps. 85. ueritate tua: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: Notam fac mihi viã
Ps. 130. in qua ambulem: Dirige gressus meos: libera eos a lapsu. Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum. Deus uero tan-

quam

quam bonus alumnus, & magister, uirum *Ps. 118.*
iustum ducit, & docet: quod se facturum
per Ieremiam pollicitus est, cum dixit, Da
bo legem meam in uisceribus eorum, & in
corde eorum scribam eam: Et ero eis in *Iere. 31.*
Deum, & ipsi erunt mihi in populum, &
non docebit ultra uir proximum suum,
&c. Huc facit illud: Et erunt omnes doci *Ier. 31.*
biles Dei: Et illud: Ecce ego lactabo eam,
& ducam eam in solitudinem: & loquar
ad cor eius. Docet itaque Deus uiros iu- *Ioa. 6.*
stos speciatim per legem naturæ, per crea- *Os. 2.*
turas, per fidei lumen, per reuelationes,
& insomnia, per suos doctores, & per inter *Ioa. 1.*
nam locutionem. Audiam, dicebat bonus
discipulus, quid loquatur in me Dominus, *Ro. 2.*
Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iu *Psalm. 84.*
stificationes tuas: Deus docuisti me a iu-
uentute mea; & vsque nunc pronũciabo mi *Psal. 118.*
rabilia tua: Deus docuisti me a iuuentute
mea, & usque in senectam, & senium. Et *Psalm. 70.*
alibi, dixit sibi bonum esse huic præcepto
ri adhęrere, vt ab eo edoctus, eius laudes
celebrare posset. Beatus ergo, quem tu eru *Ps. 72.*
dieris Domine, & de lege tua edocueris *Ps. 93.*
eum. Dei autem cognitionem assequi ne-
mo potest, nisi fuerit ab eodem tanquam a
pręceptore edoctus: quod intelligens Da-
uid, alibi cecinit: Mirabilis facta est scien *Psal. 138.*

tia tua ex me, ideſt ſupra uires meas; & non potero ad eam: hoc eſt, eam viribus meis ſolis aſſequi non valebo. Et cum hic magiſter multifarie, multiſque modis homines olim docuiſſet, nouiſſime docuit per filium ſuum; qui cum non omnia ſuis diſcipulis aperuiſſet, quia non omnia tunc portare poterant; paracletum miſit, qui eos doceret omnia: quos ita docet; ut, cum aliquid dicturi ſunt, quid dicere debeant, eis cogitare non ſit neceſſe. Iactent nunc alij ſuos præceptores Ariſtoteles, Theophraſtos, Cicerones, Senecas, Plinios & alios, quia, hi non ſunt conferendi cum ijs, quos poteſt iactare iuſtus, hoc eſt, cum Angelis cum Chriſto, & cum Spiritu Sancto. O igitur felicem hominem, qui talem, ac tantum inſtitutorem, & alumnum nactus es; qui tibi ſuper genua blanditur, qui te ad ubera portat, qui te humeris geſtat, qui te læua ſuſtentat, & dextera amplexatur, qui te errantem reuocat, qui te per vias rectas, & planas ducit; qui te incedēdi rationem docet; qui te per lumen naturæ fidei, & reuelationis, per ſe, & per alios, & denique p creaturas omnes docet. O ſingularem præceptorē; qui ſine mercede erudit, qui intus foriſque inſtruit, qui vbique, & ſemper inſtituit, qui

Heb. 1.

Io 14. 15 .16.

Act. 1.

fine uerborum ſtrepitu,& ſine mora docet.
Et quos nam libros ſuis legendos proponit? librum in primis huius mundi, quem creatione aperuit,& literis quibuſdam maximis conſcripſit; elementis uidelicet, alijsque rebus, quæ in eis continentur, cœlorũ magnitudine, ſiderum uarietate, ac ſplendore: quas literas, nemo eſt ita ſenſibus obtuſus, quin percipiat: quæ literæ nõ ſunt mutę, ſed uocales: & ideo de cœlis dictum eſt: Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur uoces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum: Quia ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod cõtinet omnia, ſcientiam habet uocis, hoc eſt ſcientiam quandam uocalẽ. Hunc librum diuus Antonius interrogatus, cur in ſua cellula nullum haberet, quẽ legeret libellum, ſe lectitare, reſpondit. Pręterea, hic magiſter librum conſcientiæ, in quo legem naturæ ſcripſit, legendum omnibus proponit; quem, lege diuinitus data cum peccatorum tenebris infuſcatus eſſet, iterũ illuſtrauit. Hunc librum nemo eſt, qui legere nõ poſſit; quẽ qui legit, ſtatim doctus euadit. Lege hanc lectionẽ: Quod tibi nõ uis, alteri ne feceris: Et qđ tibi vis, alteri ne feceris, q̃lectio facillima eſt; & ſta-

Pſal. 18.

Sap. 1.

tim doctus, & bonus fies; si ex hac doctrina uixeris: quoniam Deum coles, parentes honorabis, non furtum facies, non concupisces. Seipsum præterea tanquam librum sanguine conscriptum, & flagellis rigatū, in cruce legendum proposuit: in quo libro ueluti in uerbo abbreuiato, tota sacrarum scripturarum doctrina, totaque diuina sapientia continetur: In quo libro, nemo est tam ignarus, nemo est tam stupidus, modo velit, qui legere non possit. Liber est omnino apertus, & a planta pedis, vsque ad uerticē capitis totus exaratus: literæ sunt magnę, magnæ videlicet plagę: puncta discernuntur omnia, quia cuncta dinumerantur ossa: præceptor ad legendum in cathedra constitutus auditores his uerbis conuocat: O vos omnes, qui transitis per uiam, attendite, & uidete, si est dolor, sicut dolor meus. Et hic est ille liber, quem solum se scire gloriabatur Apostolus. Denique, hunc eundem librum, quasi in quodam epilogo, in quo omnis doctrina continetur, Deus quotidie in sacrificio missæ nobis legendum, et gustandum proposuit; cum memoriam fecit mirabilium suorum, & escam dedit timentibus se: vt tandem eos, qui hos libros legerint, ad legendum librum æternæ vitæ, in quo iusti scripti sunt, traducat. At impius

Psalm. 21.
Thr. 1.
1. Cor. 2.
Ps. 111
Apo. 21
Exo. 32

pius, cum ſcientiam Dei reiiciat, vocemq; non audiat; ſerpentem, Dęmonem nimirũ ipſum, alumnum, & præceptorem habet: a quo non ſuſtentatur, ſed deprimitur; non defenditur; ſed offenditur; non illuminatur, ſed tenebris inuoluitur; non docetur, ſed dedocetur: & ſi quid is magiſter docet, errores, uitia, & excuſationes docet: a quo demum non nutritur, ſed necatur: quia, ſi quid edendum præbet, dat pro panibus lapides, pro piſcibus ſcorpiones, pro uino venenum. *Mat. 7.* Hanc inſtituendi, & docendi rationem peſſimus magiſter, cum pomum primis parentibus edendum porrexit, & ut ederent ſuaſit, exercere cępit, ac ſemper retinuit, & retinet. *Gen. 3.* Habet etiam vir impius maximum quendam, & corruptum magiſtrum, mundum uidelicet; cuius errata ſi quis numerare uellet, omnino longum faceret. Vtuntur ergo impij, cum Deum audire nolint, magiſtris peſſimis. Ideo de eis legitur: Abalienati ſunt peccatores a vulua, errauerunt ab utero, locuti ſunt falſa. Furor, ideſt obſtinatio illis, ſicut ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas; quæ non exaudiet uoces incantantium, & uenefici incantantis ſapienter. *Ps. 57.*

Ab

Ab honesta consuetudine, vsuque, quem cum Deo, & cum bonis habet.

Cap. LXXVII.

NOn paruam sibi laudem homines ij, qui bonorum consuetudine, & conuictu vtuntur acquirere solent: quod hæc viuendi ratio, vitam emendat, integritatē conseruat, bonos mores arguit, & virtutes auget: quia, qui cum sanctis uersatur quotidie fit sanctior; ut is, qui cū perditis vsum habet, quotidie fit perditior. Ex quo etiā loco maximam sibi laudem iustus comparauit. Etenim, uidere licet uiros iustos, cū hominibus, qui bene audiunt, qui integrę sunt vitæ, cum hominibus, inquam, religiosis, & piis uersari; cum eis colloqui; cum eis de rebus ad iustitiam pertinentibus age-
Psalm. 1. re, atque eorum consiliis uti. Siquidem, vir iustus non abit in consilio impiorum,
Ps. 118. & in via peccatorum non stat; Sed ab omni uia mala prohibet gressus suos: dum, cū
Ps. 100. superbo, & insatiabili corde non edit; & declinantem a se malignum non cognoscit;
Psal. 118. & facientes prę uaricationes odit, & inquit: Discedite a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Oculi ergo eius ad fideles ter-
Psal. 100. ræ; idest ad eos, qui fideliter in hac habitatione terrena, Deo seruiunt, ut sedeant cū

eo, & ambulantes in uia immaculata ei ministrent. Quo fit, ut Deum hac de causa oret, & dicat: Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua. Versatur præterea cum amicis optimis; idest, cum bonis libris, cum piis scriptoribus, cũ diuinis oraculis; ex quorum amicorum cõsuetudine, fructus percipit maximos; voluptates haurit ingentes. Etenim, hi libri sunt veluti nuntij, & legati diuini ad nos missi; qui nobiscum de uitæ nostræ statu, de progressu in spirituali via, de salute, & ęterno regno acquirendo agunt. Hi nuntij, & amici, voluntatem diuinam nobis aperiunt, occulta manifestant, mysteria pandunt. Hi nuntij, & amici, nos instruunt, hortantur, corrigunt, & ad bene beateque viuendum excitant. Hi amici nos in mœrore consolãtur, in lætitia nobis congratulantur, & in quauis fortuna, nobis præsto sunt: quorũ denique amicitia, est delectabilis, vtilis, & honesta. Cum his bonis amicis uersabatur is, qui hunc in modum cecinit: Cantabiles erant mihi iustificationes tuę in loco peregrinationis meæ: Lex tua meditatio mea est: In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui: consilium meum iustificationes tuæ: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? Super mel ori meo; Iniquos odio

Psal. 118.

Ps. 118

dio

dio habui, legem tuam dilexi: Lętabor ego super eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Vide delectationem, vide vtilitatem, vide honeſtatem, quam ſecum horum amicorum conſuetudo affert. Solatium ergo capit uir iuſtus ex ſanctis libris, quos habet in manibus ſuis. O beatos illos homines, qui huiuſmodi amicos, veraces, fideles, & iucundos, nacti ſunt, cum quibus die, ac de nocte verſari, poſſunt. Habet rurſus vir iuſtus alios amicos, quibus cum ſæpiſſime eſt, beatos nimirum, & cœleſtes ſpiritus: quia, cum ſit ciuis ſanctorum, oportet vt in cœlis cum ſui ſimilibus uerſetur, non cum habitantibus cedar; hoc eſt, cum hominibus exulibus, ac barbaris, corpore & animo nigris, triſtitiæque plenis. Habet autem priuatim conſuetudinem cum Angelo ſuo cuſtode, cui ſe ſe commendat, & totum tuendum tradit; a quo conſilium petit, cui gratias de acceptis beneficiis agit. Quam fidelis, quam carus, quam bonus ſit hic amicus, ex hiſtoria Tobiæ plane cognoſcere licet. Omitto uſum, qui ei cum beata Virgine eſt; dum eam quotidie ter ſaltem ſalutat, dum ad eam tanquam ad matrem confugit, dum ad fores eius uigilat, dum beatiſſima Mater cum eo tanquã cum deliciis ſuis uerſatur. De conſuetudine,

1.Mac. 12
Pſalm. 1.
Eph. 2.
Ps. 119.
Tob. 5. 6
Pro. 8.

ne, quam cum domino amico, & fratre suo Christo habet, quid est quod dicam? Abiturus e mundo, hic fidelissimus amicus, suis dixit: Vobiscũ sum usque ad consummationem sæculi. Est igitur semper hic amicus cum suis, & sui cum ipso. Suorum amicorum causa, ut semper cum illis esset, in mundo, sub speciebus panis, & uini remanere uoluit. Quare, non solum se exhibuit socium, sed etiam cibum. O singularem beneuolentiam! o inauditam caritatem! o illustrem amicitiam! Ornant officiis, iuuãt fauoribus, dona largiuntur, uocant ad conuiuium ceteri amici; sed seipsos in cibum non præbent. Siste gradum hoc loco, Christiane lector, & amicitiæ huius uires diligenter cogitatione perpende. Cum Christus a iusto in conuiuio sumitur, & apud eum commoratur, quæ dona ei non præbet? quibus consiliis non iuuat? quibus gaudiis non explet? In hoc dulcissimo conuictu, Christus cum anima, & anima cum Christo loquitur: & gratissimis inter se hi duo amici complexibus amplexantur. In hoc commercio, & conuiuio iustus Domini passionem meditatione recolit; Dominus ei nouam largitur gratiam; & futuræ beatitudinis spem donat. Denique, cum inter Deum, & uirum iustum, ut paulo infra de-

Mat. ult.

demonstrabitur, sit uera amicitia, quę sine quotidiana consuetudine, & usu non facile conseruatur, dicendum est, uirum iustū uersari etiam cum Deo, cum Patre uidelicet, Filio, & Spiritu sancto: de qua consuetudine nil speciatim dicam: sed qualis, quantaque sit, quantum utilitatis, & delectationis secum afferat, piorum mentibus cogitandum relinquo. Exemplo esse potest usus ille, quem cum Deo Moyses habuit: qui cum ex consortio sermonis Domini reuertebatur, cornutam habebat faciem, ob splendorem, quem emittebat: quod cum Aaron, & Israel viderent, timebant prope accedere. Versatur uir iustus cum Deo, dum orat, dum contemplatur, dum Deum semper sibi ob oculos esse cogitat, dum aliquid auxilij ab eo petit, & dicit: Deus in adiutorium meum intende: Doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu: faciem tuam illumina su per seruum tuum: Aspice in me, & miserere mei. Deus etiam uicissim cum eo sermonem habet, cum in solitudinem eum ducit, & ad cor eius loquitur, & ait: Fili, præbe mihi cor tuum: Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam: & ideo iustus ait: Audiam quid loquatur in me Deus: Loquere Domine,

Exo. 34.

Ps. 130

Ps. 118.

Ose. 2

Pro. 6. 4

Psal. 84.

quo-

quoniam seruus tuus audit. Cum ergo uir, 1. Reg.
iustus, & sanctorum hominum, & Angelorum, & Christi, & Dei consuetudine tá vtili, tam delectabili, tá honesta, per quam omnia vitia remouentur, omnes virtutes acquiruntur, & bene beateque viuitur, perpetuo utatur, quibus laudibus, ex hoc loco, exornandus erit? Contra vero, impius,
qui in consilio impiorum abit, in via pecca Psalm. 1.
torum stat, in cathedra pestilentiæ sedet, & cum diabolo commercium habet, qua non erit vituperatione dignus?

A uera libertate, quæ in solis iustis reperitur. Cap. LXXVIII.

Misera semper, ac calamitosa eorum hominum habita est condicio, qui miseræ seruitutis iugo sunt subiecti; cum libertate, quę semper plurimi facta fuit, spoliati esse videantur: quo fit, vt infelices iudicentur, & sæpe male audiant. Ideo seruo cuidam dictum fuisse legimus: Es seruus, & rationis expers natus es. Contra vero, qui libera condicione vtuntur, laudibus ornantur, & beati existimantur: cum libertas, ut quidam scripsit, sit fons felicitatum cunctarum. Hęc autem libertatis dignitas, hoc tam grande bonum in solis iustis inue

nitur. Impij vero, licet ingenuitatem, dominium, ac libertatem iactent, cum suis cupiditatibus inseruiant, cum variis vitiis se se dedant, liberi non sunt: quod nō modo religio nostra, sed etiam ethnica philosophia docet. Quare, & si ineptis hominibus paradoxum esse uideatur, solos sapientes, & bonos esse liberos, insipientes & malos esse seruos: tamen id omnino pro certo habendum est. Neque hoc loco tam de corporis, quam de animi libertate, quæ uera est libertas, loquimur. Etenim, quid aliud est uera libertas, quam facultas faciendi, cum ratione quidquid cuique libuerit, uel potestas uiuendi ut velis? At quis est, qui hac facultate utitur? num malus? qui non ratione, non honesto, sed sensu, & cupiditate, tanquam animal brutum, ducitur, qui improbissimis dominis, Dæmoni, peccato, & cupiditatibus inseruit. Iustus igitur liber: qui uiuendi uiam consideratam atque prouisam habet: qui sensus omnes in officio continet: qui libidines refrenat, voluptates spernit, iracundiam tenet, auaritiam coërcet, ac ceteras omnes animi libidines comprimit: qui tandem, in quo perfecta sita est libertas, sibi ipsi dominatur. Seruitus, ut quidam uolunt, est obedientia fracti animi, & abiecti, & arbi

trio carentis suo. At quis arbitrio magis caret, quis magis fracto & abiecto est animo, quam impius? qui a quauis leui cupiditate trahitur, a uariis animi perturbationibus in diuersas partes pellitur, a quouis timore perculsus concutitur, & a quacunque aura, uel leuiter spirante, frangitur. Iustus autem, cum sit celso, alto, & uirtutibus exaggerato animo, nihil timet, nihil pauet, nulla re labefactatur: quia apud ipsum nihil magis pollet, quam uoluntas, & recta ratio: & ideo nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat, nisi libenter, ac libere: cum consilia omnia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscantur, in ipsumque redeant, & totus a se pendeat, ac nullas extrinsecus suspensas uiuēdi rationes habeat. Da mihi hominem condicione seruum, sed iustum, & ipsius dominum, sed impium. Videamus modo, uter seruus, uel liber sit. Dominus liber est corpore, sed seruit animo: Seruus est liber animo, quamuis seruiat corpore: Dominus corpori seruit, seruus animo suo dominatur: domino, tanquā homini iniusto, lex posita est; Seruus, cum iustus sit, a lege est liber; cum non timore, sed amore operetur: dominus seruit mundo, carni, & Dæmoni; seruus a Dęmone, a carne, & a mundo liber est: domi- *1. Tim. 1.* *Ioan. 8*

 2. Pet. 2.

nus multos habet dominos, uitia uidelicet, & cupiditates suas, quibus animo inseruit; seruus etiam si sexcenti essent, qui ipsius possessionem se habere dicerent, nemini eorum seruit, cum soli rationi seruiat: & ideo dicere potest: Deus mi princeps non ullus mortalium; quem, qui pro domino habet, est uere liber: dominus omnia etiã leuissima timet, & ideo seruit; seruus nihil sibi timendum putat, & ideo liber: dominus durissimis peccatorum uinculis est obstrictus; seruus fragili tantum charta domino est obligatus: domini animus inclusus est, uel in olla, uel in scrinio, uel in corpore amicæ, uel in ambitionis carcere; at serui animus ab omni re caduca segregatus, liber ad cœlos euolat, & in cœlis uersatur: dominus, tanquam captiuus in Ae-
Exo. 1. gypto ollas, & lateres sub dura Pharaonis seruitute fingit; seruus ab hac seruitute liber ad terram promissionis pergit. Quamobrem, seruus, ueluti quidam immortalis Regis Vicarius, totius mundi imperium obtinet: & licet ab homine homini uenundatus sit, non propterea est inferior domino, qui rebus ipso uilioribus (si tamen aliquid homine improbo uilius reperiri potest) misere seipsum uendidit, & subiecit. Quis ergo liber? quis seruus? an dominus, qui

cum

cum nec rerum ſuarum, nec ſui dominiũ habeat, rebus inſeruit omnibus? an ſeruus, qui cum omnibus dominetur, rebus ſeruit nullis? Itaque, ubi ſpiritus Domini, ibi libertas: hic autem ſpiritus in iuſtis eſt: quos Filius liberauit, & ideo liberi ſunt: eo tamẽ modo, quo ſancta & Romana docet eccleſia. Quis inquam liber: nonne is, qui cum ſit amicus Dei, iure amicitiæ non modo libertate, ſed etiam imperij dignitate potitur: quo fit, ut ipſi etiam poetæ, uiros bonos, Reges, & rerum Dominos ſapienter appellauerint. Quis, dic, liber? nonne is, qui lege non ab homine impoſita uiuit? is ſane: At, cum ſolus iuſtus ab humana lege ſit immunis; cum lex, eo, quo diximus modo, non ſit impoſita iuſto, ipſe ſolus erit liber. Quis, dic, liber? num is, cui expediret ſeruire; an uero is, qui ſi dominaretur, dominanti prodeſſet? hic proculdubio. Expediret autem improbis omnibus, etiã ſi ſummo loco nati eſſent, uiro iuſto obtemperare. Vir igitur iuſtus liber habendus erit. Quis denique liber? non ne is, qui a nemine reprehenditur, a nemine cogitur, & a nemine compeſcitur? Huiuſmodi eſt uir iuſtus, qui, cum ex ſe agat, & recte agat, nec reprehendendus, neque impellendus, neq; cogendus eſt. Legitur Diogenem uenditio

2. Cor. 3.

Ioan. 8

ni expoſitum, interrogatum, quam artem calleret, reſpondiſſe: gubernandi homines: & cum licitatorẽ quendam effœminatum uidiſſet, ei dixiſſe: Tu me emito: nam viro opus habere oſtendis. Quo dicto, ille admiratus, dominio dignum iudicauit. Quamobrem, miſſo imperio, miſſa uenditione, miſſa corporis ſeruitute, miſſis natalibus, veram libertatem, & ſeruitutem ex animo pendamus: ac uiros iuſtos liberos, & impios ſeruos iure appellemus.

A ſeruitute, qua Deo, & Chriſto inſeruit.
Cap. LXXIX.

ET ſi vir iuſtus, vt demonſtratum eſt, vera libertate gaudet: tamen, cum intelligat ſe eſſe creaturam, aliquem Dominum cui fideliter inſeruiat, agnoſcit; Deum nimirum: & quia Deo ſeruire regnare eſt; ideo ob hanc ſeruitutem, nihil de libertate amittit ſua. Ad quam ſeruitutem a Filio Dei, Domino ſuo, qui non ſine ſumma gloria, ſeruilem formam accepit, inuitatur. *Phil. 2.* Quare, & ut ſuæ naturæ condicionem retineat, & ut Dominum ſuum imitetur, nec non etiam, vt Dei ſeruis propoſita conſequatur pręmia, ſeruus fieri, & eſſe vult. Eſt igitur uir iuſtus, ſeruus Dei creatoris

ſui

ſui: & cum Chriſti ſanguine emptus ſit, eſt etiam ſeruus Chriſti: Ideo Paulus dicebat iuſtis: Non eſtis ueſtri. Gloriantur huius mundi homines, ſi quem illuſtrem nacti fuerint principem, cui miſera, & homine ingenuo indigna ſeruitute, ſeruiant: Ad quod uitæ genus ut perueniant, quibus officiis, quibus muneribus, quibus artibus non utuntur? Vt tandem, ubi multum, rei familiaris, & exiſtimationis iacturæ fecerint; ad miſerabilius inſeruiendum, poſtquam dominorum gratiam ſibi comparant, perueniant. Huc miſeriæ ubi peruenerunt; quantum gloriantur? quantum ſe iactant? quanti fiunt? Quis eis non inuidet? quis eos beatos non appellat? quis ad eos, ut gratiam a Principe obtineat, non confugit, & muneribus eos non corrumpit? Sed quid aliud eſt iſtorum uita, niſi, ut quidam luculenter dixit, quam honorata quædam miſeria? O cogitationes hominũ fallaces! o ſpes vanæ! quandiu iſta uigebit gloria? quandiu homo homini erit carus? quandiu flos iſte vireſcet? quandiu bulla iſta durabit? Cras domini mens mutabitur, aut aulicus aliquid peccabit, aut inuidia eum ſepeliet; & ille fortunę flos defloreſcet, atque marceſcet. Quanto igitur prudentius, quantoque melius uir iu-

1. Cor. 6.

ſtus facit; qui poſtquam homini omnino ſeruiendum, & ſeruitute gloria quærenda eſt, non hominem, non carnem, non fœnum, non umbram, cui inſeruiat, ſed Deũ immortalem omnipotentem, opt.max. Re-
Apo.19 gem regum, & Dominum dominantium eligit: cui ſeruire regnare eſt: cui qui inſeruiunt, omnibus creaturis ſatisfaciunt.
Ps. 118. Hunc Dominum uir iuſtus agnoſcens, eũ hunc in modum alloquitur: Seruus tuus ſum ego; da mihi intellectum, ut ſciam mãdata tua: ſuſcipe ſeruum tuum in bonum: hoc eſt, da mihi ſeruo tuo opem, ad bonũ peragendum: Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum: & doce me iuſtificationes tuas. Confer nunc dominum Domino, ſi creatura cum creatore, homo cum Deo, ſeruus cum Domino, mortalis cum immortali, imbecillus cum omnipotente, umbra & uanitas cum eo, qui ſolus eſt, conferri poteſt, & ubi dominos inter ſe comparaueris, quid inter ſeruos, & ſeruitutes ſit diſcriminis, intelliges. Vter ergo maiore gloria dignus, famulus Dei, an ſeruus hominis?
Pro.8. Vter apud dominum magis gratioſus? an iuſtus, qui Domino ſuo eſt familiariſſimus, cum ſit deliciæ eius, & ſit in Domino, & Dominus in ipſo? an mundanus aulicus, qui vix cum domino ſuo fari audet? qui, quo

magis

magis domino existit gratus, eo magis ad cadendum properat. Vter maiora bona, & ampliora beneficia supplicibus impetrare potest? uter facilius, & quocunque loco, & tempore cum suo Domino sermonem habet? An iustus, qui ubiuis locorum, & temporum, sine ulla repulsa, absque mora ulla, cum Domino suo loqui, & quidquid petit obtinere valet? Illa seruitus est, ut diximus honorata, uel, ut sæpe cõtingere solet, parum honorata miseria; hæc honorifica felicitas: illa, ad digna non nisi per indigna ducit; hæc ad amplissima per dignissima transfert: illa, homine ingenuo uix est digna: quia, ut quidam scripsit, seruus est semiuir; hæc Principibus, Regibus, Imperatoribus, Põtificibus, & Angelis ita digna existit; ut hi omnes se indignos hac seruitute uocare possint: ideo merito quidam scripsit: Seruum Christi fieri, esse quandam superuenientem mundo dignitatem: & pro summo titulo, summus Pontifex, hunc sibi sumpsit: Seruus seruorum Dei: In qua sententia, non modo summissio, sed etiam maiestas quædam continetur. Hunc eundem titulum olim Apostoli, & sancti patres, tanquam illustrem notam suis epistolis præfigebant; eoque gloriabantur, dum se Christi seruos nominabant. Quis ergo non ap-

Ioa. 15.

Ro. 1.

pellet beatos eos seruos, qui non homini, sed Deo inseruiunt? qui non creaturæ, sed creatoris uoluntatem faciunt? quo quid obsecro illustrius? quid maius? quid homine dignius, ab homine fieri potest? ad quam faciendam cœlestes spiritus sunt paratissimi: ad quam exequendam Filius Dei de cœlo in hunc mundum venit. Quis ergo eos non laudet seruos, qui immortali Deo tam diligenter inseruiunt, eique carissimi sunt? quis eos cognoscere, & eorum sibi amicitiam conciliare nõ studeat? quis ad eos, cum aliquam gratiam obtinere a Deo cupit, non confugiat? cum quidquid uolunt facile obtineant. Siquidem eis a Domino dictum est: Petite, & accipietis; quos etiam petendi formulam docuit: immo ipse Deus per Spiritũ suum in ipsis postulat. Tantam dignitatem, tãtumque splẽdorem ex hac seruitute uir iustus acquirit; ut omnes rationis expertes creaturæ, omnes beati, & Angeli omnes ad inseruiendũ ei sint parati. Et ideo Angelũ noluisse a viro iusto adorari, & se ipsius, conseruum appellasse legimus. Sed quid solas creaturas, uiro iusto inseruire dixi? parũ dixi: quiddã maius restat: audebo cum scriptura, illud exprimere, Deus ipse huic homini seruit: Veruntamen, (Deus loquitur) seruire me feci-

Ps. 103.
Ioa. 8.
Ioan. 15.
Rom. 8.
Ap. 19.

fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi labo rem in iniquitatibus tuis: & nō veni ministrari, sed ministrare. Huc etiā facit, quod legimus: Obediente Domino voci hominis. Itaque, non modo hic seruus est gratus Domino, & de eius seruitute Dominus gloriatur, sed etiam Dominus ipse seruire uoluit. Quod si huius seruitutis priuatim vis exemplum; contemplare Filij Dei maiestatem, discipulorum pedes lauantem; quæ actio fieri non potest, sine aliqua genuflexione. Vides ergo creatorem, curuatum, & genibus flexum coram creatura. Discant hic serui a Domino optimam seruiēdi formulam; qua nulla melior, nulla facilior, nulla Domino gratior existit. Est igitur, cur uir iustus, de hac sua tam illustri, tanque honorifica seruitute una cum sanctis, & illustribus uiris glorietur. Impius autem nil tale habet: cum non Deo, non Christo, sed Dæmoni, & Antichristo misera, & indigna, atque nefanda seruitute inseruiat. Confer tu hic istos dominos: confer seruitutis rationem, & causas, quas lectori cogitandas relinquo; & quam sit dispar seruorum istorum condicio, facile cognosces. Dic miser, ac miserabilis peccator cur, si a Christo non es, si Christo non seruis, si sub Antichristo militas Christianū

Isa. 43.
Mat. 20.
Ios. 10.
Iob. 1.
Ioa. 13.

nomen

nomen iactas? Si quis te infidelem appellaret, non ne ei succenseres? non ne eum redargueres, & tuum quacunque ratione posses, honorem defenderes? cur pro contumelia non habes, pro malo haberi Christiano? cur stultitiam tuam non animaduertis? cum pro solo nomine pugnes? cur tantę infamiæ te non pudet? Isto nomine, ni Christo seruies, damnaberis; & quidem grauius: & erit tibi in pœnam, quod nunc tibi gloriam afferre putas: audies, ni caues, hanc grauem sententiam: Nescio te, i ma-
Mat. 25. ledicte in ignem æternum. Vtinam hęc saperent, & intelligerent, qui solo Christiani nomine contenti sunt.

A vera amicitia, quam cum Deo habet. Cap. LXXX.

QVanti humana amicitia, ac beneuolentia facienda sint, ij optime norunt qui, uel de amicitia scripserunt, uel hac de re scriptos libros legerunt. Dixerunt enim omnibus rebus humanis anteponendam esse: ab immortali Deo nihil homini melius fuisse datum: nihil esse dulcius, quam habere aliquem quocum omnia audeas sic loqui, vt tecum: amicitiam, res secundas illustriores facere, aduersas leuiores:

animos

animos debilitari, aut cadere non pati: solem e mundo tollere, qui amicitiã tollunt: amicos esse pulcherrimam uitæ supellectilem : in amicitia esse omnia , quæ expetenda sunt; honestatem, gloriam , tranquillitatem animi, ac iucunditatem; & id genus alia. Cum ergo amicitia suauissima sit, & uita sine amicitia insuauis, & natura nihil solitariũ amet, sed semper ad aliquod adminiculum adnitatur, iure optimo scriptura dixit: Beatus qui inuenit amicum uerum : amicus fidelis protectio fortis : qui autem inuenit illum , inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri , & argenti, contra bonitatem fidei illius : Amicus fidelis medicamentum uitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum , inuenient illum. Cum autem vir iustus Deum timeat, bonos profecto amicos inueniet ; in quibus , in primis , est ipse Deus , & Christus Dominus, quod demonstrare, haud difficile erit; cum in hac amicitia, quę ad uerã amicitiã constituẽdã requirũtur, reperiãtur omnia. Primum , in hac amicitia, intercedit amor cum beniuolentia. Siquidem , Deus uult aliquod bonum iusto , & iustus, Deo : & hęc dicitur beneuolentia, per quam alicui bonum uolumus. Deus uiro iusto bonum cupit

Eccl. 25.

Eccl. 6.

Exo. 33. cupit illud videlicet ipsum, quo fruitur, ipse, uitam nimirum æternam; quo bono nullum maius excogitari potest. Vir etiam iustus, eo quo potest modo, cupit bonum Deo: dum de ipsius bonitate, maiestate, sapientia, alijsque attributis gaudet, ac etiam desiderat, ut omnes eũ cognoscant, ament, & venerentur. Deinde, hic amor non est mercenarius, sed honestus, cum non sit vtilitatis causa sumptus: quia Deus nihil ab

Ps. 15. homine vtilitatis expectat, cum bonorũ nostrorum nõ egeat. Quod si uirum iustum, Deus propter se, amat; id, in ipsius iusti vtilitatem cedit: cum ea sit creatæ rei pfectio, & beatiudo, ut tandem ad Deum creatorẽ suum reuertatur. Iustus quoque ita Deum amat, ut etiam amaret, licet ab eo nihil præmij ob suum in eum amorem expectaret: Praeterea inter Deum & uirum iustum, est amoris reciprocatio: quia certissimum est iustum amari a Deo, cum ipse Deum amet;

Pro. 8. qui non potest non amare eum, a quo ama-

Ioa. 14. tur. Ideo legimus: diligentes me diligo: & qui diligit me, diligetur a Patre meo. Postea, hic amor est vtrinque cognitus; quæ condicio necessaria est: quoniam eos maxime amare solemus, a quibus nos amari scimus. Quod autem Deus se a iusto ama-

Eccl. 6. ri sciat, manifestum est: iustos quoque

amari

amari a Deo certissima fide tenendum est: quamuis eadem fidei certitudine nemo sci re possit, an iustus sit. Inuenitur etiam in hac amicitia quoddam beneuolentiæ vinculum, seu fundamentum, uel similitudo quædam, ratione cuius Deus, & vir iustus inter se amant: quæ similitudo ad fundandam omnem amicitiam necessaria est. Hæc autem, est gratiæ, seu beatitudinis participatio: quia sicuti studiorum similitudo, ita gratiæ participatio beneuolentiam gignit. Cum ergo uir iustus per gratiam con sors diuinæ sit factus naturæ, dignus est, qui a Deo supernaturali amore ametur. Postremo, amicitia ad suam conseruationem eget quotidiana consuetudine, quæ etiam in hac amicitia reperitur. Siquidem iustus orando, meditando, & colendo Deum, cũ eo uersatur, & tractat. Similiter Deus iusto rum precibus aures prębendo, eos illuminando, docendo, curando, cum ipsis uersa tur, ac dicit: Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Quis igitur non confitebitur inter Deum & virum iustum esse ueram amicitiam; cum in ea beneuolentia, quæ inter ipsos intercedit omnes reperiantur veræ amicitiæ condiciones, & causæ? Sed iterum rem hãc per suos demonstremus effectus. Primus, isque præcipuus amicitiæ effectus

est,

Ps. 127.

Ps. 121.

est, vt amicorum sint omnia communia, Deus, ita omnia sua communicauit iusto, vt pro ipso Filium suum, & cum eo, ut il-
Rom. 8. lustris Pauli docet auctoritas, omnia dede rit: cui inquit omnia mea tua sunt. Et Christus pro suis amicis, immo etiam pro inimicis, se totum in passione dedit in precium, & in sacramento in cibum: ut cum
Mat. ult. eis maneret vsque ad consumationem sæculi. Vir etiam iustus pro Dei gloria mille exponeret uitas: & quæ habet omnia pro Dei honore dare est paratus. Secundus effectus est, ut amicus sit alter ipse: qui proculdubio in hac amicitia reperitur. Nam
Ioa. 1. ita Deus dilexit hominem, ut pro ipso fa-
2. Pet. 1. ctus sit homo; ut homo fieret Deus. Et ideo in Christo, idem erat, Deus & homo. Insuper, cum quilibet iustus, sit naturæ diuinę particeps, quilibet etiam erit Deus, & homo, cum iustis dicatur: Vos Dij estis. Vterque igitur est alter ipse. Tertius effectus ut amicus sit dimidium animæ, idest, ut vnus spiritus sit in duobus corporibus. Vt autem id explicemus, animaduertendum est, anima ibi esse censetur, ubi operatur: quia operatio rei alicuius, eius demonstrat præsentiam. Quare, si Deus operabitur in homine, & homo cooperabitur cum Deo, ita ut eadem operatio ab vtroq; nasca-

nascatur, unam animam, siue unum spiritum, a quo una proficiscatur operatio eos esse necesse erit: & ideo dixit Apostolus, eum qui per caritatem adhęret Deo unum cum ipso spiritum fieri. Cum autem Deus ĩ iusto, & iustus ĩ Deo sit, uiuat, & operetur, quia qui manet in caritate, in qua iustus manet, in Deo manet, & Deus est in eo; unum esse in utroque spiritum fatendum erit. Ideo dicebat Paulus: Viuo autem, iam non ego: uiuit uero in me Christus. Itaque dum Deus uiuit in iusto, omnia facit quæ uult iustus: & dum iustus uiuit in Deo, omnia facit, quæ vult Deus: & ideo ait: Fiat uoluntas tua. Partim ergo Deus in iusto operatur, & partim iustus: quia iustus in se omnia fieri a Deo vult, quæ Deus facit: & partim iustus in Deo existens, in Deo agit, & partim Deus: quoniam Deus ea facit, quæ iustus cupit. Ex his quartus nascitur amicitiæ effectus; qui est, vt amici idem velint, & idem nolint: qui in hac amicitia uere reperitur. Nam iustus Deo dicit: Fiat uoluntas tua: Doce me facere uolũtatem tuã: Et Deus, ut scriptura docet, uoluntatem timentium se facit. Deus vult gloriam suam, & hanc iustus vult: iustus suam desiderat salutem, & hanc Deus sitit: iustus non vult suam perditionem, nec Deus eam cupit.

1. Cor. 6.
1. Ioan.
Gal. 2.
Mat. 6.
Mat. 5.
Psal. 138
Psal. 144

Postremo

Psal. 50. Poſtremo, inter hos amicos, non ſeruatur ſecretum: quia Deus incerta, & occulta ſapientię ſuæ manifeſtat iuſto: quem propterea non amplius ſeruum, ſed amicum uocat: quia ei omnia nota fecit: & iuſtus om-
Ian. 15. nes ſuas cogitationes cum Deo communicat, cui omnino cor ſuum aperit. Quis ergo negabit inter Deum, & uirum iuſtum ueram intercedere amicitiam? cum ſibi mutuo omnia communicent: cum uterq; ſit alter ipſe: cum alter in altero uiuat, cum idem velit, & idem nolit, cum tandem hi amici ſua ſecum ſecreta communicent. Ex natura igitur, & ex effectibus amicitiæ, inter Deum & uirum iuſtum, ueram eſſe amicitiam, ex dictis apertiſſime conſtat. Poſtea, quid aliud eſſe dicitur amicitia, quā voluntatum, ſtudiorum, & ſententiarū cum caritate ſumma coniunctio? At Deus, & iuſtus idem ſentiunt, idē amant, idemque ſumma cum caritate volunt: erit igitur inter eos amicitia uera. Quos Chriſtus amicos ſuos eſſe dixit, niſi eos, qui ipſius præcepta ſeruant? Vos amici mei eſtis, ſi
Ioan. 14. feceritis, quę ego præcipio uobis: Hęc, quis facit, niſi iuſtus? Erit ergo iuſtus amicus
Ioa. 15. Chriſti, cui qui amicus eſt, eſt etiā amicus Dei: quia, qui Chriſtum diligit, diligit etiā Patrem, a quo viciſſim diligitur. Hęc uera,

quæ

quę inter Deum & virum iustum est amicitia, variis similitudinibus in scriptura explicari solet. Ob summam familiaritatem comparatur domesticorum usui ob summam suauitatem, spirituali coniunctioni, quæ est inter sponsum & sponsam: ob perfectionem delectationis, conuictui inuitantis, & inuitati ad conuiuium: ob excellentiam amoris, & caritatis, quæ in hac amicitia inuenitur, societati: quia, licet Deus infinite distet ab homine: tamé, ratione huius amicitiæ Deus, iustum, in socium adsciscit: denique ratione formæ, seu modi, comparatur amicitiæ, quę est inter patrem & filium. Nam, sic iustus est domesticus, & socius Dei, vt eum tanquam patrem, semper amet, reuereatur, ac timeat: & Deus ita uirum iustum domestice tractat, ut veluti pater semper de eo sit solicitus. Erit ergo uir iustus, huius amicitiæ vi, socius Dei, amicus Dei, filius Dei, sponsa Dei, & inuitatus a Deo. Concludere igitur licet, Deum, nō solum esse uiri iusti amicum, sed etiam verum amicum: quia non quęrit occasiones ad dissoluendam amicitiam; sed quantum potest eam conseruat, & auget, & ne vnquā dissoluatur, nihil nō efficit. Quid est, quod vltra debui facere uineæ meæ, & non feci? ipse dicit. Nunquam conuer-

Eph. 4. *Cant. 3.* *Ioa. 1.* *Pro. 18.* *Isa. 5.*

Ecci. 6. titur ad rixas; quia cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis: ipse dicit: Et ideo

Pro. 17. semper diligit. Non recedit tempore tribu

Psalm. 90. lationis: quia cum ipso est in tribulatione eripit eum, & glorificat eum: ipse dicit.

Mal. 3. Stat etiam promissis: Ego Deus, & non

Heb. 12. mutor: ipse dicit. Non assentatur, nec ve-

Apo. 3. ritatem cælat, sed corrigit, & castigat: quos diligo castigo: ipse dicit. Et denique, non

Mat. 19. sinit se officijs vinci; sed centuplum restituit: ipse dicit. Qua propter, si bonus amicus est thesaurus, si bono amico nihil potest comparari, si beatus est, qui bonum amicum inuenit; quam diues, quam beatus censendus erit, qui talem, ac tantum amicum, cuiusmodi est Deus, nactus est! Qui vere est medicamentum vitæ, & immortalitatis auctor: qui leges amicitiæ bene nouit, easdemque optime seruat. Si amicitia humana est omnibus rebus anteponēda, quāto magis diuina? si humana amicitia diligenter conseruanda est; quanto magis diuina, sanctissime colenda erit? Hæc hęc, est vera amicitia in uera uirtute, & summa virtute, hoc est in caritate, quę nunquam excidit, fundata. Hæc amicitia, est quæ maximos fructos affert, voluptatem nimirum, vtilitatem, & honestatem. Quid enim iucundius? quid utilius? quid honestius? quā

cum

cum Deo uersari, & ab eodem mutuo amari? Hæc amicitia vere res lætas illustrat, aduersas leuat, & labi non patitur: hæc reuera est optima, & maxima suppellex: denique omnia quæ desiderari possunt bona, secum afferat; quam qui tollunt, ut omnes impij, qui inhoneste, inutiliter, & misero cum Dęmone uersatur, eiusque amici sunt, uere solem e mundo tollunt. Beatus ergo iustus, qui talem, ac tantum nactus est amicum.

A familiari, & domestico usu, quem iustus cum Deo habet, *Cap.* LXXXI.

QVoniam vir iustus, vt proximo capite demonstratum est, cum Deo amicitiam habet, quæ ad sui conseruationem quotidianum requirit usum; ideo, quantũ fieri per ipsum potest, quia hanc amicitiã sanctissime sibi colendã putat, semper cum Deo versari, ac agere conatur: quod per orationem speciatim facit: quę est præcipua humanę naturæ operatio; cum ceteras hominis actiones ita superet, ac uidendi sensus, alios sensus nobilitate vincit: a qua operatione is, quem laudamus homo mirifice laudari potest. Et licet tota uiri iusti vita sit oratio quædam; quia qui semper bene uiuit, ut iustus facit, semper orat: tamen,

ſuis temporibus ad hanc præclariſſimam functionem exercendam, totum ſe comparat, atque tradit. Suo itaque loco, & tempore uir iuſtus ſeipſum colligens, ſenſum a rebus externis reuocat, mentem a ſenſibus, & corpore ſeiungit, & cogitationem ab omni humana cura purgat: poſtea, per creaturas, quaſi per gradus quoſdam, contemplationis paſſibus cœlum verſus, uſq; ad Angelorum Choros peruenit, & in eorũ conſortium admitti petit; ſeque tandem, coram, amico, ſocio, familiare, & patre ſuo cum fiducia, & reuerentia, cum eo verba facturus, ac tractaturus, ſiſtit. Conſidera, amice lector, uirum iuſtum in hoc ſtatu conſtitutúm: uide eum ab hac rerum caligine, quaſi ſpiritum quendam, ſeiunctum: vide eum ad conſortium Angelorum euectum: uide eũm coram diuina maieſtate ſtantem, & cum eadem familiariter loquẽtem. Hoc ſtatu, nihil optabilius, nihil prȩclarius, nihil beatius homini contingere in hac vita poteſt. Huius ſtatus ſplendorem, ac dignitatem aliquo modo intelligeres, ſi infimæ condicionis hominem cum Cæſarea, & ſacra maieſtate familiariſſime verſantem, & de rebus grauiſſimis ſumma cum uoluptate agentem, cerneres. Nec te decipiat corpus, quod cernis in terra manere: quoniã homo,

homo,quocũque uult,animo,ſeſe trãsfert. Quare, hic uiri iuſti ſtatus, ſi operationis genus, ſi locj,& perſonarum adiuncta ſpectes, illuſtris omnino uidebitur. Quod ſi res ipſas de quibus hi amici inter ſe agunt animaduertes,adhuc longe illuſtrior apparebit. Nam, uir iuſtus coram diuina maieſtate conſtitutus,partim diuinas perfectiones cõtemplans,in Dei laudes prorumpit, ac dicit: Benedic anima mea Domino: Domine Deus magnificatus es vehementer: Confeſſionem & decorem induiſti: amictus lumine, ſicut ueſtimento: partim potentiam, & dominium Dei cognoſcens,ei quidquid habet,& poteſt, offert, omniaq; accepta refert: partim, cum diuinam liberalitatem,& miſericordiam videat,& multis ſe egere ſentiat, auxilium, & fauorem petit, ut ipſum omnium bonorum largitorem magis cognoſcere, amare, ac laudare queat. Deus uiciſſim ad cor amici ſui loquitur, eumque conſolatur,& illuminat,eique petita largitur. O igitur præclarum cõmercium! in quo de Dei gloria,& honore, de hominis ſalute & uita, atque beatitudine agitur. Dixerunt, & recte quidem,ſapiẽtiores philoſophi, hominis in hac uita felicitatem in nobiliſſima naturę humanę operatione, hoc eſt, in rerum ſublimium con

Ps. 103.

Ose. 2.

templatione, & amore positam esse: quam beatitudiné uir iustus adipiscitur, cum in oratione maiestatem diuinam contemplatur, & contemplando amat, & amoris vi, in eam illabitur, eique vnitur. Quo amoris impetu, interdum, ita extra se in amatum fertur, vt magis extra se, quam in se, & magis mortuus, quam uiuus esse videatur: & aliquando tanto spirituali gustu, ac voluptate repletur, ut gestiat, & stare loco nesciat, ac ne deficiat, timeat: & proinde petit: Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo: Dilectus meus mihi, & ego illi. Nullis itaque antiqui serpentis illecebris, nullis veteris impostoris ludificationibus, nullis horrendi hostis horrificis formis, nulla denique ui ab hoc colloquio remoueri potest: etiam si leo vnguibus adoriatur; etiam si draco magno impetu inuadat; etiam si serpentes per corpus gradiantur. Refert Sanctus Nilus Dęmones quem dã virum iustum orantem per duas hebdomadas in storea sublatum, per aerem, veluti pilam, uersasse; neque tamen ullo modo ab ardenti oratione eum abducere potuisse. Verum cum non sit mihi in animo de orationis dignitate latius disputare, illud unum speciatim hoc loco; breuiter tamen, demonstrabo; uidelicet, quam fami-

Can. 1.

S. Nilus de orat.

S. Nilus.

liari-

liariter per orationem iuſtus cum Deo, & Deus cum iuſto uerſetur; quæ res uiri iuſti ſplẽdorem mirum in modum amplificat. Quod autem priuate Deus cum ſuis amicis familiariter loqui ſoleat, hęc luculenta ſacræ ſcripturæ docet auctoritas: Si quis fuerit, ait Dominus, inter uos propheta Domini in uiſione apparebo ei, uel per ſõnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore.n.ad os loquor ei: & palã nõ p ænigmata & figuras Dominũ videt. Idem declarauit Dominus, cum dixit: Ego ſum oſtium: Per me ſiquis intrauerit, ſal uabitur; & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Quid aliud ingredi, & egredi ſignificant, quam familiaritatem quandam maximam? Qualem ij habere ſolent, famuli, qui quandocunque uolunt ad ſuos dominos ingrediuntur. Verum, nullus ſeruus eſt ita familiaris Domino ſuo ac iuſtus Deo, ad cuius conſpectum, quocunque tempore, quocunque loco, abſque vlla mora ingredi poteſt: & non ſolum uir iuſtus ad Deum, ut cum eo loquatur, accedit; ſed etiam Deus ad hominem iuſtum (o infinitam Dei bonitatem) ſe conferre ſolet. Ideo legimus, Deum de nocte ſemel, iterum, & tertium Samuelem familia

Num. 12. *Ioan. 10.* *1.Reg.3*

rem suum uocasse, ipsumque respondisse: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.
Psa. 84 Et alius dixit. Audiam quid loquatur in me Deus. Huc et pertinet illud: Ecce ego
Ose. 2. lactabo eā,& ducā eā i solitudinē,& loquar ad cor eius. Quod autem Deus statim uoces suorum excipiat, indicauit propheta,
Psa. 4. cum cecinit. Cum inuocarem, exaudiuit
Psa. 33 me Deus, &c. Siquidem oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum. Placet tandem hunc domesticū inter Deū, & virum iustum loquendi,& agendi vsum quibusdam sentētiis ex scriptura collectis, quibus hi amici, cum inter se loquuntur, vti solent, planius explanare. Deus his mo
Pro. 3.13. dis iustum alloqui consueuit: Fili mi, non obliuiscaris legis meæ. Fili præbe mihi cor
Psa. 88 tuum: Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum: Ipse inuocabit me:
Ier. 3. Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ tu es. Ergo saltem amodo uoca me; Pater mi, dux virginitatis meæ tu
Can. 2. es. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Sonet uox tua in auribus meis. Vir iustus Deum hoc mo
Psa. 131 do: Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius:
Psa. 34 Doce me facere uoluntatem tuam; quia

Deus

Deus meus es tu : Apprehende arma & ſcutum,& exurge in adiutorium meum. Domine quando reſpicies? Neque iſta maxima viri iuſti cum Deo familiaritas, ut quidam ſtulte dicunt, contẽptum parit: quia, cum uir iuſtus per hũc domeſticum uſum, & Deum & ſeipſum magis cognoſcat, diuinam maieſtatem magis reueretur, & veneratur, & ſe magis deprimit; & dicit: Domine non ſum dignus, vt tecum loquar, & ut tuo conſpectu fruar. Quid ego puluis,& cinis cum tanta maieſtate tractem? Exi a me, quia homo peccator ſum Domine: Domine non ſum dignus, vel ut tu intres in domum meam, uel ut ego accedam ad atria tua. At cum Deus uirum iuſtum ita ſe humiliantem, & deprimentem cernit, eo magis ſe ſe in eum inſinuat, & familiarius cum eo tractat, ac dicit: Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Quod autẽ uiri iuſti hoc diuino colloquio delectentur, eoque ſæpe fruantur, quid eſt, quod pluribus demonſtrem? cum ſancti patres nulla alia in re diligentius, & frequentius ſe ſe occupauerint, quam in hoc cum Deo, per orationem commercio? cuius rei præclara, & illuſtria nobis reliquerunt exempla. Siquidem ſi temporis ſpatiũ

Gen. 18

Luc. 5

Mat. 8

Iſa. 66

Chryſ.

quo

quo orare solebant, spectes; alij integras horas, alij integros dies, alij dies noctesq; alij integras hebdomadas, alij integros annos, alij etiam plures annos, alij denique

Dan. 6 per totã uitam orabant. Si frequentiã consideres, alij cum diu orare non possent, ter in die orarunt, alij septies, alij centies in die, & centies in nocte, alij tercenties. In alijs præterea alia orãdi studia animad-

Deut. 9 uerteres. In Moyse, & Antonio perseuerantiam; In Dauide, & Bartholomæo frequentiam; In Anna, & Elisabeth feruorem; In Tobia, & Petro affectum, quem lacrymis indicarunt; In Bernardo, & Francisco diligentiam. Denique, ut hunc concludam locum, id magnopere huius actionis dignitatem demonstrat, quod Christus Domi-

Luc. 6 nus in oratione pernoctabat, & per quadraginta dies, dum ieiunauit, soli orationi va-

Mat. 4 casse censendum est: immo, totum uitæ tempus in hanc unam rem contulisse affirmare possumus, cum per tres solos annos, & hoc temporis spacio, non semper, actuosæ uitæ operam dederit. Et quis non putet esse multo prestantissimam eam operationem, quæ animam mundat a peccatis, pœnas delet, negligentias sarcit, gratias impetrat, concupiscentias extinguit, animi motus comprimit, tentationes superat, hostes

prosterr-

prosternit,calamitates lenit, mœrorem re pellit, lętitiam affert,pacem conciliat, hominem in cœlum transfert,Angelorũ choris immiscet, & tandem cum Deo iungit? Valeant igitur humani congressus, humanæ familiaritates, & humana colloquia: quia, si cum hoc comparentur, nihil valẽt: quo colloquio, domesticoque cum summo rege vsu, miseri peccatores seipsos priuant, dum diuina spreta amicitia, cum seruis etiam vilissimis uersantur, & eorũ consuetudine delectantur; dum vel, de diuitiis cogitat, uel auctas contemplantur in arca, & saccis inhiant, vel dum eorum animus est in patinis,vel quouis alio pacto humana cogitatio circa infimas creaturas sordescit.

Vir iustus est gratiosus apud Deum, a quo quidquid petit,obtinet. Cap. LXXXII.

CVm vir iustus sit amicus, & familiaris Dei,atq; domestice,vt diximus, cum eo tractet,& omni obseruantiæ, ac cultus genere Deum veneretur; inde nascitur, vt apud Deum, gratia multum valeat, eique maxime gratus existat. Propterea Deus, nihil viri iusti causa non faceret, nihilque ei non concederet.Ideo,& petendi rationẽ, *Mat. 6*

&

Rom. 8 & quid petere deberet, eum docuit: quia etiam, in ipso, per Spiritum suum, ipse petit: et ad petendum excitat; & Dei Filius,
Ioan. 16. non petentibus dixit: Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis. Et vt sperarent, quod peterent, se consecuturos esse, rem iureiurando confirmauit. Amen amen dico vobis: si quid
Ioan. 14. petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quæ amplior potest esse promissio? cum dicat: quidquid: quæ certior, & securior, cum ipsa veritas promittat, & iureiurando confirmet? quæ gratior, cum tam efficaciter, tam amice ad petendum prouocet?
Iacob. 1. Alibi scriptura dicit: Si quis autem vestrũ indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Pondera verba. dat. omnibus. affluenter. non improperat. dabitur. At, quid potest esse iucundius? quid illustrius? quam ita gratia apud Deũ valere, vt quidquid ab eo obtinere velis, si recte postules, consecuturus sis: qua felici condicione, speciatim, vir iustus vtitur. Sed rem egregiam, & quæ virum hunc maximopere cõmendat, adhuc aliis diuinæ scripturæ con-
1. Ioan. 3. firmemus sententiis. Carissimi, ait Ioannes, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid pe-

tieri-

tierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Ex quo loco colligere licet, viros iustos priuatim hanc spẽ habere obtinendi a Deo, quidquid petierint: quia ait: si cor non reprehendit: & quoniam mandata seruamus: quæ verba in solos viros iustos cadunt. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et quis est is, qui delectatur in Domino, nisi vir iustus? Reuela Domino uiam tuã, *Psal. 36* & spera in eo, & ipse faciet: Qui replet in bonis desiderium tuum: hoc est, quodcunque desideras, tibi impertit bonum: Quoniam tu benedices iusto: idest gratias & *Psal. 102.* dona iusto concedes: Voluntatem timentium se faciet; & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. O miram Dei *Psa. 144.* erga homines iustos bonitatem! Dominus, seruorum uoluntatem exequitur! Dominus seruis obedit! Quam desiderarem huius loci uim, a legentibus considerari, atq; perpendi; in quo, maximum quid, latere videtur. Agnosce hic, pie lector, amicitiã, & familiaritatem inter Deum, & hominẽ. Quam felix cẽseretur is, qui ita apud principem, gratia, ualeret, vt quidquid ipse vellet, quidquid peteret Princeps faceret. Sed iam rem hãc aliquibus demonstremus

exem-

Gen 19 exemplis. Petiit Loth, & non est subuersa
Gen. 20 ciuitas: petiit Abraham, & Deus sanauit Abimelech, & vxorem, ancillasque eius: petente Moyse vincebat Israel, eodem non
Exo. 17
Jud. 15 petente uincebatur: petiit Samson, & ex
1 Reg 12. asini maxilla fluxit aqua: petiit Samuel, &
3. Reg. 17. facta est pluuia: petiit Elias, & excitatus est
18. puer: eodem petente cecidit ignis, qui ob
4. Reg. 1. impiorum preces non ceciderat: Petiit amicissimus ille Dei Iob pro stultitia amicorũ suorum, & Dominus faciem eius suscepit. Petentibus viris iustis, Deus ut eorum uoluntatem faciat, dat claudis gressum, surdis auditum, cæcis uisum, ægrotis sanitatẽ, mortuis vitam, & peccatoribus veniam. Obtinent denique quidquid uolunt uiri iusti a Deo: alias enim nõ esset uerum illud:
Ioan. 16 Petite, & accipietis. Ita iustorũ preces Deo existunt gratæ: ita eas libenter excipit, ut nolit iustos pro eis preces facere, quos gratia, quam iusti petunt, indignos esse nouit; ne eorum petitiones in uanum factæ uideãtur. Ideo cuidam Prophetæ, ne pro populo sua gratia indigno preces funderet, iussit. En igitur, quantum, uiri iusti, gratia, apud Deum ualeant. Sed, ut huius rei singulare exemplum ob oculos legentium ponam, breuiter historiam Ruth & Booz explanabo, si illud prius monuero, Booz personã

bene-

beneficentissimi Dei, & Ruth personam ui ri iusti, qui a Deo gratiis ornatur, repræsentare. Ruth itaque proficiscitur in agrum spicas collectura: Booz, primum, quænam sit inuestigat: deinde, ei inquit: Audi filia, ne in alienum agrum vadas ad colligendum: ut puellis suis se iungere uelit hortatur: & ne quis ei molestus sit, monet: iubet, ut si sitierit ad sarcinas accedat, & bibat aquas, de quibus pueri bibunt: atque sibi nuntiata fuisse, quæ socrui fecisset, & reliquisse parentes, & terram, ut ueniret ad populum quem nesciebat: eique bene precatur: quæ ait: Inueni gratiam apud oculos tuos Domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. Postea inuitat ad comedendum panem cum messoribus: comedit, saturata est, reliquias tulit. Præterea, messoribus præcepit, ne eā cum ipsis metere uolentem prohiberent, & ut de manipulis suis de industria remanere sinerent, ut sine rubore colligeret, & colligentem nemo corriperet. Insuper, Booz huic feminæ iussit, ut tādiu cum messoribus iungeretur, donec omnes segetes meterentur: quod iussum executa est. Iam uero, cum Ruth se lauasset, & unxisset, uestibusque ornasset, ad Booz dormientem Ruth. 2.

accessit: quam ipse benedixit, & quid eam facere oporteret, ut sibi eam in matrimonium copulare posset, docuit; iussitque ut pallium panderet, & mensus sex ordei modios, posuit super eam. Et denique, non cessauit, donec eam in matrimonio habuit: ex qua filios suscepit: ex quibus Saluator mundi Christus dominus originem duxit. En igitur illustrem figuram, in qua apertissime cernitur, quātum Deus amicis suis gratificari soleat, & qua prouidentia, ac liberalitate erga eos utatur, & quibus muneribus cumulet, & ornet. Et ne quis, ullo modo dubitare possit, quin quod petet, obtenturus sit, quid hac de re diuus Iacobus scripserit, diligenter attendat. Multum ualet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra fructum. Cum itaque Deus non sit personarū acceptator, omnes iustorum omnium preces, proculdubio exaudit, & omnes apud se gratia ualere uult, omnibusque se gratiosum ostendit. Pulsate igitur iusti, & uobis aperietur: petite, & uobis dabitur: orate, & quidquid uolueritis obtinebitis: quia lōge est Dominus ab impiis, & orationes iu-

Iac. 5

stõrum

storum exaudit. O Domine, quantum debet lætari in te iustus? cum desiderium cordis eius tribuas ei, & voluntate labiorum eius non defraudes eum, sed præuenias eũ in benedictionibus dulcedinis. Benedicat igitur iustus Deum, qui replet in bonis desiderium suum. De homine autem impio, quid dicemus? qui, cũ gratia careat, qua homines Deo grati sunt, quo modo apud Deum gratia ualere poterit? Quo fit, ut Deus ei dicat: Si multiplicaueris orationem, non exaudiam.

2. Mach. 9
Pro. 10.
Psa. 20.
Ps. 102
Isa. 1.

Viri iusti dona sunt Deo gratissima. Cap. LXXXIII.

SI huius mundi homines aliquem domi num cui inseruiant nacti fuerint, non modo accurato famulatu, sed etiã magnis muneribus, eius gratiam sibi comparare contendunt, & nihil sibi commodius, & optatius accidere posse putant, quam si sua munera, iis, quibus seruiunt, fuerint pergrata: quod, si adepti fuerint, gaudent, gestiunt, gloriãtur, ac secum præclare actum esse existimant. Et reuera, id est quid magnum, cum donans donante uideatur maior, & beatius sit dare, quam accipere; prę sertim, cum datum accipienti pergratum

Act. 20

existit. Quo fit, ut cum viri iusti dona sint Deo gratissima, maximam inde lętitiã, & gloriam iustus referat. Contemplare primum, Deum esse eum, qui bonorum nostrorum non eget: deinde, uide hominis imbecillitatem, humilitatem, mendicitatẽ, & vt ita dixerim, nihileitatem; cum Deo, nisi id, quod ab ipso accepit, dare nihil possit: postremo, cogita omnia, quæ in hac rerum vniuersitate continentur, esse ipsius Dei: Quia Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo. His diligenter cognitis atque perspectis; non miraberis, si uidebis hominem immortali, ac præpotẽti Deo aliquid offerre, quod ei sit apprime gratum, atque iucundum? Hoc tanto bono solus uir iustus gaudet; impius vero minime. Quod autem iustorum dona Deo sint grata, impiorum uero non item, ab ipso mundi exordio declaratum est. Si quidem legimus, Dominum respexisse ad Abel iustum, & ad munera eius: ad Cain impium, & ad ipsius munera non respexisse. Quę res, tanta est, ut hanc ob causam impius frater vehemẽter tristatus fuerit, & tanto odio in fratrem a quo se hac re superari uidebat, exarsit, ut eum neci tradere non dubitauerit. Huc facit etiam, quod cum Noe uir iustus sacri

Ps. 15

Psa. 23.

Gen. 4.

Gen. 8.

ficium

ficium Domino obtulisset; Dominus odoratus est odorem suauitatis. Qua re apertissime indicauit Dominus, quàm sibi grata fuerint, quæ uir iustus obtulerat holocausta. Quoties uiri illi iusti, sacrificiis, & oblationibus suis, Dei iram erga nefarios homines placarunt? quoties suis donis maxima a Deo beneficia obtinuerunt? Tantum, quæ a iustis offeruntur, Deo placent, ut herbarum decimas, pilos caprarum, potũ aquæ frigidæ libenter accipiat. Ad hęc, quã uiri iusti dona sint Deo cara, vel ex eo intelligeres, quod non modo minima quæq; accipit, uerum etiam cumulatissime remũ *Mat. 19.*
nerat; dum centuplum iis, qui aliquid pauperibus sua causa largiuntur, retribuit: quod, si quis diligenter animaduerteret, quod uolumus, apertissime demonstrare cognosceret. Quoniã, quanta fuerit accepti beneficij magnitudo, satis euidenter re *Pro. 19*
tributio declarat. Propterea, dicebat sapiẽs: fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: atque etiam monebat, ne quis ante Dominum uacuus appareret. Da Altissi- *Eccl. 35*
mo secundum datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarũ; quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. Tantum Deo, quæ ipsi bono oculo, id est recta intentione dan *Can. 4.*

 tur,

tur, placent; ut aliquando sponsæ suæ dixe rit: Vulnerasti me in uno oculorum tuorum: quando uidelicet recta intentione tuum mihi obtulisti munus. Sunt ergo uiri iusti dona ita Deo grata, ut cor eius vul nerent: quæ res est omnino cogitatione di
Eccl. 35 gna. Qui adorat Deum, inquit scriptura, in oblatione, suscipietur, & deprecatio illius vsque ad nubes penetrabit, & donec appropinquet non consolabitur, & non di scedet donec Altissimus aspiciat. Oblatio itaque iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu Altissimi. Sacrificiũ iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur Dominus. Ratio autem cur uiri iusti dona ita grata Deo accidant, ea est, quia, non tam quod donatur, quam animum donantis respicit: qui, etiam in quouis minimo potest esse maximus: cũ quisque, quod dat minimum, studio id maximo offerre possit. Auget etiam munus suũ uir iustus, dum uel se nihil dare intelligit, quia omnia quæ dat, eius, cui dat, esse cognoscit; vel quod eo animi impetu, quo da re deberet, se non dare animaduertit; angitque se, molestiamque capit maximam; cum ei a quo se omnia accepisse sentit, om nia, & de suis, & ea, qua vellet ratione, se red dere non posse videat: & ait. Quid retri-
Psa. 115 buam

buam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Si totum me debeo Deo, quia me, & omnia pro me fecit; quid eidem retribuam, quia me refecit, & sic refecit? Cum me, & omnia fecit, dixit, & facta sunt: at ut me reficeret, multa dixit, & fecit, & tulit: indigna uerba, duriora verbera, durissima supplicia. Et cum nihil aliud se habere sentiat, quod retribuat, nisi hoc, ut aliquid pro Dei gloria sufferat, Deũque laudibus celebret: ideo ait: Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo: quæ duæ potissimum oblationes, Deo placere solent: calix uidelicet tribulationum, & laudum sacrificium. Placet itaque speciatim Deo laudum munus, quo a uiro iusto exornatur. Laudat uir iustus Deum; & ad idem faciendum etiam alios excitat, dum dicit: Laudate pueri dominum, laudate nomen Domini: Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in seculum. *Psal. 112.* Conuocat etiam interdum creaturas omnes ad laudes diuinas celebrandas, & inquit: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula. *Dan. 3* Aliquando etiam seipsum ad hoc munus præstandum excitat; dum dicit: Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic *Psa. 102*

anima mea Dominũ, & noli obliuisci omnes retributiones eius, idest nullum Dei beneficium tibi e memoria effluat. Gratissima igitur iustorum munera, tanquam ab amicis, & familiaribus, & filijs oblata, Deo existunt; quæ aliquando immenso beatitudinis prçmio liberalissime remunerabit. At vero, impiorum dona Deo non placent:
Eccl.34 ideo legimus: Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorũ propitiabitur peccatis: Et propterea impio offerenti dicit: Quis quçsiuit hæc de manibus tuis sanguine plenis? cum
Isa.1 extenderis manus tuas auertam oculos a te: & cum multiplicaueris orationem non exaudiam: lauare, mundus esto: quiesce agere peruerse; disce benefacere: & alibi
Amos 5. dicitur impijs: Odi, proieci festiuitates uestras; & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocaustomata & munera vestra, non suscipiã, &c. Quod etiam laudes impiorum Deo nõ placeant, hac graui redargutione indica-
Psal.49 uit Deus, cum peccatori dixit: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Cur autem Deus impiorum oblationes renuat, hçc est prima causa; quia sunt eius inimici: inimicorum

rum autem dona nō solent accidere grāta, cum dantis animus, ab eo cui datur sit alienus. Altera causa est; quoniam solent, ut plurimum res imperfectas, & uitiatas Deo offerre: quod tamē ipse sua lege prohibuit. Iustus, contra, holocausta medullata cum incenso, & boues cum hircis offert. Itaque se totum per holocaustum corporis & animę, intellectus & voluntatis, bonorum inquam omnium internorum & externorū, Deo uouet, & ei reddit omnia, a quo omnia se accepisse intelligit: ut cum omnia in hac uita reddiderit, in alia, non modo omnia, sed & factorem omnium in æternum possideat. Quamobrem, si quis naturę humanæ imbecillitatem, & humilitatem, Dei uero potentiam, & maiestatem contemplaretur, non posset non uehementer admirari, cum uideret tantam maiestatem, tanti facere minima quæque dona, quæ a uiro iusto ipsi offeruntur. Quia, licet Deus is sit, qui bonorum nostrorum non eget: tamen, dona sibi a iustis offerri ita desiderat, & oblata, ita accipit, ac si egeret. Victimæ igitur impiorum abominabiles Domino: uota iustorum placabilia.

Psa. 65
Psalm.
Pro. 15.

Vir iustus est Sanctorum ciuis, cum sit cœlesti ciuitate donatus.

Cap. LXXXIV.

LAudauimus superius hunc hominē a rep. & ciuitate in qua natus, educatusque est: sed, cum alia ciuitate longe nobiliore donatus fuerit, ut ex hac noua dignitate eum laudemus, ratio a nobis exposcere uidetur. Magnum quid homines esse arbitrantur, si cuipiam dicere liceat: Nobilis Venetus sum: Patritius Romanus sum. Præclarę sane uoces, magnificæ appellationes, & illustres tituli. Maximas siquidem prærogatiuas & egregia priuilegia secum afferunt. Quos titulos, qui priuilegia & immunitates iustorum uirorum ignorant, maximis sumptibus, & laboribus sibi, ac posteris acquirere, ac conseruare conantur; & sæpenumero iactant, superbeque ostentant. O hominum inanitatem admirabilem! Nonne omnes homines ex humo humani, ex terra terreni, ex luto lutulenti, ex puluere puluerulenti, & ex mundo mundani? Cur nō omnes hoc auitum, & antiquum, ac uere nostrum ostentamus genus? sed uideamus qua nam ciuitate uir iustus sit donatus, ut demonstremus quantum homo iustus ex uilla oriundus, supe-

Gen. 1.

ret

ret impium in magnifica ciuitate natum. Impius qui se ciuem, uel patritium nobilis urbis esse gloriatur, si intelligeret se tanquam exulem in ualle lacrymarum uersari, & se a patria cœlesti ob uaria læsę maiestatis crimina esse depulsum, ac proinde se ad ciuitatem Babylonis, quæ est ciuitas Dęmonis pertinere, hanc suam profecto ostētationem deponeret. At uero uir iustus, cum a captiuitate Babylonica reuocatus, & cœlesti ciuitate donatus sit, merito gloriari potest, ac dicere: Ciuis sanctorum sum: Patritius cœlestis sum: cum iam sit de cœlo cœlestis, & in cœlo proximos suos, & fratres suos habeat. Ad hāc ciuitatem properat; cum hic non habeat ciuitatem manentem: ad quam conuersus, dicit: Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te: Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. In hac ciuitatē habet hæreditatem suam, & patrem suum; quem orando una cum fratribus suis sic alloquitur. Pater noster qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: da, videlicet nobis hęreditatē, quam filijs tuis promisisti. In hac ciuitate fuit ab æterno conceptus: ad quam ab exilio reuoca-

1. Cor. 6.
Eph. 2.
Psal. 121.
Neh. 13.
Clem. Alexandr. Libr. 6. str.
Psal. 86.

uocatus, remeat: cuius rei, cum sibi allatus fuit nuntius, in has prorupit voces: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem, &c. O quam vera sunt hæc! o quanta piorum mentes uoluptate perfunderent, si diligentius considerarentur! Loquatur itaque secum hunc in modum iustus. Ego oriūdus sum ex cœlo: Pater meus, & fratres mei sunt in cœlo: hęreditas mea est in cœlo: mundus, & terrestris ciuitas nihil ad me pertinēt: quid mea interest, ubi sim in mūdo, cum non sim de mundo? Sed iam apertum sacræ scripturæ huc pertinentem proferamus locum. Cum dixisset Paulus Ephesijs, eos prius fuisse filios irę, & alienos a cōuersatione Israel, & hospites testamētorū, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, & fuisse longe; & postea per Christum accessum habuisse ad Patrem, tandem sic conclusit. Ergo iam nō estis hospites, & aduenę; sed estis ciues sanctorum, & Domestici Dei. Præclaræ uoces: illustres tituli. Ciues sanctorum; Domestici Dei. Siste hic mihi baiulum quendam, sordidum terræ filium, Christiane tamen uiuentem, & iustum; & hominem, vtraque familia nobilem, & conspicuum; sed tamē impro-

Psal. 121.

Eph. 2.

improbum: & hosce ambos conferamus. Hic, gratia exempli, ciuis Romanus; ille cœlestis: hic nobilis in urbe terrena; ille in paradiso; hic ciuitate Babylonis donatus, ille Ierusalem cœlesti: hic in concilio hominum; ille in cœtu sanctorum numeratus est: hic priuilegijs humanis vtitur, ille immunitatibus, & prærogatiuis cœlestibus gaudet: huius nomen scriptum est in fragili charta, illius uero in mente diuina in libro uitæ. Confer itaque ciuitates, confer ciues, cõfer priuilegia, & uidebis, num baiulus bonus, an improbus patritius magis gloriari possit, ac laudari debeat. Hæc non solum sunt in ipsa cogitatione, sed in re: nõ solum mente comprehensa, sed in re sita: non solũ pie excogitata, sed vere acta. Vere uere uir iustus, est Sanctorum ciuis, & domesticus Dei: vere ipsius ciuitas est sancta Ierusalem, quæ sursum est; quę libera est; quę est iustorum mater. Sed videamus quæso, uter an baiulus, an is, qui se ciuem esse ait, sit uere ciuis, fingentes ambos in eadem ciuitate natos. Ciuis is est, ut a quibusdam recte dicitur, qui est uir bonus, & reip. utilis. Primum, si bonitatem spectemus, cum uir iniustus bonus non sit (nec hoc loco, rem humanis legibus perpendo) ciuis vtique non erit. Deinde, si utili-

Gal. 4.

vtilitatem consideremus, neminem in ciuitate inuenies, qui maiorem utilitatẽ quã uir iustus ciuitati afferat. Etenim, ipse im-
Psal. 121. petrat a Deo, quę ad pacem ciuitatis pertinent, nemini nocet, iustitiam defendit, leges seruat, quoscunque potest iuuat, vitę exemplo alios arguit, & docet, & denique pessime cum ciuitate ageretur, si uiris iustis esset orbata. Ad hæc, ciuitas ea est, in qua est ciuium unitas: vnitas non est nisi inter bonos: boni igitur ciuitatem conficient, & ciues erunt. Postremo, si nobilis is in aliqua urbe censetur, qui eam conseruauerit, adiuuerit, auxerit, factis illustrauerit, qui tandem de ea valde benemeritus fuerit; magis, mea quidem sententia, vir iustus humili loco natus, quam quiuis alius improbus ciuis, appellandus erit. Ponamus, ut quod sentio melius explicem, eo tempore, quo Sodoma libidine ardebat, fuisse in ea urbe multos patritios, & nobiles uiros, improbos tamen, & vnum Loth
Gen. 9. uirum iustum, fuisse ex plebe natum. Fuerunt ne illi boni ciues, & ciuitati utiles, propter quos ciuitas destructa est, an Loth? cuius similes, si plures inuenti fuissent, vtique incendio non fuisset exusta. Sunt ergo viri iusti uere ciues, cum sint boni, & rei publicæ vtiles. Nobiles autem, & iniusti,

sua

ſua auctoritate nixi ſuis operibus fulti, quas turbas in ciuitate non excitant? quas iniurias non inferunt? quos pauperes nō opprimunt? quos improbos non defendunt? Qui ſunt ergo qui ciuitatem turbãt? nobiles: Qui plebem concitant? nobiles: qui capitales inimicitias exercent? nobiles: Qui iuſtitiam peruertunt? improbi inquã nobiles. O nobilitatem ignobilem, ciuilitatem non ciuilem, & urbanitatem inurbanam! Nobilis Venetus ſum: Patritius Romanus ſum: ſi tamen bonus, & ciuitati utilis. At quanto præclarior atque illuſtrior eſt uox iſta: Ciuis cœleſtis ſum: quam, uere uir iuſtus uſurpare poteſt. Huic cœleſti ciui terreſtres cedãt ciues: huic inquã beatorũ ciui, mortalium ciues. Gaudete ergo & exultate iuſti, ciues Sãctorũ eſtis; Dominici, Franciſci, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Gregorij, patriarcharum, prophetarum, Apoſtolorũ, & denique innumerorũ martyrum, uirginum, & Angelorum omnium, quibus omnibus cari, gratique eſtis.

A militia Chriſtiana, in qua quotidie fortiter, & honeſte verſatur
Cap. LXXXV.

SEmper apud nationes omnes armorum tractatio honoratiſſima habita

eſt.

est. & qui sub aliquo illustri duce stipēdia fecerunt, semper plurimi facti sunt: pręsertim, cum suorum ducum vestigia sunt secuti. Ideo uir iustus, qui nouit uitam ho
minis esse militiam super terram, optimo,
Iob. & inuictissimo Imperatori Christo, nō ad bella carnalia, sed spiritalia, quæ sunt lon ge difficiliora gerenda, statim atque natus est, in baptismo, ne ullum sibi gloriæ genus deesset, nomen dedit, insignia Christianę militiæ accepit, & sacramento se suo Imperatori obligauit: & in confirmatione, vbi speciatim gratia ad pugnādum datur, fidem confirmauit. Quare, in hac militia, constitutus, strenue contra potentissimos hostes dies, nóctesque vbique depugnat; atque has præclarissimas voces vsurpare potest. Miles Christianus sum: Bella Dei gero. Iustus itaque vir, maximū Imperatorem sequens, difficilem pugnam pugnans, maximas victorias referens, maximas etiam meretur laudes: presertim, cū nullam sibi uictoriam adscribat, sed omnem suam gloriam Deo acceptam referat, & a Deo se armatum, & bellandi rationem
Psal. 17. edoctum fuisse fateatur, cum ait: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: præcinxisti me virtute: posuisti ut

arcum

arcum æreum brachia mea: disciplina tua ipsa me docebit: perfecisti pedes meos tãquam ceruorum: dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea: dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meę. Deus qui das mihi uindictas, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracũdis. &c. *Psal.* [illegible]
Arma autem quibus armatur, sunt fere ista. Lorica fidei & caritatis, galea salutis, gladius spiritus & uerbi, & scutum ueritatis: Quibus armis cum se munitum esse sentit; cum se a Deo instructum esse animaduertit, cum Deum sibi adstare cognoscit; audacter dicit: Prosequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non cõuertar donec deficient: confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos. Qnod si interdum ab inimicis se uergeri uidet, ac de uictoria timet, ad suum Imperatorem confugit, auxiliumque petit, & dicit: Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgũt aduersus me: Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius? Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Apprehende arma *1.Thes. 5.* *Psal. 17.* *Psal. 3.* *Psal. 34.*

&

& scutum, & exurge in adiutorium mihi, &c. & denique, cum diuino auxilio se ful
Psal. 3. tum esse cognoscit, ait: Non timebo millia populi circundantis me. Sequitur itaque hic gloriosus miles gloriosum ducem; & in militia Christiana, qua nulla unquam extitit prestantior, non uerbo tantum, sed re, & operibus, honeste, fortiterque uersatur. Audit, Imperatorem suum, ipsum
Luc. 9. ad bellum, hisce uerbis, uocantem: Siquis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: & ideo, tollit crucem suam cum Christo; portat eam cum Christo; cum Christo orat, cum Christo ieiunat; cum Christo maledi
Rom. 6. citur, cum Christo moritur, & cum eodẽ resurgit, ac de mundo, de carne, de Dę
Phil. 1. mone, & de morte triumphat; & tandem, cum eodem, mundum iudicabit. Impius uero sub imbecillo, & impotente duce, qui etiam a minima fœmella uincitur, meret; & dum meret, nil meretur; & si quid meretur æternas pœnas suorũ laborum præmia, meretur. Conspice mentis oculis, & una parte, Christum Imperatorem sceptrum crucis humeris suis gestantem, & iustum sua cruce, eum sequentem: ex altera vero Dęmonem Imperij mundani, ac uanę uoluptatis spe, impium ad se uocan

tem

tem, & impium ſequentem: & ubi hæc mente uideris; confer bellandi cauſas: unus pro honore Dei contra diabolum; alter pro honore diaboli contra Deum pugnat: unus pro uirtutibus contra uitia; alter pro uitijs contra uirtutem: unus pro honore, gloria, & uita; alter contra honorem, gloriam, & uitam. Confer euentus: unus pugnãdo vincit omnia; alter pugnando uincitur ab omnibus: unus pugnando æterna bona acquirit; alter æternas ſibi pœnas comparat, alter dum pugnat, ſe, ſuaque omnia bona ſeruat; alter ſe ſuaque omnia bona perdit. O ſingularem impiorum dementiam! ſiquidem pro inimico, contra amicos & benemeritos pugnant; & aduerſus ipſum parentem Deum, tanquam theomachi, arma capiũt: ſpicula in ſeipſos conuertunt, ſeque confodiunt ipſos: in miſera, & calamitoſa pugna ſummis laboribus ſeipſos expugnant; perennem hoſtem ſumma lętitia afficiunt, dum pro illius regno, contra Dei regnum, ſeipſos perimunt. Concludamus igitur felicem, immo feliciſſimam eſſe uiri iuſti cõdicionem, & glorioſſimam prouinciam, honoratiſſimamq; militiam, omni laude, gloria, & monumentis dignam: quia, in omnibus ſe fortem Chriſti militem exhi- *2. Cor. 6.*

bet, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu Santo, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiæ a dextris, & a sinistris, &c. Posses etiam, hoc loco, eundem hominem, tanquam Christi discipulum, a genere doctrinæ, a modo quo docetur, a præceptore, & a schola in qua docetur, laudare; & impium ex locis contrarijs, vituperare, in qua re explicanda immorari nolo.

Vir iustus est Dei filius, & æterni regni heres. Cap. LXXXVI.

Reg. 18. NVm parum videtur vobis, dixit aliquando Dauid, generum esse Regis? si id parum videri non debet; nec etiam parum videri deberet, si quis filius Regis esset; & multo minus, si quis Regis regum fieri posset, aut iam esset filius: quorum, primum, proponitur omnibus; quia Deus omnibus hominibus hanc potestatem dedit; alterum uero, solum iustis concessum est. Itaque, vir iustus, non modo miles Christi, ciuis sanctorum, amicus, ac domesti-

Ioan. 1.

mesticus Dei est, sed etiam per adoptioné, filius Dei euasit: quo nihil maius ab immortali Deo, viris iustis dari sane potuit, quam, ut filij ipsius nominentur, & sint. 1. Io. 3.
Quis arrogantiam eius quem Cæsar in filium adoptasset, ferret? quis ei non inuideret? quis eius fortunam non admiraretur? quis eum non obseruaret? quis eius gratiam inire non contenderet? Vir iustus Regis regum filius factus, tantamque celsitudinem nactus, honesta quadã superbia non se effert? suam dignitaté nó agnoscet? &, qui id nouerint, non mirabuntur? hanc ei dignitatem, bona quadam inuidia, non inuidebunt? eum non obseruabunt ac in eius gratiam, se non insinuabunt? cum pater huic filio dicat; Fili, tu semper mecum Luc. 15.
es, & omnia mea tua sunt: de quo Deus priuata quadam ratione dicere potest: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cóplacui. Statue mihi, hoc loco, aliquem iustum, & ex me interroga, quis nam ipse sit; & tibi respondebo. Interroga igitur: Quis est iste? Filius Dei. Cuius est cohæres? Christi. Quæ est eius hęreditas? æterna uita. Quid est æterna uita? omne bonum; Deus ipse. Habebit ergo ius ad possidendum omne bonum, & Deum ipsum? Ita sane, Deus enim est hæreditas eius, & Exo. 35.

pars eius. Quo tendit? ad capiendam hære ditatem æternam, sibi ab æterno Patre, ab omni æternitate paratam. Ergo iste, quem nunc sordidum, infirmum, egentem, mi serum, & iacentem uideo, aliquando cum Christo regnabit? ergo ad Dei dexteram aliquando sedebit? ita profectò. Quis hoc loco admiratione non afficiatur maxima? quis non exclamet? o magnam præpotentis Dei erga homines benignitatem! o clementiam! Tantus tantillum, tanti fecit, ut in filium sibi adsciuerit; & regno dona uerit. Quid? quod non satis fuit Deo hominem in filium adoptare; sed, ut id ipse efficere posset, facultatem ei tribuit. Dedit enim potestatem filios Dei fieri his, qui cre dunt in nomine eius: quæ res est omnino consideratione digna. Quid non facerent homines, vt Cæsaris filii euaderent, si qua ad id efficiendum eius data esset facultas? quanti ab eis ista potestas fieret? quis ea nõ uteretur? Habebunt, potestatem, qua Dei filij fieri poterunt, & ea non utentur? & flocci facient? Est ne hoc quippiã inane, aut fictum? nequaquam: sed, est ita magnum, quam quod maximum; & ita certum, quam quod certissimum. Res est diuina: assertor est ipse Deus, qui est ueritas ipsa. Nostra nostra est culpa; quia rem

Heb. 9.

Ioan. 1.

non perpendimus,ut ille, qui hoc conside-rans, in has prorupit voces: Videte qualē caritatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus: Carissimi, nunc filij Dei sumus. Verum, cum tantæ rei magnitudine uincar; cum qua ratione rem tantam explicem, ignorem, concludo, uirum iustum esse Dei filium, atque ad hæreditatem æternam vere ius habere: impios autem esse Diaboli filios, de quibus legitur: Vos ex diabolo estis; cum eo careant spiritu in quo clamatur, Abba, Pater: quo, qui agitur, filius Dei est; eodemque testimonium redditur, quempiam Dei filium esse.

1. Ioan. 3. — 1. Ioa. 8. — Rom. 8.

Vir iustus est in Deo, & in Christo, & Deus, & Christus, in viro iusto.
Cap. LXXXVII.

SI quis interdū secum illa diuinæ scripturæ verba animo tractaret, ac diligenter perpenderet, quibus dicitur: Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo; nihil maius, nihil admirabilius, nihil diuinius, viro iusto, in hoc mundo esse, existimaret. Etenim, quid maius esse potest, quam hominem esse in Deo? quid admirabilius, quam Deum esse in homine? quid diuinius, quam

1. Ioa. 4.

quod Deus & homo efficiantur unus ſpiri-
1.Cor.6. tus? qui autem adhęret Domino, inquit
Io.4. Ia.3. ſcriptura, vnus ſpiritus eſt: & Deus ſpiri-
Io. 17. tus eſt: & qui natus eſt ex ſpiritu, ſpiritus
eſt. Huc pertinent illa Domini verba: Ego
in eis, & tu in me. Si igitur Filius eſt in iu
ſtis, & Pater eſt in Filio; vterque erit in iu
ſtis: quod clare his uerbis expoſuit Ioãnes.
1.Io.2. Vos, & in Filio & in Patre manebitis: At
vbi eſt Pater & Filius, eſt etiã Spiritus ſan-
ctus. Itaque omnes tres diuinæ perſonæ,
& tota Trinitas, in iuſtis erit. Pater per potẽ
tiam, Filius per ſapientiam, Spiritus ſan-
ctus per bonitatem. Pater memoriam fœ-
cundat; Filius intellectum illuminat; Spi-
ritus ſanctus voluntatem recte diſponit.
Quo fit, vt per tres diuinas perſonas, tres
animi viri iuſti partes recte conſtituantur,
& Trinitatis imago, & ſimilitudo in ipſo
inſtaurentur: quibus inſtauratis, vir iuſtus,
memoria, Deum recolit; intellectu, con-
templatur, voluntate, amat: & ita recolen-
do, cognoſcendo, & amando in Deo, &
in diuinis perſonis, per memoriam, co-
gnitionem, & amorem exiſtit: Tota igitur
Trinitas erit in toto iuſto, & totus iuſtus
in tota trinitate erit: & cum omnes iuſti
ſint in vno, ipſi quoq; inter ſe erunt vnum.
Ioan. 17. Claritatem, dicebat Filius Patri, quam tu
dediſti

dedisti mihi, dedi eis; vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me; vt sint consummati in vnum. Solet, inquit, quidam sanctus pater, Saluator noster, bona, quæ sibi naturaliter insunt, proponere, & ad similitudinem hortari nos; vt ad diuinam sic imaginem, ad quam facti sumus, nos reformaret. quare, oẽs iusti erũt vnum, & in vno oẽs, & oẽs in oĩbus. Est præterea, vir iustus, vt iustitiæ auctor Christus dixit, tanquam palmes in vite, in eo videlicet, qui est vita, in Christo domino; a quo vitam recipit, cuius auxilio multum fructum affert. Propterea dicebat apostolus, iustos esse conuiuificatos cum Christo, & vitam suam habere absconditam in Christo, & in eorum carne, vitam Iesu manifestari. Ex quibus colligitur, virum iustum posse cum Paulo dicere: Viuo autem, iam non ego, uiuit vero in me Christus: quo, quid optatius? quid vtilius? quid felicius homini contingere potest? Impius autem, vel est palmes a vite abscissus; vel si est in uite, est arefactus, ac propterea vitam a uiua uite non recipit. Demus quæso rationem his palmitibus; sicco nimirum, & virenti. Virens de se huncin modum uere diceret. Ego palmes viuus; ego uiti conuiuificatus; ego a uite uitam haurio; ego uitem exor-

Cyril. Ioan. 15. Rom. 8. Ephe. 2. Col. 3. 2. Cor. 4. Gal. 2.

no; ego agricolam lætifico; ego frondesco, floresco, & fructus æternæ uitæ dignos fero: siccus autem, hæc de se enunciaret: Ego palmes siccus, uiti non conuiuificatus; ego a uite uitam non capio; ego uitem nõ exorno; ego agricolam non lætifico; ego nec frondes, nec flores, nec fructus affero; sed cum aridus sim, ignis me manet æternus. Pone tibi, o amice lector, hos duos palmites ob oculos, & quid inter utrunque sit discriminis, diligenter perpende. Hunc totum locũ, quem paucis complexus sum, cum nõ tam uerbis amplificandus, quam animo diligenter tractandus sit, pluribus non prosequar. Sentio, in sententiis ex scriptura allatis uim esse maximam; quam ipse non compræhendo; admiror tamen. Etenim, quid potest esse admirabilius, quam hominem iustum habere uitã suam absconditam in Christo, esse conuiuificatum cum Christo; pendere a Christo, esse in Christo, manere in Deo, esse in Deo, & denique unum spiritum fieri cum Deo?

Vir iustus, in hoc mundo, longam vitam vivit. *Cap.* LXXXVIII.

ET si ea, quam homines in hoc mundo uiuunt uita, sit curarum, & miseria-

rum plena; ut potius mors, quam uita appellanda sit: tamen, minus prudentes homines, ita in ea acquiescunt, eaque delectantur, ut omnem curam, omneque studium huc conferant, ut quam longissime uiuant, & eos beatos putent, qui diutius uixerint. Quare, genus quoddam felicitatis existimatur, siquis nestorios uixerit annos. At uero sapientes, exclamant: o uita, non uita, sed miseria! Illud autem exploratum omnibus esse debet, eam non esse uitam, quam is uiuit, qui male uiuit: cum eas operationes non exerceat, quæ a uita manant, cuiusmodi sunt actiones naturæ congruentes: in quo genere, uitia reponi minime possunt. Quare, qui recte uiuunt, diu uiuere, censendi, & vere beati appellandi sunt. Has ambas longas uiuendi rationes in uiro iusto reperiri, paucis demonstrabo. Et primum, si de longitudine uitæ corporis loqui uelimus, in ueteri lege populus ille, iustorum typus promissione longioris uitæ ad mandatorum custodiam sæpe excitabatur: Custodi præcepta eius, atque mandata, ait Moyses, quæ ego præcipio tibi; ut bene sit tibi, & filijs tuis post te, & permaneas multo tempore super terram. Honora patrem tuum, & matrem tuam, sicut præcepit tibi dominus Deus Deut. 4. Deut. 5.

tuus

tuus,ut longo uiuas tempore,& bene sit tibi in terra &c. Quæ promissio, non solum de uita animæ, sed etiam de uita corporis intelligenda est. Quia licet hæc corporis uita, si sola consideretur, non magni facienda sit: tamen,si quis animaduerteret,quantum, dum ea frui licet, promereri posset, unius horæ concessum tempus, pro maximo beneficio haberetur. Vt merito cuidam sanctæ fœminæ per reuelationem dictum fuerit: Si homo sciret, quanta etiam una die promereri posset; mox,ut a somno uigilaret, tanto gaudio os eius dilataretur, pro eo quod dies illa illuxit, in qua Deo uiuere, & suum meritum ad eius laudem augere posset, quod tota die ad omnia quę agere, aut pati deberet, alacrior,& fortior redderetur. Non est itaque mirum,si Deus custodientibus legem suam longam pollicetur uitam; qua, qui recte utitur, maiorem beatitudinem, ad magis Deum laudandum,acquirit. Ideo de uiro iusto scriptum legimus: longitudine dierũ replebo eum. Et sapiens, cum dixisset, nihil melius esse, quam timere Deum, & nihil dulcius, quã respicere in mandatis Domini, & gloriam magnam esse sequi Dominum, hæc adiecit uerba: Longitudo dierum assumetur ab eo: & alibi: Vita uiri in numero dierum:

Methil.

Psal.9.

Eccl.23

Eccl.37

dies

dies autem Israel innumerabiles: & alio loco, timenti Deum, dictum est: Per me *Pro.9.* enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni uitæ: & nihil proderunt thesauri iniquitatis; iustitia uero liberabit a morte: a qua liberatus fuit rex Ezechias, *Pro.10.* qui suam iniustitiam considerans, dixit: *11.* Vadam ad portas inferi, hoc est moriar: sed cum eius peccata post suum tergum Deum proiecisse intellexisset, conclusit: Viuens uiuens confitebitur tibi; hoc est, *Isa.38.* omnes uiuẽtes te: laudibus celebrabunt, ut ego hodie. Est itaque timor Domini fons uitę: ut declinet a ruina mortis. Et quoties *Pro.14.* Deus homines, quos ob ipsorum iniustitiam uita priuare uolebat, ob adeptam iustitiam conseruauit in uita? quod, multis ut ostendam exemplis, nihil est necesse; cũ id quotidie fieri cernamus. Erit igitur iustitia lõgioris uitæ causa. Adhæc: quis est homo, inquit Dauid, qui uult uitam, & diligit, idest cupit dies uidere bonos? idest *Psa.33.* feliciter uiuere: prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum, &c. quæ omnia, cum iustus faciat, uitam proculdubio longam, & perbeatã uiuet. Quid igitur est, quod a morte liberat? iustitia: quid uitam longam tribuit? iustitia: quid dies facit uidere bonos? iustitia: O uitæ

con-

conferuatrix, & auctrix, uoluptatisq; effectrix iustitia! tu a morbo custodis, tu ægritudines repellis; tu sanitatem restituis: tu uitam beatam reddis. O antidotum optimum, pharmacum singulare, medicamentum efficax! Quia sine sumptu sanas, sine sectione liberas, sine amaritudine purgas: tibi nulla febris, nulla pestis, nulla denique uis morbi resistit; sed omnes etiam grauissimas ægritudines sanas. Quod si interdũ uidemus aliquem uirum iustum immatura morte ex hac uita reuocari; id, non sine misericordia diuina fieri existimare, ac cũ
Sap. 4. sapiente dicere debemus: Placens Deo factus dilectus, & uiuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Posset, si quis uellet, longioris uitæ iusti causas naturales reddere. Quia, qui iuste uiuit, digerendi uim crapula, non obruit; corporis uires ebrietate non debilitat; rem veneream sexcentorum morborum causam, uitat; rixis, & contentionibus sibi mortem nõ procurat; varijs, ac grauibus curis non excruciatur. & denique mille alios modos, quibus, qui male viuunt, sibi mortem comparant, euitat. Ideo uidemus uiros religiosos, & speciatim eos, qui vitam solitariam degunt, diu

diu viuere, & in bona senectute ab hac uita recedere. Censendum est deinde, utrum iustum diu uiuere; quia ipsius uita, est uere uita: quoniam, cum uitam gratiæ uiuat, opera uiua, & æterna uita digna exercet; & ex paruo unius horæ tempore, plus utilitatis refert, quam impius ex toto uitæ suæ cursu etiam longissimo, deportat: ut unius diei uiri iusti, quam unius impij multorum annorum uita longior censenda sit. Sicuti, longior putanda est uita hominis unius diei, quam uita centũ annorum corui. Huc facit hæc luculenta diuinæ scripturæ auctoritas: Cõdemnat autem iustus mortuus, viuos impios, & iuuentus celerius consummata, longam uitam iniusti. Sap. 4

Impij autem, cum sint indigni uita, cur debent diutius uiuere? & ideo maligni exterminabuntur: tanquam fœnum arescent: & quemadmodum olera herbarum cito decident. & disperibunt, & simul reliquiæ ipsorum interibunt. At iusti, & mansueti hæreditabunt terram, & habitabunt in sæculum sęculi super eam. Postremo, ideo uir iustus diu in hac uita uiuere solet, quia, si id a Deo uitæ auctore petat, proculdubio obtinet: de quo scriptum est: Vitam petiit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sęculi. Psa. 36 Psa. 36 Psa. 20

Vir

Vir iustus fœcundam, & bonam prolem habet. Cap. LXXXIX.

SOlent, qui de humana felicitate disputant, diligenter quærere; an fortuna tã prospera, quam aduersa filiorum, & posteritatis aliquo modo parentes attingat; & statuere uidentur, aliqua ratione ad eos pertinere: vt feliciores ij cẽseantur, qui & filios, & nepotes, pronepotesque bonos habent, habuerintue. Qua felicitate, ut ipsa nos docet scriptura, uir iustus priuandus non est. Huc, in primis facit, is Dauidis locus: Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut nouellę oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce, sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion; & videas bona Ierusalem omnibus diebus uitæ tuæ: & uídeas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Et alibi: Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus uentris: Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum: hoc est, ut se habent iacula in manu uiri fortis, ita se habent filii ad eos; qui sunt excussi, idest a captiuitate babylõnica liberati, uel, qui sunt ad prælia spiritualia expediti: quibus filiis, qui abundat, non timet inimicos in porta: hoc est, in iudicio

Psal. 127. *Psa. 126*

dicio,& loco publico. Hanc gratiam de bo
na prole, sępe Deus antiquis patribus pol
licitus est, eosque hoc dono affecit: ut de
Abraham, Isaac, Iacob, & aliis, ex diuina *Ps 112*
historia constat: & sæpe, steriles in domo *1.Reg.1*
habitare fecit: hoc est, eas fœcundas red-
didit. Ideo, de iustis legimus: Omnes isti *Eccl 44*
in generationibus gentis suæ gloriam ade-
pti sunt, & in diebus suis habentur in lau-
dibus. Qui de illis nati sunt reliquerunt
nomen narrandi laudes eorum: & sunt
quorum non est memoria: perierunt, quasi
qui non fuerint, & nati sunt, quasi non na-
ti, & filij ipsorum cum ipsis. Sed illi uiri mi
sericordię sunt, quorum pietates nō defue-
runt: cum semine eorum permanebunt bo
na, hæreditas sancta nepotes eorum; & in
testamentis stetit semen eorum, & filij eorũ
propter illos usque in æternum manent:
semen eorum, & gloria eorum non derelin
quetur. Hic locus ita luculenter, quod uolu
mus nobis demonstrat, ut nihil apertius di
ci possit. Potens itaque in terra erit semen *Psal. 111.*
iusti, & generatio rectorum benedicetur: &
semen honorabitur hoc, quod timet Deũ:
Semen autem hoc exhonorabitur, quod
præterit mandata Domini. O quam pul- *Eccl. 10*
chra est casta generatio cum claritate! im- *Sap. 4*
mortalis est enim gloria illius: quoniam

&

& apud Deum nota eſt, & apud homines.
Et ideo Iob uir iuſtus, non modo propter
Iob. ult. ſuam iuſtitiam recepit duplicia, ſed etiam
filios, & filias: & non ſunt inuentę mulie-
res ſpecioſæ, ſicut filiæ Iob, in uniuerſa ter
ra: & poſt hæc uixit centum, & quadragin
ta annis, & uidit filios ſuos, & filios filiorũ
ſuorum uſque ad quartam generationem,
& mortuus eſt ſenex, & plenus dierum.
Pſal. 36. Tota itaque die iuſtus miſeretur, & commo
dat: & ſemen illius in benedictione erit, id
eſt, omnibus bonis locupletabitur. Vbi er
go ſunt, qui multos filios, qui fęlicem po-
ſteritatem, cupiunt? ament iuſtitiam, & fi-
lios multos, eoſque felices habebunt.
Qua felicitate non utuntur impij: quia, ut
ſcriptum eſt, nepotes impiorum non mul-
Eccl. 41. 44. tiplicabunt ramos ſuos: filiorum peccato
rum peribit hęreditas: & cum ſemine illo
rum aſſiduitas opprobrij: de patre impio
queruntur filij, quoniam propter illum
Sap. 3 ſunt in opprobrio. Mulieres eorum inſen-
ſatæ ſunt, & nequiſſimi filij, eorum: maledi
cta creatura eorum, &c. Quod ſi in tempo-
Sap. 4 re germinare uidentur, a nimietate uento-
rum eradicabuntur. Confringentur enim
rami inconſummati, & fructus illorum inu
tiles, & acerbi ad manducandum; ad nihi-
Iob. 18 lum apti, &c. Non erit ergo ſemen eius,
neque

neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus eius; semen tandem impiorum peribit: at generatio rectorum benedicetur; & hæreditas eorum in æternum erit. *Psa. 36*

Vir iustus est omni ex parte beatus; quia in ipso omnis beatitudinis ratio reperitur. Cap. LXXXX.

MAxima semper inter eos, qui de moribus scripserunt, de humana felicitate extitit concertatio: & cum quid tenendum esset non satis exploratum haberent, varij in uarias abiere sententias. Alij nanque in diuitiis, alij in robore & pulchritudine corporis, alij in honore & fama, alij in potestate & regno, alij in vacuitate doloris, alij in uoluptate, alii in scientia, alii in uirtute, alii denique in aliis rebus positam esse existimarunt. Hanc quæstionem, si de beatitudine, quæ in hac uita haberi potest, loquamur, de qua hoc loco speciatim loqui uolumus, regius propheta psalmo primo, de finibus bonorum & malorum agẽs, mihi enucleasse uidetur, cum cecinit: Beatus uir, qui non abiit in consilio impiorũ, *Psa. 1.* idest, qui ab improborum consortio & sententia, recessit: & in uia peccatorum non

ſtetit, ideſt, qui peccantium ueſtigia non eſt ſecutus, nec in peccato, perſeuerauit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ideſt aliosfalſam & peſtiferam doctrinam, quaſi magiſter, palam turpiter uiuendo, non docuit. Sed in lege Domini uoluntas eius: & in lege eius meditabitur die, ac nocte: hoc eſt, Dei mandata contemplando perpetuo exequetur, & exequendo contemplabitur. Is ergo beatus erit, qui, ut breui dicam, a malo recedet, & legi diuinæ vacando, ex ea uiuet. At quis eſt iſte, qui omnia quę diximus efficit, niſi uir iuſtus? qui neminem in errores ducit; ſed potius dictis, & factis omnes ad bene agendum impellit: qui a uia mala recedens, per uiam uirtutis graditur, & ad eam alios inuitat, ſeque aliis ducem præbet: qui a conſortio, & ſententia impiorum abſtinet: qui denique legem

Pſa. 118. Dei perpetuo meditatur, & ſcrutatur, in ea que ſe exercet: cuius ſuauitatem guſtat, &

Pſa 18 exclamat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti.

Pſalm. 1. Quo fit, ut Deus uiri iuſti uiam, ideſt mores & operationes cognoſcat, & approbet; qua in re, poſita eſt hominis beatitudo. At quoniam impius omnia contra agit, Deus uiam ipſius, ſtudia uidelicet & opera, per-

det.

det. Ideo Dauid cum propositam de finibus bonorum & malorum quæstionem sol uisset, concludens, dixit: Quoniam nouit Dominus uiam iustorum: & iter impiorũ peribit. Christus etiam, suam doctrinam, *Mat. 5.* ab hac quæstione de beatitudine exorsus est, & multas beatitudinis partes numerauit, quas omnes in uiro iusto reperire licet. Est ergo iustus, beatus, quia est pauper spiritu; cum diuitiis cor non apponat, & parũ *Psal. 61.* de se sentiat: quia luget, cum sua & aliena peccata defleat, & dicat: quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei: quia *Ier. 9.* est mitis, cum irasci, & commoueri ne- *Mat. 5.* sciat: quia esurit & sitit iustitiam, cum ardenter iustitiam appetat; cum nihil iniuste agat, & charismata meliora æmuletur: quia est misericors; cum in omnes existat *1. Cor. 12* beneficus, & omnium cõmiserescat: quia *Isa. 61.* est mundo corde, cum nihil impurum animo tractet: quia pacificus; cum & in se pa *Psa. 24.* cem habeat, & alios ad pacem amplectendam adhortetur: quia persecutiones pati *1. Pet. 3.* tur propter iustitiam; cum nullis pœnis, nullis suplicijs a iustitia se diuelli sinat. *Psa. 118.* Beatus est pręterea uir iustus; quia est im- *31. 11.* maculatus in uia: quia eius iniquitates re *111. 40.*
 missæ

missę sunt, & peccata tecta: quia a Deo
Luc. 7. eruditur: quia timet Dominum: quia in-
Pro. 3. telligit super egenum, & pauperem: quia
28. 29. non scandalizatur: quia inuenit sapientiā,
& tenet eam: quia legem custodit, & sem
per est pauidus, & uigilanter Dominum ex
pectat: & alias sexcentas enumerares bea
titudines, quę in scripturis leguntur, quas
in hoc viro reperires. Postremo, si cum sa
pientia humana, beatitudinem in diuitijs
ponas; diuitiæ, ut diximus, sunt in domo
iusti: Si in fortitudine & pulcritudine; for
Psal. 111. tissimus, omnipotens, & formosissimus
existit: Si in honore & fama; gloria est in
domo iusti; & valde honorificati sunt ami
ci Dei: Si in potestate, est dominus, Rex,
Psal. 138. & Monarcha: Si in indolentia, dolore ca-
ret: Si in voluptate, semper gaudet, & nō
Phil. 4. contristat iustum quidqd acciderit: Si in
scientia & sapientia; est vera scientia, &
sapientia prędictus: Si denique in virtu-
te, est omni uirtutum genere ornatus;
Denique cum virtutes sint per se honestę
utiles, ac delectabiles, nullum erit bonum,
quo iustus non perfruatur. Quis ergo ui-
ro iusto felicior? cum omnes beatitudi-
nes possideat, & in se omnes beatitudinis
rationes habeat? At cum de impio omnia
contraria assirmare liceat, nemo erit ipso
infe-

infelicior: cum omni uirtute, sapientia, uera delectatione, pace, honore, potestate, & demum omni bono spoliatus sit.

Viro iusto mors non est timenda, nec eam timet Cap. LXXXI.

IN his quæ viri iusti statum perquam felicem reddunt, id etiam ponendum esse arbitror; quod mortem, qua nihil horribilius esse dicitur, non timet; aut si timet, cum ratione timet; immo, eo interdũ venit, ut eam vehementer cupiat. Impius uero, sola hac uoce (mors) audita, pauet, & contremiscit: cum mors ea omnia, quæ hic possidet commoda ei ademptura sit; & nihil de futuris bonis speret; immo potius, desperet. Quod si qui impij nil mortem timent, est apertissimum dementiæ, & summæ improbitatis argumentum. Quare, ut sentio, qui mortem aliqua ratione non formidat; uel iam in profundũ peccatorum uenit, ac proinde contemnit; *Pro. 18.* uel aliquam iustitiæ perfectionem cõsecutus est. Iustus itaque solus mortem non timet, nec timere debet; immo desiderat, & ei desideranda est; cum prudens, sapiens, atque fortis existat. Quid iustus mortem timeat? cum nihil aliud sit, quã transitus a

corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquilitatem, a pugna ad triumphũ; a sudore ad præmium, a breui vita ad æternam uitam. Quid iustus mortem timeat? cum sciat hanc esse naturæ condicionem, se hac lege huc intrasse, & id se quotidie agere. Sol occumbit, Luna deficit, flores decidunt, arbores arescunt, niues liquescunt, fontes deficiunt, omnia denique nata cadunt. Quid iustus mortem timeat? cum sciat, eam omnibus esse communẽ? siquidem omnes moriũtur, & ueluti aqua dilabuntur: senes & iuuenes, mali & boni, pauperes, & diuites: quia mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres. Nec desiderat iustus suam condicionem mliorem esse, quam patris, & matris suæ, Christi uidelicet, & beatę Virginis, ex quibus vnus est Filius Dei, altera Mater, & tamen mortem degustarunt. Quid uir iustus mortẽ timeat? cum Christus ei pręcipiat, vt sorores, fratres, uxorem, filios, parentes, mundum denique totum, & seipsum, relinquat. Quid uir iustus mortem timeat? cum tanquam seruus a domino, ex diuersorio domum, tanquam miles a rege, a statione in regiam; tãquam operarius a patrefamilias ex agro

2. Reg. 14.

Mar. 10.

1. Ioa. 2.

Gal. 3.

in

in urbem reuocetur. Quid iustus mortem quę est discessus a mundo timeat? cũ odio sit mundo, cum mundus ipsi sit crucifixus, & ipse mundo? Quid demum iustus mortem timeat? quę ab instantibus malis eripit, a futuris liberat, ad portum perducit, longę peregrinationi finem imponit, a laborioso exilio in patriam, reuocat, a carcere, & vinculis soluit, a periculosissimo bello inter carnem & spiritum liberat, & tandem ad perfruendas voluptates nunquam desituras ĩ æterna tabernacula introducit. Quæ, dum vir iustus contemplatur, in quibus dum cogitatione versatur, in has prorumpit uoces: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Et cur? quia melior est una dies in atrijs tuis, super millia in hac videlicet misera lacrymarnm valle. Cum ergo vir iustus beatitudinem desideret, ad quam per mortem, veluti per ianuam transitur, cur mortem timebit? aut potius, cur non desiderabit? quam sępe desiderare exẽplis multis demõstrare possumus. Educ, dicebat Dauid, de custudia animam meam, ad confitendũ nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi: cuius desiderij duas reddit causas: alteram, vt Deum in cœlis cum

Psal. 38. *Phil. 3.* *Heb. 13.* *Psal. 123.* *Psal. 83.* *Psal. 141.*

beatis laudare queat: alteram, quia, sui ci
Psal. 119. ues, eum expectant: & alibi. Hei mihi;
quia in colatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Zedar: multum incola fuit anima mea. Item alibi: Que-
Psal. 41. madmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita anima mea ad te Deus. Pau
Phil. 1. lus cupiebat dissolui, & esse cum Christo:
3. Reg. 19. & mori, lucrum existimabat. Et alius: suf
Ionę. 4. ficit mihi Domine, tolle animam meam.
Tob. 1. & Ionas: Domine tolle quęso animã mem a me: quia melior est mihi mors quam uita. Idem petiit uir iustus Tobias. Siluanus episcopus diuo Hieronymo petenti, quid a se uellet, respondit: se uelle e uita migrare; & subsecutus est effectus. Columbanus monachus orauit Abbatem, ne suis precipus exitum ex corpore impediret. Desiderat ergo uir iustus ex lutea domo in domum Domini ire; ex obscuro carcere in aulam regiam proficisci; & extra corporis ergastulum in amplissimis paradisi campis peruagari. Impius autem, ut dicebamus, cum hanc vocem (mors) audit, timet expauescit, contremiscit: ut eius causa ex-
Eccl. 41. clamare liceat: O mors, quam amara est memoria tua homini pacẽ habenti in substantijs suis! Et cur non timeat; qui multorum peccatorum sentit se esse reum? &

cur

cur non timeat, qui sententiam de æterna damnatione expectat? & cur non timeat, qui nihil sperat? Soli igitur iusti hac prærogatiua gaudent, quam ego existimo maximam, ut mortem non timeant. Felix, dixit quidam, & terque quaterque beatus; qui cum Hilarione dicere potest: Mortem nõ timeo, quia mori sum paratus. Etenim, quid potest in hac misera uita optatius accidere, quam hilari animo id expectare, quod est horribile, & euitari nullo modo potest? Quam ob rem, iustus mortem non timet, quia spem certam de resurrectione habet in sinu suo: certo scit, se de terra sur rectūrum esse. Hac spe se consolabatur ille, qui erat morti uicinus, cum tortori dicebat: Potius est hominibus morti datos spem expectare a Deo, interum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad uitã non erit. Propterea iustus lętabundus Dominum ad se uenientem expectat; qui dixit: Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum; & gaudium uestrum nemo tollet a vobis. Ex his itaque omnibus cum aperte constet, nihil esse, quamobrem iustus mortem timere debeat, eam nihil timet. Sed non sic impij: qui cum ibi timeant, vbi nõ est timor, mortem, quæ est separatio animę a corpore timent; eam vero, qua spiritus

Iob. 19.

2. Mac. 7.

Ioã. 16.

Psal. 13.

tus

tus separatur a Deo, qui est fons uitæ, non
Psal. 35. timent: quam si timerent, ab ombi timoris genere essent immunes.

A felici exitu ex hac vita, & ab vltima victoria, quam ex inimicis deportat. Cap. LXXXXII.

ET si ab omnibus, quæ toto belli tempore fortiter fiunt pugnis, milites laudantur: tamẽ, ab eo potissimũ prælio, quod in extremo bello in quo prudentia, & viribus maioribus opus est, cum eo tẽpore hostis magis urgeat, & inde tota uictoria pendeat strenue conficitur, laudari solent. Ex quo etiam loco, nos virum iustum lau-
Ap. 12. dare possumus; cum sub mortis tempore, grauissimam pugnam cum suo aduersario pugnet; qui eo magis inuadit, quo minus temporis se habere ad pugnundum scit: ex quo extremo congressu vltimam, & maximam uictoriam iustus refert, ac proinde felix, & gloriosus ex hac uita discedit. Id autem faciemus, si quæ sub mortis hora iusto, & iniusto accidere soleant, & qua ratione aduersarij insultus vir iustus repellat, indicabimus. Iustus igitur, in primis, semper, & vbique mortem expectat, et tanquam prudens miles diligenter excubat,

bat, ne hostis ex improuiso veniat, bellumque inferat; ac veluti uigilans seruus Dominum expectat, vt cõfestim aperiat; cum nesciat qua hora uenturus sit: & ideo beatus a scriptura vocatur. Contra, infelix impius, qui dum ait; in æternum non mouebor, & Dominus moram faciet, imparatus viuit: quo fit, vt seruos, & ancillas percutiat, edat, & bibat, plantet & ædificet: non secus ac faciebant homines temporibus Noe, & Loth: sed ex improuiso uenit diluuium, & ignis, & perdidit eos: sic impio superueniet inimicus tanquam fur, & eius domũ perfodiet: & mors aderit, cum minus eam expectat: cuius improuiso aduentu excitatus, dicet: Ego dixi in dimidio dierum meorum, uadam ad portas inferi: Præcisa est, ueluti a texente, uita mea, dum adhuc odirer, succidit me. Ducunt ergo impij in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Deinde, cum iustus nouerit hoc certamen esse periculosum, & tempus incertũ, Deum orat, ne subitaneo, & improuiso aduentu, opprimatur; & ideo Deo dicit: Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est: vt sciam quid desit mihi. At impius nihil de morte, sed solum de re amplificanda

Luc. 12. *Psal.* *Luc. 17.* *Gen. 7. 19.* *Isa. 38.* *Iob. 21.* *Psal. 101.*

plificanda

plificanda,& de voluptate capienda, cogitat,& animæ suæ dicit: Anima,habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce,comede, bibe,epulare:nec animaduertit illud: stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quę autē parasti,cuius erunt? Ideo mortem sæpissime impios inuasisse, cum id minus putabant; iustis uero,ex Dei misericordia, mortis tempus,nō raro prænunciatum fuisse, legimus. Præterea, cum iusto mortem adesse nunciatur, lętatur, & canit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Quo fit, ut non timeat,non tristetur,non conquæratur; sed potius dicat: Moriatur anima mea morte iustorum: & fiant nouissima mea horum similia. At vero impio nil tristius accidit, quam si hunc audiuerit nuncium. Morituras es. Quo audito,pallescit, contremiscit, tristatur, conquæritur, disrumpitur, & execratur. Sentit etiā uir iustus sub mortis horam consolationes quasdam,quibus a Deo, ad aliam uitam desiderandam, excitatur: & ideo inquit: En dilectus meus loquitur mihi: surge propera amica mea, columba mea, formosa mea,& ueni. Iam hyems transiit, imber abiit,& recessit. Interdum

Lucæ 12.

4. Reg. 18.

Iudith. 13

Luc. 2.

Psal. 121.

Nu. 23.

Cant. 2.

terdum uidet Angelos, & sanctos sibi assistentes. Interdum audit suaues cantus, quibus mirum in modum exhilaratur. Interdum cum his, quos adsistere cernit, iucundissime loquitur. Interdum uiam ad cœlum, & cœlum ipsum sibi patere uidet: Interdum denique, suauiter canit, ac summa cum uoluptate Deum laudat. Petro morienti Angeli rosarum coronam attulerunt: Andreas in cruce expirans, luce circumfusus est: Erasmo martyri corona de cœlo allata fuit: Circa Martini corpus Angelorum cantus exauditi fuerunt. Hęc, & id genus alia, quæ breuitatis causa omitto, longe diuersas iustorum & impiorum mortis conditiones esse, aperte demonstrant. Sed iam quo modo in extremo certamine iustus se gerat, ostẽdamus. Solet uersutus hostis certis quibusdam telis morituros aggredi; quæ fortiter & prudenter uir iustus repellit: & sunt fere ista, quæ breuiter attingã. Si primum longioris uitę desiderium inijciat; ita uir iustus se tuetur. Senectus non *Sap. 4.* annorũ numero, sed bonis operibus cõputatur: satis uixit, q̃ bene uixit: si uitam de manu Dñi suscepi, cur nõ etiã mortẽ? Dominus dedit, Dominus auferat: sit nomen *Iob. 1.* Domini benedictum. Dominus uocat, cur non accurram? Quid exoptem longiorem

uitam

uitam exoptem? an ut plura mala uideam feram, & agam? si ad impatientiam, & ad lamentationes ob graues dolores prouo-
Luc.21. cet; inquit, scriptum esse: in patientia uestra posſidebitis animas ueſtras: Oportuit
Act.17. Chriſtum pati: Patientia perfectum opus
Iac.1. habet. Si ob oculos bonorum uitæ huius
Iob.1. derelictionem ponat; respondet: Nudus
1.Tim.6. egressus sum de uentre matris meæ, & nudus illuc reuertar: nihil in hunc mundum intuli: quæ commodato accepta sunt, cum gratiarum actione restitui debent. Si filiorum, uxoris, & amicorum beneuolentiam, uel inopiam, inculcet; inquit: Eos, se Dei
Psal.36. summi parentis curæ relinquere: Deo curam esse, de omnibus: iustorum semen, panem non quærere: se magis Deum, quam familiam, & amicos amare; immo eos propter Deum odisse. Si infidelitatis iaculo aggrediatur, clypeo fidei se defendit, sine
Heb.11. qua, scit se Deo placere non posse: Deo nihil esse impossibile: Deum, sibi secretum
Isa.24. reseruasse: & se credere quod Ecclesia credit. Si desperationis mucrone inuadat: diuinæ misericordiæ lorica se tuetur, & ait:
Eze.18.33 Deum nolle mortem peccatoris: Christum
1.Tim.1. uenisse in mundum, ut saluos faceret peccatores: in quorum numero se esse confi-
Psal.100. tetur: Dei misericordiam esse infinitam,
iu

in qua sibi sperandum putat; licet de iusti-
tia timeat: exempla peccatorũ sibi ob ocu-
los proponit: ut boni latronis, Magdale- *Luc.23.*
næ, & Petri, qui Christum negauit, ac Pau-
li, qui Ecclesiã prosecutus fuit. Si præsum- *Gal.1.*
ptionis telo ferire conetur, & ad superbiã
ob opera pie facta, excitet, hunc quoque
ictum uanum, reddere conatur: Inquit *Eccl.9.*
enim se nescire, an sit dignus odio, uel amo *1 Cor. 9.*
re; & de propitiato peccato, se non esse *Eccl.5.* *1. Cor.15.*
sine metu: se suorum peccatorum recor-
dari: & se, si quid est, id gratia Dei esse.
Si pœnarum inferni, & extremi iudicij ti-
more aggrediatur; dum ignes, uermes, &
tenebras ob oculos proponit; oculos in cę
lum tollit: æterna bona considerat: ait, ista *Mat.25.*
diabolo & angelis eius esse parata: Christũ
suo ad inferos descensu, suos ab his pœnis
liberasse: Angelis suis mandasse de se, ut *Psal.90.*
se in omnibus uijs custodiant. Denique, si
formis quibusdam horrificis, & uisu terri-
bilibus perturbare uelit, & sub figura, uel
Aethiopis, uel corui, uel alterius animalis
sese ostendat, hisce verbis repellit. Quid
hic adstas cruenta bestia? nihil in me fu- *S.Marti.*
nestum reperies: sed sinus Abrahæ me re-
cipiet: signo se crucis munit; eoque, quasi
baculo allatrãtem canem repellit: ad eam, *Can.6.*
quæ terribilis est ut castrorum acies ordi-
nata

nata confugit; eamque inuocat,& ait: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Tob.6. Angelo custodi suo dicit: Domine, inuadit me:& ille a deuoratione illæsum reddit. Nullum itaque insultum uir iustus, ti-

1.Cor.10. met: quia scit Deum non passurum ipsum tentari supra id quod potest. Impij autem his armis & auxilijs spoliati, non possunt in tam graui certamine se tueri,& ideo uin-

Ap.14. cũtur. Beati ergo iusti, qui in Domino moriuntur: quia requiescunt in pace,& in con-

Psal.115. spectu Dei eorum mors est preciosa: Miseri impij, quorum mors est pessima: quoniam, ubi ex hac uita excesserint, sepelien-

Luc.16. tur in inferno. Corpora uero sanctorum in pace sepeliuntur, & nomen eorum uiuit

Eccl.24 in generationem, & generationem.

Vir iustus non moritur.
Cap. XCIII.

MEcum ipse pugnare,& quid incredibile dicere uidebor, si uirum iustum non mori, affirmauero; quod equidem affirmo. Vir itaque iustus tanta felicitate fruitur, ut eum non mori dicere uere possis. Hanc propositam sententiam, diuina in primis confirmet auctoritas. Qui fa-

cit uoluntatem Dei, ait scriptura, manet in
ęternum. Hanc uoluntatem, nemo est qui 1. *Ioan.* 2.
faciat, nisi iustus: manebit igitur in æter-
num. Iusti hæreditabunt terram, & inha-
bitabunt in sæculum sæculi super eam:
iniusti punientur, & semen impiorum pe- *Psa.* 36
ribit. Non proderunt diuitiæ in die ultio
nis: iustitia autem liberabit a morte. Quasi *Ecci.* 5
tempestas transiens non erit impius: iustus
autem quasi fundamentum sempiternum.
Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non *Pro.* 10
tanget illos tormentum mortis: uisi sunt
oculis insipientium mori: ipsi autem sunt
in pace. Videntur ergo mori, & non omni- *Sap.* 3
bus, sed insipientibus: at cum insipientes
errent, si cum sapientibus recte sentire uo-
lumus, eos non mori affirmare oportet. 2. *Cor.* 4
Pręterea, qui manna manducauerunt, mor
tui sunt: qui Christi panem manducant, *Io.* 6.
non debent mori; id enim ipsa ueritas
nos docuit: atqui iusti hunc panem man-
ducant; quia si non manducarent, non ha-
berent uitam, nec essent iusti: quare non
morientur. Et quis eum mori dicat, qui in
tus de die in diem renouatur? & ideo ratio *Isa.* 25
ne iustorum, mortem præcipitatam fuisse, *Rom.* 16
affirmare utique possumus. Ad hæc; iustus
resurrexit cum Christo: alioqui, iustus nō *Col.* 2
esset: Sed Christus resurgens a mortuis nō
 mo-

moritur amplius. Quare, nec iustus dum iustitiam conseruat, dum tanquam palmes
Ose. 13 in uite manet, dum conuiuificatus est cum
1.Cor. 15. Christo, morietur. Et propterea, mors de-
2. Tim.1. structa esse, dicitur. Neque mihi corporis mortem obiicias: quia, satis mihi est, rem propositam, uniuerse, cum sacris literis, ueram esse demonstrare. Dicere etiam cum sapientibus possem, id, quod mortem uocamus, non esse mortem, sed mortis terminũ: & potius istam, quam uocant uitam, mortem appellandam esse: quandoquidem hic fluens uitę cursus, est perpetuus quidam interitus: quia statim atque homo natus est, ad occasum ire pergit. Cum ergo iustus in illo transitu ad ueram uitam migret, non dicetur mori. Sed non sic impius; qui ab una, ad aliam mortem, transit. Quid igitur mortem appellas, quod est carceris finis, laboris cessatio, ad portum applicatio, peregrinationis consumatio, oneris grauissimi depositio, de equo furioso descensus, de domo ruinosa egressio, omnium ægritudinũ terminus, omnium periculorum euasio, omnium malorum consumptio, reditus in patriam, transitus a morte temporaria ad uitam æternam, & accessus ad gloriam? Amplius, qui mortuus est, non potest iterum mori: iustus autem, dum in hoc mundo

est,

eſt,ut ſacræ nos docent literæ, mortuus eſt; non ergo morietur amplius. Si iuſti mortui non eſſent, non diceret eis Paulus: Mortui enim eſtis, & uita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Iuſtus ergo tanquam granum frumenti cecidit in terram, & mortuus eſt. Poſſem etiam dicere, mortem eá eſſe, quę eſt peccati pœna: quam mortem Chriſtus moriendo deſtruxit. Non ergo amplius regnat in iis, quorum uitam Chriſtus reſurgendo, reparauit. Quare iuſtorũ ex hac uita migratio, non mors, ſed potius conformatio quædam cum Chriſto, ac effigies quædam mortis, appellanda eſt. Quod hoc loco docemus, ex philoſophorum quoque doctrina confirmare liceret: qui definientes philoſophiam, dixerunt eſſe mortis commentationem; hoc eſt a corporis affectibus ſeparationem. Cum ergo uir iuſtus a ſocietate & contagione corporis ſeiunctus ſit, iam mortuus erit: & ideo non morietur iterum; Immo, cum ſit ornatus iuſtitia, quæ immortalis eſt, eum immortalem appellare fas erit. Poſtremo, diſceſſus uiri iuſti ex hac uita a ſacris ſcriptoribus, non mors, ſed dormitio appellari ſolet: & ideo de Stephano uiro iuſto legitur: & obdormiuit in Domino. Potius ergo dormire, quam mori iuſti cenſendi ſunt; & potius

Colo. 3 *Ioa. 12* *Rom. 4* *Hier. ep. ad Heliod.* *Sap. 1* *Act. 7*

tius dormientes, quam mortui appellari debent. Maximam lętitiam ex hoc loco religiosi uiri, & boni Christiani capere possunt; cum se non mortuos, sed dormientes, & suum ex hac uita discessum, non morte, sed somnum, seu dormitionem a sacris literis appellari videant. Huc facit consolatio illa Pauli ad Thessalonicenses: Nolumus autem uos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Et hęc est una ex iis consolationibus, quas ex lectione sacrarum scripturarum capere Christianis licet. Impius autem, qua impius, cum nihil bene agat, nihil agit: quia male agere, est nihil agere; immo præstaret, nihil agere: at, qui nihil agit, non uiuit, cum ea uiuere dicantur, quæ agunt. Quare, non solum dicetur mori, sed erit semper mortuus. Rursus, ut Ioannes docet, qui non diligit, manet in morte: Impius autem non diligit; quia si diligeret, non esset impius: & proinde, non modo dicetur mori, sed etiam manere in morte. Quod si eum in hoc mundo, vbi iustus mortuus est, uiuere, affirmare uis, ipse, cũ ex mundo recedit, uere mori dicetur, cum ex hac uita ad mortem migret æternam.

1.Thes.4

Aug. ep. 120.

1.Ioa.4

Lau-

Laudatur vir iustus ab ijs rebus, quę ipsi post discessum ex hac vita feliciter succedunt. Cap. XCIIII.

CVm non modo ex iis rebus, quæ in uita contigerunt homines laudari soleãt; sed etiam ab iis, quæ mortem consequuntur; ex eisdem nos quoque uirum iustum laudare conabimur. Vbi igitur uir iustus ex corporis ergastulo egressus est, multos laqueos, grauissimas difficultates, ingentia pericula, quæ prius non uidebat, retro respiciens, cernit; & se ex maximis periculis, & ex manibus potentissimorum hostiũ euasisse conspicit, ac uehementer admiratur: & cum se ex tanto periculorum cumulo ereptum uideat, summo expletus gaudio in has prorumpit uoces. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, idest cum Dominus ex captiuitate babylonica alterius uitæ, me eripuerit, factus sum sicut is qui summa consolatione afficitur; uel ut is, qui somniat: hoc est, tanto sum gaudio expletus, ut non uera lætitia, sed gaudium secundum quietem sumptum, esse uideatur: ut potius somnians, quam uigilans gaudere mihi uidear. Tunc, cum me ereptum a tot periculis esse cerno, repletum est gaudio os meum, & lingua mea exultatione: ut inimi- *Psa. 125*

cis meis superatis, cum filiis Israel canere possim: Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est; equum & ascensorem de-
Exo. 15 iecit in mare. Fortitudo mea, & salus mea Dominus, & factus est mihi in salutē: iste Deus meus, & glorificabo eum, &c. Cum autem aduersarij uident iustum tanto bene
Psa. 125 ficio a Deo affectum, dicunt: Magnificauit Dominus facere cū eo, idest maximis quidem fauoribus eum affecit; illustrem ei uictoriam dedit, cum e nostris manibus eripuerit. Iustus hanc singularem gratiā agnoscens, ait: Magnificauit Dominus facere mecum, idest reuera res maximas Deus pro me egit: & propterea lætatus sum. Conuertit Dominus captiuitatem meam, sicut torrens in austro: hoc est, lætam & iucundā reuersionem meam in cœlum fecit; non secus, ac grati esse solent fluuij in australi parte. Seminaui in lacrymis, nunc in exultatione meto: seminaui flendo, sed nunc manipulos portans, redeo cum gaudio. Agnoscit itaque iustus, ubi e mundo egressus est, præcipuam Dei, quam habuit erga se curam, & ait: Nisi Dominus fuisset mecum, quan
Psal. 125. do surgebant inimici contra me, forte, hoc est, certissime, uiuum me deglutissent; cum ira in me æstuabant, ut aqua me absorbuissent: pertransiui tribulationum torrētem;

sed

ſed ſi Deus auxilio ſuo non fauiſset, nũquã maximam tribulationum uim pertranſiuiſſem, nec maximos inimicorum conatus, ſuperaſſem. Benedictus ergo Dominus, qui non dedit me in prędam dentibus inimicorum. Anima mea, ueluti paſſer, erepta eſt de laqueo uenantium: laqueus contritus eſt, & ego liberatus ſum. Adiutorium meũ a Deo, qui fecit cœlum, & terram. Vbi uir iuſtus, maxima pericula ſe euaſiſſe uiderit, conuertet ſe, ad cœlum, quo profecturus eſt, & tunc uidebit Angelos, ac ſanctos ſibi adſtantes, ut ipſum maxima pompa, lætoque triumpho in cœlum deducant. Relinquo hic piis mentibus cogitandum, qui tunc intercedent complexus, quæ gratulationes, quæ gratiarum actiones, & oſculationes. Cogitandum relinquo quanto gaudio, ſpeciatim Angelus cuſtos, & ſancti, quibus priuate fuit deuotus, afficientur. Cogitãdum relinquo quibus ueſtibus, quibus ornamentis, poſito mortalitatis indumento, ornabitur: veſtimento nempe immortalitatis, & ornamentis gloriæ. Cogitandum denique relinquo, quo apparatu, & qua magnificentia, *Iſa. 61.* uir iuſtus, iam tanta cœleſtium ſpirituum ſtipatus caterua, tanta inſignitus gloria, triumphum ad cœlum vſque aget. Qui bo

ne Deus, soni? quæ voces? quæ sympho-
niæ? quæ laudes in tanto triũpho intercedent? Quia, si tantum gaudium, vt scriptura ait, est in cœlo pro vno peccatore conuerso, quantum putamus erit, pro iusto iam salutem adepto? Sed quæ diximus, iã aliquibus illustremus exemplis. Cum diui Hieronymi corpus spiritum reddidisset, subita lux circumfulsit: uisi sunt Angeli, & Christi vox, quæ illum ad possidendum regnum inuitabat, exaudita est: & Cyrillus Ierosolymitanus eius animã angelicis manibus gestari in cœlum vidit. Pauli etiam primi eremitæ beatam animam angelico ministerio ad cœlum tolli, vidit Antonius abbas. Quidam abbas duos lectos ineffabili ornatu comptos, multoque nitore splendentes vidit, in quorum altero Hugo abbas, in altero Anselmus Cantuariensis archiepiscopus ab Angelis ferebatur. Septẽ mulierum animas virginali forma a corporibus egredi, cœlumque uersus ferri, candidas admodum, & corollis circa capita fulgentibus ornatas, qui eas necarunt sicarij, viderunt. Theodora, quę simulato sexu inter monachos vixit, cum e uita migrasset, abbati in quiete apparuit cum quadam nuptiali pompa, sanctarum exultantium agmine eam circumuallante, ipsa in

Luc. 15.

Apud Mar. Mar.

in medio gemmis, auroque corruscans.
Denique, ne plura consectet exempla, Benedicti, Stephani, Egidij, Tiburtij, Valeriani, Maximi, Marcelli, Iustini, Pastoris, Germani, Leonis, compluriumque aliorum felices animæ ad cœlum tolli uisę sunt, & dum tollerentur, angelici cantus exauditi fuerunt. Vbi autem, ut ad rem redeamus, iusti anima ad cœlum propius accessit, qui sunt in cœlo beati, ob tanti triumphi gloriam admiratione affecti, petũt: Quę est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Quę est ista, quę ascēdit de deserto delicijs affluens? At impius, ubi ex hac vita excesserit, quid nam videbit? Cernet diabolos ad se torquendum paratos, supplicia, flagella, puteum abyssi, stagnum sulphuris, tenebras exteriores, caminum ignis, flammas inextinguibiles: &, ut rem verissimam poetarum verbis explicemus, videbit in ipso infermi limine, Luctus, Curas, Morbos, Metus, Famem, Aegestatem, Lethum, Labores, mala mentis Gaudia, Bellum, Eumenides, Discordiam, & denique uaria ferarum ac vitiorum monstra. Audiet præterea. fletus, gemitus, vlulatus, blasphemias, execrationes, & horrificas Dæmonum

Gan. 3. Cat. 8.

Apo.

monum

monum voces. Vndique tandem doloris, & cruciatus causas videbit innumeras. Inicient tum Dæmones rapacissimas in eum manus, ardentibus catenis ligabunt, ac horrificis uocibus misero dicent: Perge miser, perge: In tenebras, luctum, lacrymas, tormenta, colubros; ad furias, æstumque hyemēq;, sitimq; famēque: ad furcas, laqueos, stridorem dentium, ad ignes. Tunc infelicissimus, & miserabilis impius exclamabit, atque in has doloris, & horroris plenas prorumpet voces. Vt væ, væ væ, væ uæ, uæ uæ, uæ mihi, uæ uæ: perij, interij; intus, forisque damnatus sum.

Ab honore, & gloria, quibus afficietur, cum cælum ingredietur. *Cap.* XCV.

QVis porro explicet eum] honorem, eamque gloriam, qua uir iustus afficietur, cum ciuitatem sanctam, Hierusalem cœlestem, & atria summi æterniq; Regis ingressus fuerit? Tunc omnes patriarcharum, prophetarum, martyrum, virginum, Apostolorum, & Angelorum chori aderunt. Tunc Pater, qui hunc hominem creauit, Filius, qui redemit, Spiritus san-
Ap. 7.71. ctus, qui iustificauit eum honorifice excipient. Et primum, ut ait Ioannes, abstergет

Deus

Deus omnem lacrymam ab oculis eius. Quæ res, si a Christianis hác vitam adhuc degentibus diligenter consideraretur, ad omnes labores, & molestias omnes æquo animo perferendas, mirum in modum eos excitaret. Quid enim potest sentiri iucundus? quid excogitari suauius? quid amantius fingi, quam ab amantissimo Patre lachrymas a filiorum oculis abstergi? Deinde, ei lætissima fronte Dominus dicet. Euge serue bone, & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis; super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Postea, super omnia bona, quæ possidet constituet eum: mensuram bonam, & cõfertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinũ eius. Præterea, Dominus iustus iudex, ei coronam iustitiæ tribuet. Accipiet itaque regnũ decoris, & diadema speciei de manu Domini; & in throno cum Christo collocabitur: quod præmiũ uincentibus in scriptura, his uerbis, promissum fuit: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego uici, & sedi cum Patre meo in throno eius: esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronã vitæ. Huc faciunt, quæ apud Isaiam capite sexto leguntur: Ipse ponet consolationem lugentibus Sion, dabit coronam, pro cinere; oleum gaudij pro luctu;

Mat 25. *Luc. 12* *Luc. 6.* *2. Tim. 4.* *Sap. 5.* *Apo. 3.* *Apo. 2. 7.* *Isa. 6.*

pallium

pallium laudis, pro spiritu mœroris. Ipse sustollet nos super altitudines terræ, in hæreditatem inæstimabilium diuitiarum, regnique cęlestis. Huc etiam pertinent, quæ
Ier. 31. Deus p Ieremiã dicit. Tunc lętabitur uirgo in choro, iuuenes, & senes simul: & conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore suo. Postea
Apo. 19. ad magnam cœnam, & nuptias Agni, Deus
Luc. 12. illum discumbere faciet, & transiens mini-
Apo. 2. strabit ei: dabit ad manducandum manna absconditum, & lignum uitæ, quod est in
Psal. 35. in paradiso Dei, cum duodecim fructibus eius, & de torrente voluptatis suæ potum dabit ei, & calice præclaro inebriabit eum.
Psal. 22. Epulabitur ergo iustus, & satiabitur, cum apparuerit gloria: exultabit in conspectu
Psal. 114. Dei, & delectabitur in lætitia, & dicet: Placebo Domino; hoc est, hylari ac tranquillo animo apparebo coram Domino, in regione uiuorum, in hac uidelicet sempiterna uita. Denique, collocabitur in sede, seu cubili suo, ubi quiescet, & lætabitur in sæcula.
Psal. Impius uero, ubi ex hac luce, non amplius lucem, non lunam, non solem, nec cætera sidera visurus abierit; quo miser perueniet? Ad locum profundum, in terræ visceribus reconditum, qui, infernus, fouea, lacus, barathrum, chaos, gehenna, cami-

nus

nus, puteus, & ſtagnum ignis nominatur, deueniet. Præmium ſuorum laborum, erit ignis, ſulphur fœtor, fumus tanquam fornacis magnæ, ſummum frigus, ſummus æſtus, & tenebræ palpabiles: & quod erit lucis, id erit in pœnam: paſcua, ſtruthionum; cubilia, draconum. Locus non erit admodum commodus: quia congregabuntur damnati in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Et qui nam erunt ſocij? Dæmones, æterni hominum inimici, qui etiam erunt tortores, & carnifices, ceterique damnati totius generis humani fœces. Inſuper, locuſtæ, pardus, leęna, ſerpentes, dracones, ſtruthiones, coluber tortuoſus, beſtia cum ſeptem capitibus, behemoth, leuiathan, belial, aſmodeus, ſatan, & belzebub. Et quid ſentient? Videbit horribilia monſtra, audiet horrificas voces; guſtabit abſynthium, olfaciet grauiſſimos fœtores, tanget ſumme frigida, & ſumme calida. Ibi fames, ſitis, dolores, languores, & anguſtię omnes; & in ſumma mala oĩa, boni prorſus nihil: & quod omnium eſt peſſimum, tantę acerbitatis, & miſeriæ, finiendę, aut minuendę, aut conſolationis capiendę ſpes erit nulla. Et quis ibi conſolationem affert? ubi nemo eſt qui inconſolabiliter, ut ita dixerim, nō lugeat?

Pſal. 10.
Apo. 9.
Iſa. 34. 14.
Dan. 7.
Iob. 40. 41

Quis

Quis [illegible] poterit, ubi omnes sunt om-
ni [illegible]? Quo modo da-
bitur [illegible], ubi est ignis, qui nun-
quam [illegible]: vermes qui semper ro-
[illegible] defatigantur;
[illegible], depascit eos.
[illegible] O societatem ingra-
tam! O [illegible] seculi ęrū-
[illegible], omnique tormento,
[illegible] concludam, ut
[illegible], ita dam
[illegible].

[illegible], quę in ęter-
num [illegible]. Cap. XCVI.

M[illegible] virum in-
[illegible], maxi-
[illegible] non admira
[illegible], quę ipsum manet
[illegible] cognosce-
[illegible], bal-
[illegible] scribendum esse
[illegible] ge-
[illegible]. Pręmium
[illegible] propositum ip
[illegible] omne bo-
[illegible] Deus Moysi, tibi
[illegible] possessor bono-
rum

rum omnium; omnibus perfruetur bonis. Cogita tu hic, omnium bonorum uim. Et qui rem, quæ terminari nequit finire voluerunt, dixerunt; Beatitudinem esse statũ omnium bonorum aggregatione perfectũ. *Boeth.* sed, melius cum Paulo eam sic describeres: Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus ijs, qui diligunt illam. Huc etiam pertinent hæ diuinę scripturæ sententiæ, quæ beatitudinis magnitudinem explicare videntur: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et audiui, inquit Paulus, cum raptus fuit ad tertium cœlum, arcana verba, quę non licet homini loqui. Si audiuit, profecto eloqui potuit. sed, cum supernę gloriæ bonum maius sit, quam ut humana mente percipi, aut verbis exprimi queat; ideo, homini non licet illud exponere. Priuatim uero beatitudinis suauitatem, ac iucunditatem, hę sententię demonstrant. Torrente uoluptatis tuæ potabis eos: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: Delectationes in dextera tua usque in finem: Intra in gaudium Domini tui. Ac si diceretur; gaudium, tantum est, ut illud in te intrare non queat; ideo, tu, intra in illud, Et quod nam est hoc gaudium? Gaudium Domini tui. Intret ergo seruus ad perfruẽdam eandem

1. Cor. 2. *Isa 64.* *Ps. 6. 16.* *2. Cor. 12.* *Psal. 35.* *Psal. 15.* *Mat. 25.*

beati-

beatitudinem, qua Dominus perfruitur. Si loci, in quo positum est hoc præmium, magnitudinē spectes, licebit cum propheta exclamare: O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus processionis eius? magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. Si gloriam, cum alio dices: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Huius loci decore, ac iucunditate captus Dauid, hæc verba pronunciauit: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini; Beati, qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Quod si quis loci huius, in quo perpetuo uir iustus habitaturus est, pulchritudinem cognoscere cupit, quæ de cœlesti ciuitate diuus Ioānes in Apocalypsi scripta reliquit, legat. Vbi ait, huius ciuitatis muros esse ex iaspide, ipsam esse aurum purum, fundamē ta ex omni lapide precioso, portas ex singulis margaritis, plateas esse tanquam uitrum pellucidum. Et, si hic inferior mundus tot pulcherrimis creaturis, ut cernimus, ornatus est; ueluti cœlis, sideribus, elementis, montibus, vallibus, fluminibus, fontibus, arboribus, herbis, floribus, fructibus

Bar. 3. Psal. 86 Psal. 25. Psalm. 83. Apo. 21.

bus, animalibus, ac tanta omnium harum rerum uarietate refertus; quid de superiore loco, vbi beati, vbi Deus habitat, cogitandum erit? Si loci dignitas, habitantium dignitati respondere debet, uide quinam sint, qui ibi habitant, & loci dignitatem aliqua ratione cognosces; ut, si id spectes, tota hæc, quæ in hisce creaturis cernitur pulchritudo cum cœlestis patriæ decore collata, deformitas appellanda sit. Hæc nanque mortalium habitatio est, illa immortalium: hæc peccatorum, illa iustorum: hæc hominum, illa Angelorum, & Dei: hæc denique est bestiarum stabulum; illa ęterni regis aula. Cum nullis igitur arboribus, uel lapillis, uel sideribus domus Dei decor conferendus est. Hic pręterea locus, non eget luce extrinseca solis, & lunæ: quia splēdor iustorum, qui tanquam sol in hoc regno fulgebunt, & lucerna Agni, & claritas Dei illuminabunt illum. Ibi nullum erit incommodi genus: non esuries, non sitis, non frigora, non æstus, non labor, non defatigatio, non morbi, non curæ, non timores, non dolores, non luctus, non discordiæ, non occasus, nullus denique corporis, aut animi dolor; sed perpetuus dies, pax, lętitia, securitas, quies, valetudo, &, ut simpliciter dicam, omnium bonorum, sine fastidio Ap. 21. Mat. 13.

ſtidio ſatietas: ut de hoc loco recte hæc
Aug. ſoli. c. 33. ſcripſerit Auguſtinus. Ibi gaudium infinitum, lętitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, uia ſine labore, lux ſine tenebris, uita ſine morte, omne bonum ſine ullo malo. Nullam ibi corpus commoditatem, nullá animus delectationem deſiderare poterit, qua careat. Et, ut quæ de tactu, guſtu, & odoratu, qui etiá ſenſus ſuam aſſequentur perfectionem, dici poſſent, ſilentio prætercam, de auditu & uiſu aliquid priuate dicam. Nam, ſi in hac infima mundi parte cernuntur multa, quæ noſtros mirum in modum oculos afficiunt, & delectant, uelu ti ſiluoſi montes, fœcundi colles, amœnæ valles, virentia prata, feraces campi, elegá tes horti, labentia flumina, muſcoſi riuuli, lucidi fontes, precioſi lapilli; & alia uiſu pulcherrima ſpectacula, quę arte efficiuntur; quorum interdum proſpectu in admi rationem rapimur, & ſtupore defigimur: ut ſunt, delubra, porticus, ſacella, pyramides, ſigna, cœlata uaſa, tabulæ, picturæ, & id genus alia; quę nam beatos in cœleſti regno uiſuros eſſe putabimus? In his, (ut ita dixerim) totius mundi pedibus, talis erit proſpectus, tantuſque exiſtet ornatus; in cœlo empyreo, quaſi in capite, ornatus ma ior non exiſtet? Videbunt igitur beati in

aula

aula regia, ea, quorum proſpectu mirificè delectabuntur. Summam quoque ex uiſiõne corporum beatorum oblectationem capiet; ut ex his, quę poſtea dicemus, perſpicuum fiet. De auditu: Ibi, non citharæ, nõ tubæ, non organa, non alia inſtrumenta muſica, non humanę uoces, ſed his omnibus dulcius exaudietur Angelorum melos, iucundior beatorum vox, delectabilior ſacrarum uirginum cantus. Ibi diuinę laudes, ibi iucundum alleluia, & ſempiternũ canticum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, exaudietur. Quis deinde explicet, quæ in uerbo, ueluti in quodam limpidiſſimo ſpeculo, iuſtus cernet? Quid non videbit, qui uidentem omnia inſpiciet? Ibi omnium creaturarum naturas, & proprietates intelliget: ibi omnium myſteriorum, quæ credidit rationes cognoſcet: ibi ideas rerum omnium contemplabitur: ibi omnia, quę in hac uita ignorauit, & ſcire non potuit, percipiet, ibi demum omnium rerum, quas cognoſcere cupit, notitiam conſequetur. Quis inſuper intelligeret uim illam ſummi amoris, quo ſummum bonum, ſummopere amabit? qua amoris ui, ſe totum Deo uniet, & unum idemque cum re fiet amata: & Deus, qui ignis eſt, in animam iuſti illabe-

Iſa. 6.

tur, quam non ſecus ac ignis ferrum igne caritatis ſuę afficiet. Ex qua unione, maxima quædam enaſcetur uoluptas, qua beatorum mentes inebriabuntur, & uoluptatum diuinarum torrente explebuntur, & fluminis impetu lætificabuntur. Quis denique voluptatem, quam ex ſanctorum Angelorum, B. Virginis, Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis ſocietate uir iuſtus capiet,
Pſal. 121. cogitatione complecteretur? Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini. Illic ſunt Patriarchæ, Prophetę, Apoſtoli, Martyres, Virgines, Confeſſores, proximi denique omnes, & fratres noſtri. Quam gratum erit, ibi amicitia iunctos, uel alia ratione in hac uita notos agnoſcere, eorum gloriam cernere, cum eis coniunctiſſime uerſari, & dulciſſime colloqui? Quam iucundum erit, non unum, nō duos, non tres Angelos, ſed millia millium intueri, ac dinumerare? choros, & ordines internoſcere, functiones uarias uidere, eorū nobiliſſimas naturas penetrare, & cum ipſis diuinas laudes celebrare; O ſpectaculū dulciſſimum? O ſocietatem ſuauiſſimam! Hic ſunt Angeli, iſtic Archangeli, illic Throni, alibi Dominationes, alibi Virtutes, alibi Poteſtates, alibi Cherubim, alibi Sera-

phim.

phim. Hic eſt Gabriel, iſte eſt Raphael, ille Michael. Quanta erit deinde uoluptas, qua, ob aſpectum Matris Dei iuſtus perfun- Cant. 6.
detur? Qua non afficietur lætitia, cum uidebit eam, quę eſt ueluti aurora conſurgēs, pulchra ut luna, electa ut ſol; quæ eſt liliū conuallium, hortus cōcluſus, fœderis arca, Thronus Salomonis, anua cœli, paradiſus uoluptatis, & id, ex quo omnia, & quod continet omnia, Mater Dei. Quid non percipiet vir iuſtus gaudij, cum hęc beatiſſima Mater ei occurret? cum eum amplectetur? cum quibus officiis ab ea affectus fuerit, intelliget? Quo modo non replebitur gaudio, cum cernet matrem ſuam ſuper choros Angelorum euectam? cum uidebit omnes virgines ei ancillari, omnes martyres inſeruire, omnes ſanctos obſequi, omnes denique Angelos tanquam Reginę aſſiſtere? Quanta inſuper oblectatione afficietur, Pſal. 8.
cum intuebitur, & alloquetur eum, cuius magnificentia eleuata eſt ſuper cœlos? eū, qui eſt mediator, ſaluator, pacificator, ſum- Heb. 9
mus ſacerdos, & Eccleſię caput: eum qui 1. Tim. 4
eſt pax, gaudium, iuſtitia, ſalus, & beatitudo ipſius: eum, qui eſt lumen, virtus, ſapiē- Eph. 2
tia, & imago Patris: eum cui omne genu Phil. 2
flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: eum, quem omnis ſpiritus laudat, om-

ne Deus, soni? quæ voces? quæ symphoniæ? quæ laudes in tanto triũpho intercedent? Quia, si tantum gaudium, vt scriptura ait, est in cœlo pro vno peccatore conuerso, quantum putamus erit, pro iusto iam salutem adepto? Sed quæ diximus, iã aliquibus illustremus exemplis. Cum diui Hieronymi corpus spiritum reddidisset, subita lux circumfulsit: uisi sunt Angeli, & Christi vox, quæ illum ad possidendum regnum inuitabat, exaudita est: & Cyrillus Ierosolymitanus eius animã angelicis manibus gestarj in cœlum vidit. Pauli etiam primi eremitæ beatam animam angelico ministerio ad cœlum tolli, vidit Antonius abbas. Quidam abbas duos lectos ineffabili ornatu comptos, multoque nitore splendentes vidit, in quorum altero Hugo abbas, in altero Anselmus Cantuariensis archiepiscopus ab Angelis ferebatur. Septẽ mulierum animas virginali forma a corporibus egredi, cœlumque uersus ferri, candidas admodum, & corollis circa capita fulgentibus ornatas, qui eas necarunt sicarij, viderunt. Theodora, quę simulato sexu inter monachos vixit, cum e uita migrasset, abbati in quiete apparuit cum quadam nuptiali pompa, sanctarum exultantium agmine eam circumuallante, ipsa

Luc. 15.

Apud Mar. Mar.

in medio gemmis, auroque corrufcans.
Denique, ne plura confecter exempla, Benedicti, Stephani, Egidij, Tiburtij, Valeriani, Maximi, Marcelli, Iuftini, Paftoris, Germani, Leonis, compluriumque aliorum felices animæ ad cœlum tolli uifę funt, & dum tollerentur, angelici cantus exauditi fuerunt. Vbi autem, ut ad rem redeamus, iufti anima ad cœlum propius acceffit, qui funt in cœlo beati, ob tanti triumphi gloriam admiratione affecti, petũt: Quę eft ifta, quæ afcendit per defertum, ficut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerfi pulueris pigmentarij? Quę eft ifta, quę afcẽdit de deferto delicijs affluens? At impius, ubi ex hac vita exceffterit, quid nam videbit? Cernet diabolos ad fe torquendum paratos, fupplicia, flagella, puteum abyssi, ftagnum fulphuris, tenebras exteriores, caminum ignis, flammas inextinguibiles: &, ut rem veriffimam poetarum verbis explicemus, videbit in ipfo infermi limine, Luctus, Curas, Morbos, Metus, Famem, Aegeftatem, Lethum, Labores, mala mentis Gaudia, Bellum, Eumenides, Difcordiam, & denique uaria ferarum ac vitiorum monftra. Audiet præterea. fletus, gemitus, vlulatus, blafphemias, execrationes, & horrifias Dæmonum

Can. 3.
Cant. 8.
Apo.

monum voces. Vndique tandem doloris, & cruciatus causas videbit innumeras. Inicient tum Dæmones rapacissimas in eum manus, ardentibus catenis ligabunt, ac horrificis uocibus misero dicent: Perge miser, perge: In tenebras, luctum, lacrymas, tormenta, colubros; ad furias, æstumque hyemémq;, sitimq; famémque: ad furcas, laqueos, stridorem dentium, ad ignes. Tunc infelicissimus, & miserabilis impius exclamabit, atque in has doloris, & horroris plenas prorumpet voces. Vt væ, væ væ, væ uæ, uæ uæ, uæ mihi, uæ uæ: perij, interij; intus, forisque damnatus sum.

Ab honore, & gloria, quibus afficietur, cum cœlum ingredietur. *Cap.* XCV.

QVis porro explicet eum] honorem, eamque gloriam, qua uir iustus afficietur, cum ciuitatem sanctam, Hierusalem cœlestem, & atria summi æterniq; Regis ingressus fuerit? Tunc omnes patriarcharum, prophetarum, martyrum, virginum, Apostolorum, & Angelorum chori aderunt. Tunc Pater, qui hunc hominem creauit, Filius, qui redemit, Spiritus sanctus, qui iustificauit eum honorifice excipient. Et primum, ut ait Ioannes, absterget

Apo 7.21.

Deus

Deus omnem lacrymam ab oculis eius. Quæ res, si a Christianis hâc vitam adhuc degentibus diligenter consideraretur, ad omnes labores, & molestias omnes æquo animo perferendas, mirum in modum eos excitaret. Quid enim potest sentiri iucundus? quid excogitari suauius? quid amantius fingi, quam ab amantissimo Patre lachrymas a filiorum oculis abstergi? Deinde, ei lætissima fronte Dominus dicet. Euge serue bone, & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis; super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Postea, super omnia bona, quæ possidet constituet eum: mensuram bonam, & cōfertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinū eius. Præterea, Dominus iustus iudex, ei coronam iustitiæ tribuet. Accipiet itaque regnū decoris, & diadema speciei de manu Domini; & in throno cum Christo collocabitur: quod præmiū uincentibus in scriptura, his uerbis, promissum fuit: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego uici, & sedi cum Patre meo in throno eius: esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronā vitæ. Huc faciunt, quæ apud Isaiam capite sexto leguntur: Ipse ponet consolationem lugentibus Sion, dabit coronam, pro cinere; oleum gaudij pro luctu;

Mat 25. *Luc. 12* *Luc. 6.* *2. Tim. 4.* *Sap. 5.* *Apo. 3.* *Apo. 2. 7.* *Isa. 6.*

pallium

pallium laudis, pro spiritu mœroris. Ipse
sustollet nos super altitudines terræ, in hæ-
reditatem inæstimabilium diuitiarum, re-
gnique cœlestis. Huc etiam pertinent, quæ
Ier.31. Deus p Ieremiā dicit. Tunc lętabitur uirgo
in choro, iuuenes, & senes simul: & conuer
tam luctum eorum in gaudium, & conso-
Apo.19. labor eos, & lætificabo a dolore suo. Postea
ad magnam cœnam, & nuptias Agni, Deus
Luc.12. illum discumbere faciet, & transiens mini
Apo.2. strabit ei: dabit ad manducandum manna
absconditum, & lignum uitæ, quod est in
Psal.35. in paradiso Dei, cum duodecim fructibus
eius, & de torrente voluptatis suæ potum
dabit ei, & calice præclaro inebriabit eum.
Psal.22. Epulabitur ergo iustus, & satiabitur, cum
apparuerit gloria: exultabit in conspectu
Psal.114. Dei, & delectabitur in lætitia, & dicet: Pla-
cebo Domino; hoc est, hylari ac tranquil-
lo animo apparebo coram Domino, in re-
gione uiuorum, in hac uidelicet sempiter-
na uita. Denique, collocabitur in sede, seu
cubili suo, ubi quiescet, & lætabitur in sæcu
Psal. la. Impius uero, ubi ex hac luce, non am-
plius lucem, non lunam, non solem, nec cæ
tera sidera visurus abierit; quo miser per-
ueniet? Ad locum profundum, in terræ vi
sceribus reconditum, qui, infernus, fouea,
lacus, barathrum, chaos, gehenna, cami-

nus

nus, puteus, & stagnum ignis nominatur, deueniet. Præmium suorum laborum, erit ignis, sulphur fœtor, fumus tanquam fornacis magnæ, summum frigus, summus æstus, & tenebræ palpabiles: & quod erit lucis, id erit in pœnam: pascua, struthionum; cubilia, draconum. Locus non erit admodum commodus: quia congregabuntur damnati in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Et quinam erunt socij? Dæmones, æterni hominum inimici, qui etiam erunt tortores, & carnifices, ceterique damnati totius generis humani fœces. Insuper, locustæ, pardus, leæna, serpentes, dracones, struthiones, coluber tortuosus, bestia cum septem capitibus, behemoth, leuiathan, belial, asmodeus, satan, & belzebub. Et quid sentient? Videbit horribilia monstra, audiet horrificas voces; gustabit absynthium, olfaciet grauissimos fœtores, tanget summe frigida, & summe calida. Ibi fames, sitis, dolores, languores, & angustiæ omnes; & in summa mala oĩa, boni prorsus nihil: & quod omnium est pessimum, tantæ acerbitatis, & miseriæ, finiendæ, aut minuendæ, aut consolationis capiendæ spes erit nulla. Et quis ibi consolationem affert? ubi nemo est qui inconsolabiliter, ut ita dixerim, nõ lugeat?

Psal. 10. *Apo. 9.* *Isa. 33. 34.* *Dan. 7.* *Iob. 40. 41*

Quis

Quis misereri poterit, ubi omnes sunt omni misericordia espoliati? Quo modo dabitur consolatio ibi, ubi est ignis, qui nunquam extinguitur; vermes qui semper rodunt tortores, qui nunquam defatigantur; ubi deniq; mors, ueluti ouis, depascit eos. O diram loci faciem! O societatem ingratam! O sortem omnibus huius sęculi ęrũnijs, omni calamitate, omnique tormento, grauiorem! Et ut paucis concludam, ut beatorum gloria est inexplicabilis; ita damnatorum pœna enarrari nequit.

Psal. 48.

A magnitudine beatitudinis, qua in ęternum perfruetur. Cap. XCVI.

MAximis laudibus nemo virum iustum in cœlum non efferret, maximam ipsius dignitatem nemo non admiraretur qui beatitudinis, quæ ipsum manet magnitudinem, aliqua ratione cognosceret. Propterea, hac de re speciatim, balbutiendo tamen, aliquid scribendum esse duximus: & in primis tanti boni uim generatim ob oculos proponemus. Pręmium igitur, quod viro iusto est propositum ipsa est beatitudo, quæ continet omne bonum. Ostendam, dixit Deus Moysi, tibi omne bonum. Erit igitur possessor bonorum

Exo 33.

rum

rum omnium; omnibus perfruetur bonis.
Cogita tu hic, omnium bonorum uim. Et
qui rem, quæ terminari nequit finire voluerunt, dixerunt; Beatitudinem esse statū omnium bonorum aggregatione perfectū. Boet.
sed, melius cum Paulo eam sic describeres: 1. Cor. 2.
Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec Isa 64.
in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus ijs, qui diligunt illam. Huc etiam pertinent hæ diuinę scripturæ sententiæ, quæ beatitudinis magnitudinem explicare
videntur: Satiabor cum apparuerit gloria Ps. 6. 16.
tua. Et audiui, inquit Paulus, cum raptus 2.Cor.12.
fuit ad tertium cœlum, arcana verba, quę non licet homini loqui. Si audiuit, profecto eloqui potuit. sed, cum supernę gloriæ bonum maius sit, quam ut humana mente percipi, aut verbis exprimi queat; ideo, homini non licet illud exponere. Priuatim uero beatitudinis suauitatem, ac iucunditatem, hę sententię demonstrant. Torrente Psal.35.
uoluptatis tuæ potabis eos: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: Delectatio- Psal.15.
nes in dextera tua usque in finem: Intra in
gaudium Domini tui. Ac si diceretur; gau- Mat.25.
dium, tantum est, ut illud in te intrare non queat; ideo, tu, intra in illud, Et quod nam est hoc gaudium? Gaudium Domini tui. Intret ergo seruus ad perfruendam eandem

beati-

beatitudinem, qua Dominus perfruitur. Si loci, in quo positum est hoc præmium, magnitudinē spectes, licebit cum propheta exclamare: O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus processionis eius? magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. Si gloriam, cum alio dices: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Huius loci decore, ac iucunditate captus Dauid, hæc verba pronunciauit: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini; Beati, qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Quod si quis loci huius, in quo perpetuo uir iustus habitaturus est, pulchritudinem cognoscere cupit, quæ de cœlesti ciuitate diuus Ioānes in Apocalypsi scripta reliquit, legat. Vbi ait, huius ciuitatis muros esse ex iaspide, ipsam esse aurum purum, fundamēta ex omni lapide precioso, portas ex singulis margaritis, plateas esse tanquam uitrum pellucidum. Et, si hic inferior mundus tot pulcherrimis creaturis, ut cernimus, ornatus est; ueluti cœlis, sideribus, elementis, montibus, vallibus, fluminibus, fontibus, arboribus, herbis, floribus, fructibus

Bar. 3. Psal. 86. Psal. 25. Psalm. 83. Apo. 21.

bus, animalibus, ac tanta omnium harum rerum uarietate refertus; quid de superiore loco, vbi beati, vbi Deus habitat, cogitandum erit? Si loci dignitas, habitantium dignitati respondere debet, uide qui nam sint, qui ibi habitant, & loci dignitatem aliqua ratione cognosces; ut, si id spectes, tota hæc, quæ in hisce creaturis cernitur pulchritudo cum cœlestis patriæ decore collata, deformitas appellanda sit. Hæc nanque mortalium habitatio est, illa immortalium: hæc peccatorum, illa iustorum: hæc hominum, illa Angelorum, & Dei: hæc denique est bestiarum stabulum; illa ęterni regis aula. Cum nullis igitur arboribus, uel lapillis, uel sideribus domus Dei decor conferendus est. Hic pręterea locus, non eget luce extrinseca solis, & lunæ: quia splẽdor iüstorum, qui tanquam sol in hoc regno fulgebunt, & lucerna Agni, & claritas Dei illuminabunt illum. Ibi nullum erit incommodi genus: non esuries, non sitis, non frigora, non æstus, non labor, non defatigatio, non morbi, non curæ, non timores, non dolores, non luctus, non discordiæ, non occasus, nullus denique corporis, aut animi dolor; sed perpetuus dies, pax, lętitia, securitas, quies, valetudo, &, ut simpliciter dicam, omnium bonorum, sine fa

Ap. 21. *Mat. 13.*

ſtidio ſatietas: ut de hoc loco recte hæc ſcripſerit Auguſtinus. Ibi gaudium infinitum, lętitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, uia ſine labore, lux ſine tenebris, uita ſine morte, omne bonum ſine ullo malo. Nullam ibi corpus commoditatem, nullá animus delectationem deſiderare poterit, qua careat. Et, ut quæ de tactu, guſtu, & odoratu, qui etiá ſenſus ſuam aſſequentur perfectionem, dici poſſent, ſilentio prætercam, de auditu & uiſu aliquid priuate dicam. Nam, ſi in hac infima mundi parte cernuntur multa, quæ noſtros mirum in modum oculos afficiunt, & delectant, veluti ſiluoſi montes, fœcundi colles, amœnæ valles, virentia prata, feraces campi, elegátes horti, labentia flumina, muſcoſi riuuli, lucidi fontes, precioſi lapilli; & alia uiſu pulcherrima ſpectacula, quę arte efficiuntur; quorum interdum proſpectu in admirationem rapimur, & ſtupore defigimur: ut ſunt, delubra, porticus, ſacella, pyramides, ſigna, cœlata uaſa, tabulæ, picturæ, & id genus alia; quę nam beatos in cœleſti regno uiſuros eſſe putabimus? In his, (ut ita dixerim) totius mundi pedibus, talis erit proſpectus, tantuſque exiſtet ornatus; in cœlo empyreo, quaſi in capite, ornatus maior non exiſtet? Videbunt igitur beati in

Aug. ſoli. c.33.

aula regia, ea, quorum proſpectu mirificè delectabuntur. Summam quoque ex uiſione corporum beatorum oblectationem capiet; ut ex his, quę poſtea dicemus, perſpicuum fiet. De auditu: Ibi, non citharæ, nō tubæ, non organa, non alia inſtrumenta muſica, non humanę uoces, ſed his omnibus dulcius exaudietur Angelorum melos, iucundior beatorum vox, delectabilior ſacrarum uirginum cantus. Ibi diuinę laudes, ibi iucundum alleluia, & ſempiternũ canticum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, exaudietur. Quis deinde explicet, quæ in uerbo, ueluti in quodam limpidiſſimo ſpeculo, iuſtus cernet? Quid non uidebit, qui uidentem omnia inſpiciet? Ibi omnium creaturarum naturas, & proprietates intelliget: ibi omnium myſteriorum, quæ credidit rationes cognoſcet: ibi ideas rerum omnium contemplabitur: ibi omnia, quę in hac uita ignorauit, & ſcire non potuit, percipiet, ibi demum omnium rerum, quas cognoſcere cupit, notitiam conſequetur. Quis inſuper intelligeret uim illam ſummi amoris, quo ſummum bonum, ſummopere amabit? qua amoris ui, ſe totum Deo uniet, & unum idemque cum re fiet amata: & Deus, qui ignis eſt, in animam iuſti illabe-

Iſa. 6.

tur, quam non ſecus ac ignis ferrum igne caritatis ſuę afficiet. Ex qua unione, maxima quædam enaſcetur uoluptas, qua beatorum mentes inebriabuntur, & uoluptatum diuinarum torrente explebuntur, & fluminis impetu lætificabuntur. Quis denique voluptatem, quam ex ſanctorum Angelorum, B. Virginis, Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis ſocietate uir iuſtus capiet, cogitatione complecteretur? Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini. Illic ſunt Patriarchæ, Prophetę, Apoſtoli, Martyres, Virgines, Confeſſores, proximi denique omnes, & fratres noſtri. Quam gratum erit, ibi amicitia iunctos, uel alia ratione in hac uita notos agnoſcere, eorum gloriam cernere, cum eis coniunctiſſime uerſari, & dulciſſime colloqui? Quam iucundum erit, non unum, nō duos, non tres Angelos, ſed millia millium intueri, ac dinumerare? choros, & ordines internoſcere, functiones uarias uidere, corū nobiliſſimas naturas penetrare, & cum ipſis diuinas laudes celebrare! O ſpectaculū dulciſſimum? O ſocietatem ſuauiſſimam! Hic ſunt Angeli, iſtic Archangeli, illic Throni, alibi Dominationes, alibi Virtutes, alibi Poteſtates, alibi Cherubim, alibi Seraphim.

Pſal. 121.

phim. Hic eſt Gabriel, iſte eſt Raphael, ille Michael. Quanta erit deinde uoluptas, qua, ob aſpectum Matris Dei iuſtus perfundetur? Qua non afficietur lætitia, cum uidebit eam, quę eſt ueluti aurora conſurgẽs, pulchra ut luna, electa ut ſol; quæ eſt liliũ conuallium, hortus cõcluſus, fœderis arca, Thronus Salomonis, anua cœli, paradiſus uoluptatis, & id, ex quo omnia, & quod continet omnia, Mater Dei. Quid non percipiet vir iuſtus gaudij, cum hęc beatiſſima Mater ei occurret? cum eum amplectetur? cum quibus officiis ab ea affectus fuerit, intelliget? Quo modo non replebitur gaudio, cum cernet matrem ſuam ſuper choros Angelorum euectam? cum uidebit omnes virgines ei ancillari, omnes martyres inſeruire, omnes ſanctos obſequi, omnes denique Angelos tanquam Reginę aſſiſtere? Quanta inſuper oblectatione afficietur, cum intuebitur, & alloquetur eum, cuius magnificentia eleuata eſt ſuper cœlos? eũ, qui eſt mediator, ſaluator, pacificator, ſummus ſacerdos, & Eccleſię caput: eum qui eſt pax, gaudium, iuſtitia, ſalus, & beatitudo ipſius: eum, qui eſt lumen, virtus, ſapiẽtia, & imago Patris: eum cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: eum, quem omnis ſpiritus laudat, om-

Cant. 6. *Pſal. 8.* *Heb. 9* *1. Tim. 4* *Eph. 2* *Phil. 2*

nis lingua confitetur, quem omnes beati
Colo. 1. adorant: eum, qui fecit omnia, pacificauit omnia, a quo, per quem, in quo sunt omnia. Quantum denique iubilabit, cum ad perfruendam diuinarum personarum societatem se peruenisse intelliget? cũ scriptum sit: Ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et, si esse cum filiis ho-
Ioa. 14. minum in hac vita, sunt deliciæ Dei; quan-
Pro. 8. to magis erunt Dei deliciæ, esse cum filiis suis in cœlo? Quod si Deus ex hac familiaritate delicias capit; quãto maiores iustus? Quamobrem, si in hac vita vnius, aut alterius amici societas tantum solet afferre lætitiæ, quantum tot sanctorum, tot Angelorum, B. Virginis, Christi, & Dei societas uiro iusto in cœlis delectationis afferet? O summam Dei bonitatem! O clementiam! quæ hominem ad tantas delectationes, ad tantam dignitatem, ad tantam gloriam extulit. O felicitatem inexplicabilem, & immensam! per quam vir iustus, intus forisque, animo & corpore, omnibus animi & corporis partibus, omni ex parte, erit perfectus, atque beatus. Hæc, si quis bona viro iusto proposita esse, & ad ea acquirenda verum ius habere cogitabit, ob tantam ipsius excellentiam, & dignitatem, omnino mirabitur. Ite nunc infelices huius sæculi

amatores, iactate vestras diuitias, vestras opes, vestra solatia: quæ imperfecta sunt, momentanea sunt, vana sunt: quæ statim vna vobiscum peribunt, & ad æternas, atq; inexplicabiles inferni pœnas perferendas vos trahent.

A gloria corporis, quam in resurrectione consequetur. Cap. XCVII.

Nihil non efficiunt in hac uita homines, ut suum mortale corpus, sanum, agile, integrum, ac pulchrum reddant: idque multo labore, multaque industria curant: & multo magis curarent, si qua ratione, in perpetuum illud cõseruare possent. Verum, dum nimium corpori indulgent, dum carnem diutius conseruare cõtendunt, & corpus, & animam in perpetuum perdunt. At uir iustus, dum laboribus, & ieiunijs corpus macerat, dum de sola animę integritate, & pulchritudine solicitus est; & animæ, & corporis summam perfectionem & immortalitatem acquirit: & interim cum seipsum uarijs modis conficit, hac se consolatur spe: Credo, quod redemptor meus uiuit; & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & in carne mea uidebo Deum saluatorem meum; *Iob. 19.*

quem uisurus sum ego ipse, & non alius; & oculi mei conspecturi sunt. Sed quale nam erit istud corpus, quo in uniuersali iudico coram omni carne, iustus apparebit? Viri iusti corpus erit configuratum
1.Cor.15. corpori claritatis Christi, secundum operationem, qua ēt possit subijcere sibi om-
Mat.17. nia: tale uidelicet, quale fuit corpus Christi in trasfiguratione. Iustorum ergo corpora, ut sacri scriptores docent, & ex diuinis colligitur literis, his quatuor præstantissimis erūt exornata dotibus; impassibilitate, claritate, agilitate, subtilitate;
1.Cor.15. Siquidē, corruptibile, fiet incorruptibile; ignobile, gloriosum; infirmum, solidum; & animale, Spirituale. Dote itaque impas
Ap. 21. sibilitatis beati corpus nullo modo corrū-
Isa. 49. pi, nulla ratione lędi, nō armis, nō æstu, non frigore, non dolore, non esurie, non siti, re denique nulla aduersa offendi poterit. Dote claritatis erit clarum, & lucidū, & ueluti sol fulgebit. Claritatem, inquit
Io. 12. 2.Cor.3. Christus Patri, quam tu dedisti mihi, dedi eis: quia in eandem imaginem transformantur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. Tunc, dixit, alibi huius
Mat.13. claritatis auctor, iusti fulgebunt sicut sol
Dan. 12. in regno patris eorum: & Daniel: Fulgebunt quasi splendor Firmamenti, & quasi stellæ

ſtellæ in perpetuas æternitates. Et alius pro pheta: Stellę autem dederunt lumen in cu ſtodijs ſuis, & lętatæ ſunt: uocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus: & luxerunt ei cum iucunditate: quia fecit illas. Fulgebunt er go tanquam ſtellæ: quia pro ratione meri torum, unus magis quam alter ſplendeſcet. Stella enim differt a ſtella in claritate, & ſic reſurrectio mortuorum. Quare, ſi ſtellarũ, ſi ſolis lumen nos tanta iucundi tate replet, quanta corporis iuſti ſplendor, uoluptate replebit? quia, ut ex ſcriptura colligitur, magis, quam ſol, iuſti corpus ſplendebit? Dote agilitatis, nulla afficietur grauitate; & ideo uno temporis momẽ to multa terrarum ſpatia percurrere, & ſine ulla difficultate moueri poterit: & nõ ſecus, ac oculi aſpectus, & mentis cogita tio ab occidente in orientem, a terra in cœ lum, ſtatim ſe conferet. Qui ſperant in Domino, ait Iſaias, mutabunt fortitudinẽ, & aſſument pennas, ſicut aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient. Dote denique ſubtilitatis abſque ulla difficultate omnia etiam duriſſima pe netrabit corpora: ita ut nulla quantumuis craſſa moles impeditura ſit: ſicuti nec aer auium volatum, nec aqua piſcium natatum impedit. Hac dote ſaluator ex utero Virgi-

Bar. 3. 1. Cor. 15. Iſa. 30. Iſa. 40.

Luc. 24. Io. 20. Virginis prodiuit, ex clauso sepulchro surrexit, clausis ianuis ad Apostolos intrauit. Harum perfectionum numerum, tum ex diui Pauli loco superius citato, tum ex his, quæ ex libro sapientiæ subijciam uerbis facile colligitur. Fulgebunt iusti, inquit sapiens, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. In fulgore ostenditur claritas: in scintilla impassibilitas: quia ignis incorruptibilis est: in cursu: agilitas: in arundineto penetrabilitas; quia arundines facile cedunt. Habebit itaque uiri iusti corpus has dotes; quarum claritas respondebit uirtuti prudentiæ, impassibilitas iustitiæ, agilitas fortitudini, subtilitas temperantiæ. Erit ergo sanum per incorruptionem, rectum & ordinatum, per claritatem, perfecte operabitur per agilitatem, & subtilitatem. Huius gloriæ spe, Christus, Apostolos, quos ad concionandum missurus erat, ad magnos labores perferendos in trasfiguratione excitauit. Merito hæc præmia uiro iusto dantur, qui se per incorruptibilitatem a corruptela peccati præseruauit: claritate sua, lumen alijs præbuit: subtilitatæ omnem difficultatem in agendo superauit; & ad operandum, agilitate, se promptum exhibuit. Siquis aliquod corpus his dotibus exornatum uideret, multum miraretur,

Sap. 7. D. Bonau.

Mat. 17.

zetur, atque summis laudibus illud exornaret: quod aliquando eueniet, cum iusti corpus in die resurrectionis ita dotatum apparebit. Hæc autem tota, quæ in corpore beato erit perfectio & gloria, nunc latet in anima iusti, quæ, potestate, omnes illas dotes continet. Siquidem beatitudo, quæ erit in corpore, redundabit ex beatitudine, quæ erit in anima; quæ dum in gratia existit, beatitudinis præmio digna est. Contempletur hoc loco Christianus lector humanũ corpus his diuinis dotibus exornatum, & tanta gloria affectum; quæ eiusmodi est, ut Apostolorum princeps, ubi eam in corpore Christi uidit, quãdam beatitudinem se nactum fuisse arbitratus fuerit, & dixerit: Domine bonum est nos hic esse, &c. & ipse quoque una cum Petro maxima admiratione afficietur, & ad eandem gloriam acquirendam excitabitur, atque quanta sit uiri iusti dignitas & præstantia, cognoscet: cum ad tantam gloriã ius habeat, eamque in anima sua gratia exornatam, potestate contineat. Latent ergo in mortali graui, obscuro, & hebeti iusti corpore, immortalitas, agilitas, claritas, atque penetrabilitas. Dicunt aliqui, & probabiliter dicunt, fore, ut beatorum corpora bene oleant. Quia si in hac

Mat. 17.

Cant. 43.

uita multæ ſanctorum reliquiæ, odorem ſpirant, cur non etiam poſt reſurrectionē, cum id, ad perfectionem corporis beati, & ad ſenſum odoratus perficiendum pertineat? At uero impiorum corpora turpia, nigra, obſcura, grauia, obtuſa, omnibus perpeſſionibus obnoxia, ac graueolentia, & denique omni prauitatum genere affe-
1.Cor.15. cta erunt. Iuſtus igitur ſolus ſaluatorem expectat, qui ipſius corpus reformabit, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem uirtutis ſuæ, qua etiam poſſit ſibi ſubijcere omnia.

A laudibus, quibus in die vniuerſalis iudicij a Chriſto exornabitur.
Cap. XCVIII.

Act. 5. CONgruam ſane eſt, ut qui pro nomine Chriſti contumelijs in hoc mundo affecti fuerint, ab eodem aliquando laudentur, ac honorentur: quod ſe facturum
Mat.10. eſſe hiſce ipſe uerbis pollicitus eſt: Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, hoc eſt, laudabo, & ego eum, coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Et alibi; Qui uicerit, ſic veſtietur veſtimē-
Apo. 3. tis albis, & non delebo nomen eius de libro uitæ: & confitebor nomen eius coram

Patre

Patre meo, & coram Angelis eiûs. Lauda bit itaque Christus, tanquam bonus Impe rator in die Iudicij suos strenuos, ac victo riosos milites; qui pro ipsius gloria, vituperari, derideri, despici, & iniuria affici, libenter passi sunt: ac fortasse aliquid simile eis dicet: Hi sunt, qui Patris, & meam gloriam semper quæsiuerunt: hi sunt, qui mundum, Dæmonem, ac carnem superarunt: hi sunt qui obturarũt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fugarunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum: hi tentati sunt, secti sunt, lapidati sunt, gladio mortui sũt: hi sunt, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones: hi deniq; in me omnia miseri cordiæ opera exercuerũt; cũ panẽ & potũ mihi dederint, me nudum vestiuerint, infirmum inuiserint, hospitio exceperint, me sepeliuerint, & ex carcere redemerint. Et ad iustos conuersus, dicet: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis, super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Sed, quis potest exco-

Heb. 11.

Luc. 22.

gitare verba, quibus infinita Christi sapien
tia suos milites, amicos, fratres, & filios
exornabit? Hanc laudem, non modo lau-
datoris persona, sed & audientium coro-
na, mirum in modum amplificabit. Siqui-
dem, a filio Dei, coram vniuersis homini-
bus & Angelis iustus prædicabitur. In hũc
Ose.1. locum venit illud Oseæ: Et erit numerus
filiorum Israel, quasi arena maris, quæ sine
mensura est, & non numerabitur. Et erit in
loco ubi dicetur eis: Non populus meus
uos: dicetur eis, Filij Dei viuentis. Huc
Lib.4. c.2. etiam pertinent, quę Angelus Esdræ de tur
ba magna, quam viderat interroganti, re-
spondit. Hi sunt, qui mortalem tunicam
deposuerunt: & confessi sunt nomen Dei.
Modo coronantur, & accipiunt palmas. Et
cum interrogasset, quis eis daret palmam,
dixit: Ipse est filius Dei, quem in sæculo
confessi sunt. Cedant hoc loco humani ho
nores, cedant humanæ laudes, cedant mor
Pro.31. talium encomia. Fallax gratia, & vana est
pulchritudo; mulier timens Dominum ip-
sa laudabitur. Date ei de fructu manuum
suarum, & laudent in portis opera eius.
Psalm.36. Quamobrem nõ confundetur iustus in die
malo; quandoquidem etiam mali, velint,
nolint ipsum laudabunt. Quoniam im-
pij, cum iustos tanta laude, tantaque gloria
affectos

affectos viderint, dicent: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, &c. Et, vt iusti summa laude, ita impij maxima ignominia corã omnibus Angelis, & hominibus a Christo afficientur: qui, id se facturum aliquando, hisce verbis, prædixit: Nam, qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Tunc, qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Tunc sapientia incarnata dicet. Vos uocaui, uobis spiritum meum promisi, uobis manum meam extendi, & renuistis, & neglexistis, & despexistis: Et ego, nunc in hoc uestro interitu, vos rideo, subsanno, & nõ exaudio. Ite nunc, comedite fructus uiarum vestrarum. Quanta hic verecundia? quantoq; dolore impij afficientur? & ideo ex nimio pudore confusi, oculos in terram deijcient: quod prædixit propheta, cum cecinit. Non resurgent impij in iudicio; hoc est, præ pudore oculos non attollent,

Sap. 5. Luc. 11. Psal. 2. Pro. 1. Psal. 1.

stare

Sap. 5. ſtare nō poterunt. Iuſti vero ſtabunt in magna conſtantia. Hic locus, non tam uerbis tractandus, quam cogitatione pendendus eſt. Nam, ſi tantum triſtamur, cum ab homine, nec grauiter, nec palā vituperamur; quantum triſtabuntur, qui a Dei filio grauiſſime coram omnibus hominibus, & Angelis uituperabuntur? Qua deinde impij anima afficietur verecundia, quādo occulta ipſius ſcelera in apertum proferentur? quod Deus ſe facturum non ſemel minatus eſt.

Ezec. 16. Ecce ego, inquit per Ezechielē, congregabo omnes amatores tuos, quibus cōmixta es, & omnes quos dilexiſti, cum vniuerſis quos oderas; & congregabo eos ſuper te undiq;, & nudabo ignominiam tuā coram eis: & uidebunt omnem turpitudinem tuam. Et iudicabo te iudicijs adulterarum effundentium ſanguinem: & dabo te in ſanguinem furoris, & zeli. Et dabo te in manus eorum, & deſtruent lupanar tuū, & demolientur proſtibulum tuum: & denū dabunt te ueſtimentis tuis, & auferent uaſa decoris tui, & derelinquent te nudā, plenamque ignominiæ.

Nahum 3. Et alibi: Et reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, &c.

Ier. 13. Ideo alibi legitur: Ego nudaui femora tua contra faciem tuam, & ap-

parebit

parebit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus; scelus fornicationis tuæ. En igitur quam dispar, & quam diuersa erit tandem iustorum, & iniustorum condicio: quam, si homines accurate cogitarent, qui nollet iustitiam sequi, esset nemo. Quare, cum exarserit in breui ira Dei, beati omnes qui confidunt in eo. *Psal. 2.*

Vir iustus, vna cum Christo, mundum iudicabit. *Cap.* XCIX.

MAximam profecto gloriam, amplissimum sane præmium ex sua iustitia reportabit iustus; cum a Dei filio in illo amplissimo omnium creaturarum, cœtu, laudabitur: sed, quiddam maius adhuc restat; si tamen, ista laude aliquid maius reperiri potest. Id autem est, quod ad iudicialem dignitatem assumetur; quia una cum Christo, mundum iudicabit. Id scriptura ipsa docet: Et uidi, ait Ioãnes in sacra Apocalypsi, Angelum stantem in sole, & clamaui uoce magna dicẽs omnibus auibus, quæ uolabant per medium cœli: Venite & congregamini ad cœnam magni Dei, ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & sedentium in ipsis, & carnes omnium li- *Apo. 19.*

berorum,& seruorum,& pusillorum,& magnorum. Aues uolantes, sunt electi, qui per contemplationem in cœlis uersantur: qui uocantur ad cęnam magnam, ubi satiabũtur ultione impiorum, quam summopere desiderant: & ita congregati una cũ Christo, principes terræ, & improbos, punient. Ad hanc itaque cœnam, qui esuriunt & sitiunt iustitiam saturabuntur. Eandem ueritatem Dauid propheta manifestauit, cum
Psal. 149. de beatis cecinit: Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: Ad faciendam uindictam in nationibus, increpationes in populis: Ad alligãdos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: Vt faciant in eis iudicium conscriptum: Gloria hæc, est omnibus sanctis eius. Quæ uerba, quem non afficiant? quem non commoueant? quem in admirationem non rapiant? Cum hęc sit gloria omnibus sanctis, vt iudicium faciant, de nationibus, de populis, de nobi-
1. Cor. 6. libus, & regibus suis. Nescitis, inquit Paulus, quoniam angelos, hoc est Dæmones,
Mat. 19. iudicabimus? Postremo, is apud quem est omnis iudiciaria potestas, sequentibus se, cum quærerent, quid eis futurum esset, dixit: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit fi-
lius

lius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Dabit ergo Chriſtus uincẽtibus ſedere in throno ſuo: *Apo.3.* & ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum &c. Quamobrem, indubitata res eſt, fore aliquando, ut ruſticus ciuem, cliens patronum, ſeruus dominum, diſcipulus magiſtrum, miles ducem, reus iudicem, nobilis regem, ouis denique paſtorem iudicet ſuum. Erit erit aliquando, cum baiulus, cum opilio, cum agaſo nationes iudicabunt: cum ſerui dominos compedibus ligabunt, manicis fereris conſtringent, & pedibus conculcabunt; *Mala. 4.* cum eorum carnes manducabunt, ſanguinem potabunt, ac una cum Dei Filio contra eos ſententiam pronuntiabunt. *Mat. 19.* Tunc dicere licebit: Lux, & ſol ortus eſt; & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos. *Eſther. 11.* Quod ſi non vultis, o iudices, o domini, o reges, vt aliquando veſtri famuli, & vobis ſubiecti homines vos iudicent; nunc intelligite, & erudimini: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: *Pſal. 2.* Apprehendite diſciplinã, hoc eſt chriſtianam viuendi rationem, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de

via iusta. Audient ergo iusti, inprimis, illam iucundissimam iusti iudicis erga ip-
Mat. 25. sos sententiam: Venite benedicti Patris mei, possidete uobis paratum regnum a cõstitutione mundi. Quo loco licet, cũ quodam pio viro exclamare: O uox omni melle dulcior, omni cibo suauior, omni auro desiderabilior, omni terreno regno felicior? vox perpetui gaudij, immensę, lætitiæ, cœlestis iucunditatis: vox omnia superãs desideria, omni voto maior, omni spe plenior. Vere benedicti, uere beati, uere fortunatissimi, illi, quibus talẽ, ac tnatã, tali, & tanto, de tali, & tanta re sententiam, audire licebit. Contra uero, o infelices, & miseros, & miserabiles eos, in quos hanc infaustam, infestam, & tremendam sententiam, omnes beati, & suo etiam modo omnes creaturæ, vna cum Christo pronuntia-
Mat. 25. bunt: Discedite a me maledicti in ignem
Luc. 13. æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Perpende, pie lector, singula huius sententiæ verba. Quid infelicius, quã in perpetuum a Christo discedere? Quid acerbius quam in ignem proficisci? quid miserabilius, quam nullum acerbissimarũ pœnarum finem sperare? quid calamitosi-
Sapi. 1. us, quam perpetuo cum diabolo esse? O dies? vere dies iræ, tribulationis, angu-
stiæ,

ſtiæ, calamitatis, miſeriæ,tenebrarum, caliginis, nebulæ, & turbinis; dies vere magna, & amara ualde. Hac percuſſi ſententia, miſeri damnati dicent montibus; cadite ſuper nos: & quærent mortem, ſed non inuenient. Tunc, Dæmones omnes, & mundus totus, contra inſenſatos armatus, diuinam exequetur ſententiam. Quod ſi ex ſummo iudice peteres, cur tanto honore iuſtos afficiat, ſic arbitror reſponderet: Quia mandata mea ſeruarunt: quoniam ſcriptum eſt: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hi ergo, quia unum coluere Deum, falſo non iurarunt, dies feſtos cuſtodiuerũt, parentes honorarunt, alienum non cupiuerunt, caſtitatem ſeruarunt, & Deum ſuper omnia, & proximũ ut ſeipſos armarunt, tanto digni ſunt præmio: hi qui fleuerunt, uigilarunt, laborarunt, pugnarunt, & uicerunt tanta digni ſunt mercede, quam ego iuſtus iudex eis tribuere debeo: ac propterea eis dico: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratũ uobis regnum a conſtitutione mundi. Iuſtus itaque dum in hac uita miſeretur, & commodat, cauſam ſuam in iudicio diſcutiendam recte diſponit: dum diſperdit, & dat pauperibus; dum ſuper paupere & egeno intelligit: propterea paratum eſt

Sap. 5. Iob. 21. Sap. 5. Mat. 18. 2. Tim. 4. Mat. 25. Psal. 111.

cor eius ſperare in Domino: non commo uebitur in æternum: in æterna erit memoria: iuſtitia eius manebit in ſæculum ſæculi: cornu eius exaltabitur in gloria: ab auditione mala non timebit: quia quamuis peccator uidebit, & iraſcetur, dentibus fremet, & tabeſcet: tamen, deſiderium peccatorum peribit.

A glorioſiſſimo triumpho, quem vna cum Chriſto, & omnibus beatis poſt diem iudicij aget. Cap. C.

VBi ſententia in impios lata fuerit, miſeri damnati, qua mente, quo erunt animo? quid conſilij capient? quid agêt? quo ſe uertent? Supra ſe iudicem iratum, ſub ſe ignem paratum uidebunt: ad unum latus Dæmones, ad cruciandum paratos, ad alterum creaturas omnes contra ſe armatas conſpicient: intus vero conſcientia eos arrodet. Quos tunc clamores, quos flebiles ſonos edent? Heu, heu, heu, tunc dicet terra. Tunc ſeipſos pugnis cædent, vnguibus lacerabunt, manibus capillos carpent: tunc palleſcent, langueſcent, toto corpore contremiſcent, & agitabunt, ac diſtorquebunt ſe: Tunc in eos Dæmones inſultabunt: nefanda eis crimina obiicient eos

Sap. 5.

de-

deridebunt: formis horrificis, ac uocibus perterrefacient: Tunc dicent: Ecce, ut ij, quos insensatos esse existimauimus, inter Dei amicos computati sunt: nos uero, uere insensati, inter angelos diaboli reiecti sumus. Vbi nunc sunt nostrę diuitiæ? ubi nostri honores? ubi nostra commoda? ubi nostræ uoluptates? transiuerunt omnia, perierunt omnia, in nostros cruciatus conuersa sunt omnia. Maledicta nox, in qua concepti sumus: maledicta dies, in qua nati sumus: maledicta mors, quæ nos iam natos non sustulit: maledicti parentes, qui nos nutriuerunt. At Dæmones, cruciandi eos desiderio ardentes, dicent: Quid frustra lamentamini? Sera, & inutilis est uestra pœnitentia, reprobati estis: damnati estis; nostri estis: quid cunctamini? quid moramini? properate iam in ignem æternum, qui & nobis, & uobis paratus est: Atque ita, ignitis catenis, manibus, collo & pedibus ligatis ad æterna supplicia, in stagnum ardentem igne, & sulphure, eos trahent. Hæc beati uidebunt, & audient, & una cum sapientia incarnata ridebunt, ac subsannabunt. Post hæc maximus parabitur triumphus, in quo iustus una cum Christo in cœlum anima & corpore, uictis omnibus inimicis triumphabit, ac no-

Sap. 5

Sap. 5

Mat. 25

Prou. 1

uis iterũ honoribus, & gaudiis afficietur.
Expurgato itaque hoc uniuerso mundo a
fæcibus peccatorum, & sordibus omnibus
vna cum impiis in inferni sentinam proie-
Isa. 30 ctis, omnia fient noua. Terra noua, mare
Apo. 21 nouum, aer nouus, ignis nouus, cœli noui;
2. Pet. 3 lux lunæ erit sicut solis, & lux solis septem-
pliciter, sicut lux septem dierũ. Tunc Chri
sti imperium, potestas, & gloria perfecte
cognoscetur: tunc omne genu ei curua-
Isa. 45 bitur: tunc, qui Christo, & regno eius fue
runt contrarij, eum timebunt, & reuere-
buntur, nimirum gentiles, Iudæi, hęretici,
& peccatores omnes: tunc omni ex parte
eius regnum perfectum erit: cum inimici
eius erunt Scabellum pedum eius: & ipse
Psa. 109. calcabit torcular uini furoris iræ Dei om-
nipotentis: tunc uidebunt impij in femo-
Apo. 19 re eius, quem contempserunt, scriptum:
Rex regum, & Dominus dominantium.
Omnibus inimicis hunc in modum subá-
ctis, rebus omnibus innouatis, maxima cũ
pompa gloriosissimus agetur triumphus.
Crucis lignum, a quo Dominus regnauit,
Psal. 95 tanquam insigne, pręcedet: Sequentur An
geli, qui vicerunt in sanguine Agni, patriar
che, prophetę, & cæteri, qui biberunt de
consequente eos petra. Veniet deinde Im-
perator, & Seruator omnium, suis stipatus

Apo-

Apoſtolis. Subſequentur martyres, uirgines, confeſſores, doctores, & reliqua beatorum multitudo. Qui cantus? quæ laudes hic exaudientur? Qui uoce præibit, dicet: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Dominũ puſilli, & magni: & tunc audietur uox ueluti tubæ, & aquarum multarum, dicentium: Alleluia: Quoniam regnauit Dominus Deus omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia uenerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe. Magna, & mirabilia ſunt opera tua, Dominus Deus omnipotens: iuſtæ, & veræ ſunt uiæ tuę, Domine rex ſæculorum. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt: ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Cum autem ad thronum antiqui dierum uentum fuerit, dabitur Filio hominis poteſtas, & honor, & regnum; & omnes populi, & linguę ipſi inſeruient: poteſtas eius, poteſtas ęterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. De his autem, qui cum Chriſto regnabunt, ſcriptum eſt: Suſcipiẽt autem regnum Sancti Dei altiſſimi, & obtinebunt regnum vſque in ſæculum, & in ſęcula ſæculorũ. Et animaduertentes quãtam gloriam a Deo acceperint, magna uo-

Apo. 11 Pſa. 19 Apo. 19 Apo. 21 Dan. 7 Apo. 5 Apo. 7

ce clamabunt, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno: Et mittentes coronas suas ante thronum, adorabunt Deum, ac dicent: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & uirtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula
Apo. 4 sæculorum. Amen. Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & uirtutem.
Psal. 109. Postremo Angelorum ruinę reparabuntur, & singuli in thronis, & sedibus suis collocabuntur, & in perpetuū in cubilibus suis
Psal. 149. lętabūtur. Ex his ergo, quæ hoc capite scripta sunt, quam dispares sint impiorum, ac iustorum fines, satis aperte colligere licet. Illorum miseria & pœna inexplicabilis; horum uero felicitas & gaudium inenarrabile. Erit erit aliquando, cum impius uidebit uirum iustum ad dexteram Christi in extremo iudicio stantem, sententiam ferentem, in cœlum cum Christo, & infinita illa beatorum acie gloriose ascendentem, ut cum eodem in illo felicissimo regno, per infinita sęcula regnet. Ex his igitur omnibus, quę per centum capita disputata sunt, qualis ac quāta, sit uiri iusti dignitas, præstantia, atque felicitas, aliqua ratione cognoscere licet: qui, antequam nasceretur, fuit a Deo speciatim cognitus, dilectus, & præsignatus: In natiuitate, vera nobilita-

te,

te, diuino ſtatu, ampliſſimis titulis, donatus; & in uita omni bonorum genere, ueris diuitiis, vera pulchritudine, vera ſapientia, & ſcientia, omnibuſque uirtutibus naturalibus, & diuinis exornatus, & ppolitus, atque ab optimo magiſtro, inſtructus: qui amicis, & familiaribus optimis vtitur: qui ampliſſimis honoribus, & laudibus ob maximas victorias, ob præclara facinora, exornatur: qui in morte felix, poſt mortem feliciſſimus exiſtit: cui denique omnia proſpere, & feliciter ſuccedunt: vt nullam vel perfectionis, vel laudis, vel felicitatis rationẽ ante vitam, in vita, & poſt vitam excogitare poſſis, quam in viro iuſto tibi reperire non liceat. Laudentur ergo viri iuſti, viri virtute abundantes, pulchritudinis ſtudioſi, pacis amatores, & in generationibus ſuis glorioſi: quorum corpora in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuit in generationẽ & generationem. Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia. *Ecci. 44*

Appen-

Appendix, qua demonstratur facile esse iustitiam acquirere, & Christiane viuere.



Vanta sit iustorum dignitas, quibus laudibus celebrandi sint, quam felix sit ipsorum status, hac nostra Cẽturia ut potuimus, non vt res ipsa, quod ingenue fatemur, postulabat, demonstrauimus. Quod si quis ex his, quæ a nobis scripta sunt, non modo ad prædicandos, & honorandos viros iustos, verumetiam ad iustitiam acquirendam excitati sunt, sed quia rem omnino difficilem esse putant, & difficultate perterriti, tam illustrem, ac necessariam prouinciam aggredi timent; conabor ipsorum causa, hac appendice huic impedimento breuiter occurrere. Licet ergo non negem ad iustitiam, vel acquirendam, vel conseruandam non mediocri opus esse contentione: tamen, id etiam affirmo, rem non eße ita difficilem, vt non sit verum, quod ipsa veritas dixit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue: ut multo difficilius eße putem, turpiter, quam honeste uiuere: quod hac appendice breuiter demonstrare tentabo: quo fiet, ut hic diuinus status a facilitate iterum laudetur; & homines ad illum acquirendum adhuc magis excitentur. Præstantissimus gradus est

Matt. 11.

impera-

imperatoria dignitas; ſed cum difficile, & a paucis acquiri poſſit, pauci ſunt, qui ad eum contendant: at ſi, vt ex iam dictis conſtat, iuſtitiæ ſtatus eſt longe præſtantior, ſi etiam facile acquiri poterit; quis erit tam iners, ac demens, qui acquirere nolit? ſed iam rem aggrediamur ipſam. Iuſtitiæ Chriſtianæ ſubſtantia atque natura, conſiſtit in gratia, quæ eſt donum Dei; ad quod dandum Deus eſt paratiſſimus; & non poteſt, non dare; cum ſe daturum promiſerit. Ego Deus, & non mutor; hoc eſt, promiſſa facio: ideo legimus: Gratiam, & gloriam dabit Dominus: ad quam accipiendam omnes inuitat, cum per prophetam ait: Omnes ſitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentum properate; emite, & comedite: uenite, emite absque argento, & absque vlla commutatione uinum, & lac. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & uiuat. Et, ne pluribus rem apertiſſimam confirmemus, certa fide tenendum eſt, Deum gratiam dare uelle, eamque accipere uolentibus dare. Reſtat ergo, ut homo ad eam recipiendam ſe diſponat; quod Deus ab hominibus requirit, cum ait: conuertimini ad me. Siquidem ſapiēter a quodam ſancto ſcriptum fuit: Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Hæc diſpoſitio, quæ gratiam, qua homo fit iuſtus præire debet; partim

Rom. 7.
Pſalm. 83.
Iſa. 55.
Apo. 2.
Iſa 45.
Eze. 18.
Eze. 33.

tim ab auxilio pēdet diuino, partim uero a cōsensu, atq; conatu humano. Quod Deus id præstet, quod ipse præstare debet, ut humana mens sufficienter ad gratiam excipiendam præparetur, exploratissimum est: quia, Stat ad ostium, & pulsat: quotidie inuitat, uocat, atque auxiliorum efficientia impellit: ita ut dicat: Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ: & nō feci? & alibi: Perditio tua ex te Israel. Itaque die iudicij, singulis, qui sua culpa damnabuntur, Deus dicere poterit: Quid ultra debui facere ad saluandum te, & non feci? Nulla ergo ex parte Dei, qui est infinite bonus, potens, & sapiens; & ideo vult, & potest, & scit hominem saluare, & nihil non efficit, vt saluet, cum eum hac de causa creauerit, & de hominum morte non delectetur, erit dubitatio, vel difficultas. Restat igitur, ut demonstremus rem esse factu facilem ex parte hominis. Via qua ad hunc iustitiæ statum peruenitur, est diuinorum præceptorum custodia: quæ præcepta seruari non posse, nemo qui recte sapiat, dicere audebit. Etenim, a ueritate æterna dictum fuisse legimus. Iugum meum suaue, & onus meum leue. Et alibi: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum ualet ad cęlum ascendere ut deferat illud ad nos, ut audiamus, & opere

Apo. 3. *Isa. 5.* *Ose. 13.* *Isa. 5.* *Sap. 1.* *Mat. 19.* *Matt 11.* *Deut. 30.*

comple-

compleamus? &c. Quid clarius? quid apertius dici potest? Quis ergo affirmare audebit, Deum tanquam insipientem, & iniustum homi num ceruicibus onus imposuisse, quod ferre nequeant? Denique, lex gratiæ, est lex amoris: & ad quid homo est magis inclinatus, atq; propensus, quam ad amandum? & quid dulcius, & facilius est, quam amare? præsertim Deum, ad quem amandum, natura nos impellit, & sexcentæ rationes mouent: quem, qui amabit, amabit etiam proximum eiusdem naturæ participem, & ad eundem finem factum; quem qui non amat, ex hominum numero reijciendus est. Via igitur plana est, & si Dei auxilia, & naturæ propensionem spectes, haud difficile pertrãsiri poterit. Vis cognoscere, o homo, te maxima momenta habere ad bene, beateque uiuendum? animaduerte initia, & semina illa tibi a Deo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, indita; rationes uidelicet illas, per quas certissime quędam cognoscis, ac omnino uis: ex quibus notionibus, tanquam ex quibusdam fontibus, omnibus honesta dimanat operatio. Vt ecce: bonũ esse amandum: honestum esse amplectendum: quod tibi non uis, alteri ne feceris. Quibus luminibus, si quis uteretur, omnia præcepta opitulante Deo, facile seruaret, Diuinum numen coleret, parentes honoraret, alienum Ioan.1. Psal.4.

non

non furaretur, nullam denique iniuriam cuipiam faceret. Hæc, si quis custodiret præcepta, & quantum in se est, præstaret, proculdubio gratiam consequeretur; quam facienti quod in se est, Deus utique concedit. Ad hæc, quibus nam rebus homines in hac vita capiuntur? quæ facile amant, ac sequuntur? nonne ea, quæ, vel utilitatis, uel voluptatis, vel honestis aliquam speciem habent? his enim rebus tota uis boni, quod omnes necessariò amant, cõtinetur: quæ omnes boni partes in una recta uiuendi ratione, in iustitia, & uita Christiana, clauduntur. Nam, quid utilius? quid iucundius? quid honestius inueniri, aut excogitari potest, quam ex uirtute viuere? quam Deum timere? qua in re, & honestas, quod negari minime potest, & utilitas, quod etiam stultissimus quisque fateretur, & delectatio summa, ut ex his, quæ iam scripsimus patet, continentur: vt uere philosophi dixerint, unam uirtutem eße bonum, per se honestum, vtile, & delectabile. Cum ergo omnia bona in una uirtute & in uno iustitiæ statu tibi proposita sint cur iustitiam acquirere omnino arduum esse existimabis? cum ad bonum amandum, natura te inclinet: immo velis, nolis te impellat; cur non amabis bonum in quo omnis ratio boni inclusa est? Dic? quid facilius est, aut cum suauitate, naturæ propensionem sequi,

aut

aut contra naturæ vim, contendere velle? Sed dices: natura est vitiata: & sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Fateor, naturam non habere eam vim, quam habuit, cum a Deo creata fuit; sed tamen, non est corrupta, licet sit debilitata: Nam, si uim intelligendi spectemus; notiones & prima a natura insita lumina in quibus est vis maxima, si quis illis utatur, clara sunt, extingui non possunt, aliquam lucem præbent. Habes deinde diuinam legem, quæ est veluti lucerna pedibus tuis, quę tibi uiam ostendit, & quo iturus sis indicat. Habes postremo lumen fidei, de quo scriptum est: In lumine tuo videbimus lumen. Si uoluntatem spectes, uoluntas in bonum fertur, idque necessario appetit. Quod si ullum bonorum genus appetere debet, maxime illud, in quo tota vis boni, honesti, vtilis, & delectabilis sita est. Sustentatur deinde multis auxilijs, de quibus dicetur postea. Postremo, vt primi parẽtis peccatum naturam debilitauit, ita Christi meritum eam instaurauit; & superabundauit gratia, ubi abundauit delictum. Quare, qui ea muniti sunt, dicere possunt: In Deo meo trasgrediar murum: Non timebo millia populi circundantis me; Omnia possum in eo, qui me confortat: Plures sunt pro nobis, quã contra nos. Non igitur destitutę sunt vires, qui-

Gen. 8.
Psal. 118
Psal. 35.
Rom.
Psal. 17.
Psal. 3.
Phil. 4.

bus ad bene agendum opus est; intelligendi uidelicet, & appetendi facultates. Itaque animaduerte, ne dum naturam excusas, vel accusas, erres. Quia fortasse, tu eam malis habitibus deprauasti; dum uarijs flagitijs ab adolescētia tua operam nauasti, quibus, ad malum pronior, & ad bonum ineptior redditur:& ideo dicitur, prona ab adolescentia: quia ab hac usq; ætate homines male agere incipiunt, ac proinde eam inflectunt, & ineptiorem ad honeste uiuendum reddunt. Remoue ergo uitia, quæ non sunt naturæ, sed tua; & tunc senties, an ad uirtutem sis propensus; an natura iustitiam sitiat. Habes alas, & uolare nequis; & quid mirum, si ad pedes pondus ligasti? solue ligamina, remoue pondera, & uidebis, an natura te ad bonum inclinet. Vide deinde quibus auxiliis debilitatam naturā Deus sustentet: pijs libris, sacris literis, uarijs sacramentis, concionatoribus, patribus spiritualibus, tribulationibus, afflatibus & singularibus gratijs; ad summam, ita iuuat, ut trahere, compellere, & cogere dicatur. Luc. 14. *Mitto hoc loco, Angelorum, & sanctorum, ac totius Ecclesiæ orationes: mitto priuatam curā Angeli custodis, qui nihil non agit, vt te iuuet: mitto præsidia maxima & efficacissima beatissimæ semper Virginis; quæ talia ac tanta sunt, ut quidam dixerit eum non posse perire;*

qui

qui ab hoc peccatorum refugio, non fuerit de-spectus: ab hac pia Matre, quæ contra nostros inimicos est terribilis, ut castrorũ acies ordinata: quæ est mater pulchrę dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctę spei, quam qui inuenit, inueniet uitam, & hauriet salutem a Domino. Adsunt ergo auxilia, & quidem maxima. Quid igitur tot auxilijs, piorum uirorum, Ecclesiæ, sanctorum, Angelorũ, beatæ Virginis, Christi, & Dei fulctus, tāta spe nixus, rem tanti momenti, in qua de veris diuitijs, de regno, de honore, de fama, de vita & de gloria æterna agitur, non aggrederis? Si difficultas te retardat, cur tanti boni magnitudo, non te impellit? sines te ab inimicis, fallacibus bonis trahi; ab amicis autẽ, & a Deo, veris bonis moueri non permittes? Nec te honesti labor deterreat, quin bene agas: Quia, honesti labor abit, ipsum vero honestum permanet: neque voluptas, quę ex turpi capitur, te moueat: quoniam voluptas volat, & turpitudinis macula animo hęret. Breui, & turpi, falsaque voluptate deceptus, immensi, & ęterni boni iacturam facies? pluris fugax solatium, cuius statim te pœnitebit, quam honorem, & famam, beatitudinemq; & Deum denique ipsum pendes? Tanti emes vnum pœnitere? hoc est, tantum detrimenti, ob vnum peccatum,, cuius statim te pœnitebit

Can. 4.
Ecci. 24.
Pro. 8.

capies? Propterea quidam sapiens, sapienter monebat; ne quis gustare uellet eorum, quę caudam habent nigram, ut omnes falsę uoluptates habent, quarum finis mestitiam semper affert. Voluptas monstrum est, cuius primus aspectus est fucatę mulieris, reliquum vero corpus, horridi serpentis: allicit te prospectu primo, ut postea, cauda te inuoluat, & ueneno inficiat. Specta igitur hoc monstrum, hoc est uoluptatem, non uenientem, sed abeuntem; auerte oculos a fucata facie, & cerne caudam, & fugiendam esse iudicabis, eam, quæ te captatum venit. Quamobrem, cum Deus tibi presto sit, cum te præueniat, cum natura non sit destituta, cũ auxilia non desint, cur rem non aggrederis? quid cunctaris? Times ne fortasse inimicos? eorum te terret potentia? sed nihil est, cur eos timeas. Nam, si de mundo loquamur, in primis, fidem habes,
Hebr. 11. per quam sancti vicerunt regna, & mundum;
1. Ioa. 5. qua cum, tu itidem uincere poteris. Deinde,
Ioan. 17. mundus iam victus est: confidite, inquit Imperator tuus; ego uici mundum. Quid ergo uictum inimicum times? cur a uicto ne vincaris formidas? non te pudebit uicto hosti victas manus dare? Preterea, si omnia quę tibi hic fallax inimicus pollicetur, omnes videlicet honores, omnes dignitates, omnes opes, & mundum ipsum lucratus fueris, quid tibi proderit,

si animę tuę detrimentum patieris? Repete memoria, honores Pompei, dignitates Cęsaris, gloriā Alexandri, diuitias Crassi, delicias Sardanapali, & uide, quid illis hæc profuerint. Cogita sententiam sępe cogitatione tractandā, quam diuus Hieronymus literis commendauit: Omne quod aliquo fine clauditur, uanum puto. Cum ex hac uita abibis, non ne omnia e manibus decident? non ne omnia ab oculis euanescent? nihil nihil, tunc inueniens in manibus tuis. Dic cum Salomone, qui omnibus commodis, & bonis, quę desiderari possunt, vsus fuerat, in quibus omnibus vanitatem reperit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, pręter quam timere Deum, & eius mandata seruare: hoc enim est omnis homo, idest, hac vna re perficitur homo; & qui hoc vnum adeptus est, quidquid in hac vita est boni & pulchri, quidquid est honesti, utilis & delectabilis, habet. Siquidem in hoc timore, in hac iustitia, ut ex his quę per centum capita a nobis disputata sunt constat, omnia continentur bona. Conuerte tu oculos ad eas vluptates, ad eaque commoda, quibus hactenus vsus es: vbi nunc sūt? nonne abierunt? & ut ista euanuerunt, ita etiam, ea quibus nunc potiris, & posthac potieris, euanescent. Quem nunc fructum capis ex voluptatibus iam captis, nisi erubescentiā, & dolorem? si omnes homines, qui ab Adam,

Mat. 16.

Ecc. ult.

Eccl. ult.

Ro. 6.

ad hanc vsque horam mortui sunt, interrogãtes, quid de hoc mundo sentirent; quid putas responderent? vno, mihi crede, ore, dicerent:

1. Ioan. 2. Vanus est mundus; & quæ in eo sunt, ambitio, opes, & fœda voluptas, vanissima. Quoties legimus homines, qui in hac vita omniũ rerum copia muniti, & omni honorum genere ornati fuerunt, ubi ad extremum vitæ venerunt, oculis mentis, quos prius clausos habuere apertis, mundi vanitatem vidisse, ac exclamasse: O mundum vanum? sed in vanis, vani homines, mundi vanitatem in extrema hora cognoscunt. Laruatus est mundus, remouẽdę sunt laruę, vt eius vanitas melius videri queat. Facile igitur tibi erit, hunc vanum vincere inimicum: quem, qui non vincit, uanus omnino est, & cerebro utitur vano. Verũ, si quis mundi causam agere vellet, dicere posset, mundum non esse vanum; sed homines ipsos uanos esse, qui uolunt in mundo ea reperire, quę in eo non sunt, & mundum id prębere credunt, quod non habet. Neque enim uani sunt honores, neque diuitiæ, neque corporis bona; si quis, hæc ita amet, ut amari debent, & ita ijs utatur, ut oportet. Sed, de hac re latius disserendi non est hic locus. De diabolo: Diabolus, is est inimicus, qui nõ potest vincere, nisi volentem uincit: eius uires debilitatę sunt: eiectus est foras: si quid põt tñt põt quantũ

Deus

Deus ei permitit: qui non sinit suos tentari supra id, quod possunt. Tentatio est extrinseca; proponere occasionem potest, mouere ad peccandum non potest. At Deus, ad bene agendum, te vocat, te mouet, te impellit. Quid ergo potius Dæmoni, quam Deo consentis? Dæmon tibi dicet; mitte te deorsum; cade, & adora me; & iniquum hostẽ tam magnum casum proponentem, et ruinam tuam quærentem, audies? Deo, te ad cœlum, & ad participationẽ diuinitatis excitanti, & vocanti, & impellenti non obedies? Adest tibi Angelus custos, cui mandatum est, ut custodiat te; adest Christus, adest Deus, cuius tutela fulctus, dic cum Iob: cuiusuis manus pugnet contra me. Non potuit Dæmon absque facultate a Christo concessa in porcos ingredi; poterit fortaßе, ni tu volueris, te perdere? vilißimus hostis est Dæmon, si ei frontem ostendas; si eius primis insultibus resistas. Allatrat, sed non mordet: rugit, sed non deuorat: cibum porrigit, sed non cogit: inuitat, sed non impellit: & tandem non uincit, nisi volentem. Super aspidem ergo, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem: cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, si præsidijs tibi concessis uti volueris. Restat caro; qui inimicus, eo magis est timendus, quod est domesticus, & internus. Hunc inimicum

1.Cor.10 · Luc. 14. · Matt. 4. · Psal. 19. · Iob. 17. · Luc. 8. · Psal. 90.

vinces, si semel intellexeris, quam turpe sit, animam natura præstantissimam, & carne longe nobiliorem, carni inseruire: quod facere, est more belluarum uiuere. Sunt deinde in promptu, uigilię, labores, & ieiunia, quibus carnis motus comprimuntur, & perturbationes frænantur. Dic prçterea carni te ad vitia excitanti: expedit tibi, o caro, ut spiritui inseruias: Vita siquidem longiore, & iucundiore vteris, & ab æternis cruciatibus liberaberis: si paululum sustinebis, in æternum summis voluptatibus perfrueris. Seruiat igitur caro spiritui, corpus animo, ancilla dominę: homo hominem uiuat, non bestiam. Amplius, ut semel intelligas, utra sit difficilior viuēdi rō viri boni, an improbi; pone tibi ob ocu los duos, quorum alter Christo, alter mundo seruiat, & vtriusque labores specta; & videbis longe difficlius esse mundo quam Deo seruire, & nequiter agere, quam studiose uiuere. Nam, si quis uelit, gratia exempli, iniuriam ulcisci: quid laboris non suscipit? quos sūptus non facit? quas curas de die, ac de nocte non sustinet? ubi, & quando non angitur? non discruciatur? quibus periculis honorem, & uitam non exponit? his omnibus uacat curis, & laboribus, qui honeste viuit. Quid, dic obsecro, difficilius est, an oratione, labore, exercitatione, & sacramentorum usu surgentem

tem

tem cupiditatem comprimere, an velle illam explere? Postea, hac vna re, iustitiæ iter mihi facilimum videtur; si quis humilitatem amplectatur; quam quis est, qui amplecti non possit. Facilius est honores despicere, quam eos sequi: facilius est contentum esse paruo, quam multa comparare velle: facilius est sinere se regi, quam regere: facilius est pati omnes anteire, quam velle alios antecellere: & demum facilius est in infimo sedere loco, quam superiorem occupare velle. Hanc viam qui ingressus fuerit, in eaque perrexerit, proculdubio ad statum iustitię perueniet. Hac vna via sancti ad summum perfectionis gradum conscenderunt, Abraham, Ioseph, Dauid, Paulus, Beatissima semper Virgo, & quotquot fuere sanctitate illustres. Suscitat Deus inopes, eleuat afflictos, suscipit humiles, extollit oppressos: Moysen ex aquis, Iosephum ex carcere, Exo. 1.
Dauidem ab ouium custodia, Apostolos a piscatu, ad summos gradus euexit. Vt merito, aliquando regius Propheta cecinerit: Quis sicut Psal 112.
dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Et beatissima Virgo: Deposuit potentes de sede, & exal- Luc. 1.
tauit humiles. Postremo, hæc vna ratio hominem quantumuis improbum ad iustitiam acquirendam, ac retinendam impellere deberet; quod nemo est tam sibiipsi inimicus, qui nollet

beati-

beatitudinem assequi; quam, sine bonis operibus, vt omnes norunt, acquirit nemo: quæ bona opera, omnes in fine uitæ se fecisse vellent, & si per tempus liceret, omnes facerent. Si ergo uelles in extrema uita multa fecisse opera, quę tunc facere nō poteris; cur dum tempus adest, dum viget ætas, dum occasio datur, cum quantum absis a morte ignores, tuæ saluti, bene agēdo, non consulis? manipulos non colligis? non laboras, vt manducare possis? Si nunc te non posse bene agere dicis, & rem in longum protrahis, quo modo bene ages, cū vitijs eris onustus? cū vires te deficient? cum ætas, curę, dolores, & ægritudines te impediēt? Cras, fuge cornicum: si non es hodie, cras minus aptus eris. Eia, age, rūpe moras: semper nocuit differre paratis. Mors certa, tempus incertū: res permagni interest. Quid igitur cessas, o miser peccator? Deus te iuuat, Christus te vocat, beati te inuitant, natura te inclinat, auxilia te sustentant, boni propositi delectatio te allicit, vtilitas te mouet, honestas te trahit; & adhuc immobilis persistes? adhuc dormitabis? Rem ergo tanti momenti, carissime frater, diuino fretus auxilio aggredere, & ad eum statum peruenies, quem per tot capita explicare, & laudare conati sumus: quem siquis vno verbo explicare, & prædicare velit, dicat; & vere, mea quidem sententia, dicet; Hic status eiusmodi est,

vt humana facultate explicari, & laudari pro dignitate non queat? Quod si tandem hoc iustitiæ iter ingredi vis, & quid tibi faciendum sit scire cupis, breuiter dicam. Primum, in quo fere sunt omnia, vt semel efficaciter uelis, opus est: quia, sic volenti, nihil est difficile. Deinde aliquem spiritualem patrem, qui te instituat, cui omnia communices, cui te totum tradas, habeas oportet: sed caue, in hominem tepidum incidas. Postea ita quotidie in hac uia progredi debes, ac si esset primus, uel postremus dies; ut nunquam feruorem remittas: quia in hac uia non progredi, est retrogredi. Insuper, existima te omnia mala perpessurum: atque tibi patientia opus eße, que est antidotum uitæ. Denique, nunquam putabis, te a Deo derelictum esse, cum uel tribulationes urgebunt; vel sine gustu spirituali, etiam si longo tempore id contingat, uiues; modo; a læthali culpa absis: quandoquidem uitæ christianæ perfectio, non est in gustu spirituali sita: Propterea, nunquam, quod multi faciunt, hanc ob causam a uia spirituali recedes. Placet, antequam finem facio, regulas quasdam, quas apud pium scriptorem legi, hic breuiter adscribere, quæ iuste uiuere uolenti multum prodesse possunt. I. si dura uidetur uirtutis uia, cogita in omni genere uitæ multos eße labores, & longe plures in turpi uita. II. In rebus mundi diutius laboratur Idiota.


boratur, quam in uita christiana: & ibi, finis laborum est labor, hic uero quies. III. *stultū est, uelle peruenire ad cœlum, sine labore; cum etiam Christus per labores in gloriam suam intrauerit.* IIII. *pugna spiritualis ea est, ut etiam sine spe premij ferenda sit.* V. *nemo ex se potest uincere, & ideo petendum est auxilium.* VI. *vbi una tentatio uicta est, expectanda est alia; ita ut semper uigilare oporteat.* VII. *non solum satis est, non uinci; sed curandum est, ut uincas, idest ut ex tentatione occasionem sumas uincendi, aliquid utilitatis ex ea capiendo.* VIII. *cum pugnatur cogitandum est de uictoria; & cum in pace uiuitur, de bello.* IX. *occasiones peccati fugieudæ sunt: quia*
Ecci. 3. *qui amat periculum in illo peribit.* X. *tentatio reijcienda est a principio; & paruuli baby*
Psal. 136. *lonis allidendi, idest suggestiones frangendæ sunt.* XI. *Si pugna uidetur a principio amara, cogita dulcedinem uictoriæ, & dolorē, quo si te sines uinci cruciaberis.* XII. *licet tenteris, & Deus non statim accurrat; nunquam putes te ab eo esse derelictum. Vbi autem uiam iustitiæ ingressus fueris, ne ab ea unquam grauiter peccando recedas, quando peccandi occasio sese offert, quæ subijciam, ea cogitare poteris; quæ, te a peccato, facile retrahent. Cum igitur aliqua peccandi cogitatio suboritur, hæc tibi occurrant. Voluptas breuis: Comites, fastidium, & pæ-*

& pœnitentia: Iactura maioris boni: Vita somnus, & umbra: Mors instans, & improuisa. Suspicio impœnitentię. Aeternum præmium, & ęterna pęna: Hominis dignitas. Pax bonę mentis: Dei beneficia: Christi crux: Testimonium sanctorum martyrum. Et hæc breuiter de facili uia Christianę uitę, & de regulis ad ingrediendum in eam, atque in eadem perseuerandum dixisse uolui. Faxit Deus opt. max. ut, uel semel, in ipsius gloriam, & proximi utilitatem cedant.

Laus Deo, & B. Virgini Annunciatæ.



INDEX RERVM MEMORABILIVM



Chri-

D

Deus

E

F

Gaudium

H

I

Iustus

Obedien-

prudentia

Simpli-

Indicis rerum memorabilium, Finis.

Errata sic corrigito.

Primus numerus indicat paginam: alter versiculum, a, primam faciem; b, alteram:

Hic non ponuntur nisi verba emendata, per quæ facile corrupta inuenientur. Pagi. 18. b ver. 10. præstantissimam. 20. b. 29. quæ, vacat 21. b. 2. conspurcant. 28. a 28. quos. 73. a. 10. lauat. 81. a. 13. & versum. 87. a. 25. vana. 90 a 4. vratur. 98. a. 30. & in 106. b. 10. quod, quid 107. a. 29. ij nisi. 119. a. 16. impij ad peccatum. & b. 24. re-ctaque & 25. priuate. 120 a. 10. terrenum 130. a. 13. me, ne. 136. a. 16. legimus & b. 26, cui, cum iusto. 138. a. 11. docent. 139. a. 15. atque. 141. a. 19. nocere & 22. fontibus. 152. 19. talibus & b. 22. tempore. 158. b. 19. timeant. 159 b. 1. altera. 160. b. 20. alias. 164. a. 29. ne, vacat. 165 a 23. secundum. 166. b. 15. Zedar. 172. a. b. an, non ne 173. a. 7. ei seruire. & 8. priuatum & 23. rationes. 178. a. 6. affert. 192. a. 21. vigeri. & b. 24 &, ex. 194. b. 20. eius, eis. 216. b. 5. possessionis. 219. a. 8 ianua 204. b. 11. mem, meam. 231 a 20. notiones.

Quod ad leuiora errata, & puncta, cola, & commata, quæ multis in locis mutata, detracta; vel addita sunt, æquus iudicet lector.

